

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00379353 6

HISTORICORVM ROMANORVM RELIQVIAE

ITERATIS CVRIS
DISPOSVIT RECENSVIT PRAEFATVS EST

HERMANNVS PETER

VOLVMEN PRIVS



IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI LIPSIAE MCMXIV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

MEMORIAE

CAROLI · PETERI

HISTORICI · ROMANI

PRAECEPTORIS · CELEBRIS

PATRIS · OPTIMI

S

Volenti mihi hoc seni contigit, ut quod opus adulescens incohaueram, iuuenis intenta lucubratione perfeceram, diuenditis exemplaribus nunc denuo retractare et emendare potuerim. multa enim siue mea meditatione edoctus siue alienis auxiliis adiutus correxi speroque me 'inter folia fructus' uidisse et decerptos in granaria mea comportasse; plura tamen, quae alii refutauisse sibi uisi sunt, retinui re iterum diligenter examinata et perpensitata, aut quae noua sibi quidam excogitauisse, enumerare supersedi, ne hunc librum coniecturis iam obliuione obrutis, cum nihil ex eis ad haec studia promouenda redundaret, onerarem certaque dubiis uel falsis inmixtis turbarem. Ex prolegomenis caput tertium, quo historiae Romanae aetates primis lineis adumbraueram, nunc hac quaestione ex altioribus fontibus libro meo '*Wahrheit und Kunst, Geschichtschreibung und Plagiat im klassischen Altertum*' repetita seclusi atque artes singulorum deinceps scriptorum accuratius distinxi. sic in disputationibus de uitis et scriptis eorum institutis maior pars mutata est. contra fragmentorum numeros editionis superioris non tetigi, cum plerique uiri docti eis citare solerent. itaque fragmenta etiam nunc ita disposui, ut ea, quae ad certam aliquam rem referri possent, siue additis numeris librorum siue non additis excerpta essent, ceteris eiusdem libri praeponerem, ea tamen, quae eo numero carerent, asterisco notarem; cetera ita ordinaui, ut quae ab antiquioribus scriptoribus seruata essent, prima loca obtinerent aut, si multa eiusdem historici ab eodem (uelut Sisennae a Nonio), similes res cum similibus coniungerentur. ea uero fragmenta, quae aliena loca possedisse mihi persuasi, reliqui sed uncis inclusi litterisque minui, ea autem, quae nunc accesserunt, litteris maioribus significata (A) ceteris subiunxi. pauca haec sunt; nam etiam nunc praeter fr. 12 Claudii Quadri-

garii coniecturis peperci neque ullum ex libello de origine gentis Romanae admisi, cuius auctores, etsi argumenta ex certioribus fontibus collegerunt, omni fide indigni sunt.

Textus autem uerba secundum optimam quamque editionem, si qua interim publici iuris facta erat, ratione recensui. tum in apparatu critico componendo id tenui, ut quae ad uerba ex ueteribus annalibus excerpta essent, tota mole discrepantiarum instruerem orthographia excepta, de ceteris potiores eligerem, quae ad argumenta interpretanda aut ad uerba fortasse ex uetustate translata pertinerent, plures tamen addere mallem quam ad diuersas editiones euoluendas usum reuocare. de solis Gellio et Nonio omnibus locis, ut chartae parcerem, etiam sigla M. Hertzii et L. Muelleri retinui neque h. l. tacebo ante annos sex et quadraginta apparatu illius Gelliano, G. Thilonis Seruiano uti mihi licuisse. Coniecturis, ne traditionem per se saepe incertam magis turbarem historicaque studia occuparem, praesertim in truncis paucorum uerborum, raro indulsi, item de clausulis numerandis, quarum quaedam exempla Fr. Leo animaduertit (*Roem. Lit.* I p. 330 n. 2. 339 n. 4. 346 n. 1), manus abstinui.

Deinde adnotatione textum suppleui et eorum fragmentorum, quae etiam aliis locis seruata sunt, et eorum locorum, qui ex eodem auctore ex quo fragmenta originem duxerunt uel duxisse uidentur, denique in eam ex uariis libris libellisque omnia ea contuli, quae cum probabilitate quadam ad intellegenda aestimandaque fragmenta inuenta erant.

De emendando hoc libro Ioannes Gilbert, discipulus olim meus, tum collega Afranus, nunc amicus, optime meritus est, cuius singulari subtilitati et indefessae diligentiae debitam iustamque gratiam habere non desinam.

Misniae mense Ianuario a. MCMXIV.

HERMANNVS PETER.

Diem mensis Februarii sextum decimum Hermannus Peter scribens paene, certe scripturiens obiit supremum summo per extremos dies occupatus desiderio hanc editionem usque ad

ultimam lineam conficiendi. At mors ultima linea rerum est; qui cum aliis tum maxime sibi ipse imperare didicerat, maiori cessit, reliquit amicis atque filiae ultimas plagulas emendandas et indices renouandos. Qui operam libenter susceptam ut poterant praestabant dubiis in rebus auctoritatem unici arbitri acerbe desiderantes.

C. S.

Adnexui breuem earum editionum conspectum, quibus in recensendis fragmentis usus sum, si plura eiusdem auctoris maximeque si ad uerba tradita recepta sunt, sed etiam de ceteris optima quaeque subsidia adhibui et, si opus erat, enotaui. sunt igitur illae:

Appiani editio Schweighaeuseri (1785), I. Bekkeri (1852), L. Mendelssohnii (1879. 1881).

Arnobii ed. Reifferscheidii (1874), apud quem unius antiqui codicis (Parisiensis) collatio extat.

Asconii post A. Kiesslingii et R. Schoellii ed. (1875) etiam Th. Stanglii ed. (1912), in qua tria apographa codicis Sangallensis, emendatiora Poggii (P, Matritense), Bartholomaei de Montepulsiano (M, Laurentianum), ipsum Sozomeni (S, Pistoiense) diligenter enotata sunt.

Censorini ed. O. Jahnii (1845) et Fr. Hultschii (1865), a quibus adiectas optimorum librorum discrepantias (Darmstad. et Vatic.) mutuatus sum.

Charisii ed. H. Keilii cum tota cod. Neapolitani discrepantia (1857) in eius Grammaticis Latinis I p. 1—296 (cum excerptis Cauchianis p. 607 sqq.).

Ciceronis ed. altera Orellii et bibliothecae Teubnerianae.

Diomedis ed. H. Keilii in Gramm. Lat. I p. 297—529 cum discrepantiis cod. Paris. A 7494 et B 7493, Monac. M.

Dionysii Halicarnasensis archaeologiae ed. Reiskii (1775), Kiesslingii (1860—1870), C. Iacobyi (1885—1905), ex quibus potiores discrepantias ut scriptoris Graeci librorum I—X (codicum Chisiani 58, Vrbinatis 105, Coisliniani, Regiorum Parisinorum 1654. 1655, Vaticani 133, Vrbinatis 106), sumpsi, in libris XI—XX praeter hos excerptis Constantini nunc denuo editis usus.

Festi ed. C. O. Muelleri (1839) adiectis codicis Farnesiani scripturarum supplementis, quae H. Keil in mus. Rhen. VI 618 sqq. edidit, et W. Lindsayi (1913).

Frontini strategematum ed. Oudendorpii (1779) et Gundermanni (1888), in qua apparatus criticus textui subiunctus est.

Frontonis ed. Naber (1867) secundum descriptionem palimpsesti a n. d. Du Rieu confectam.

Gellii ed. Gronouiana, Hertzii (1883), Hosii (1903). Etiam nunc M. Hertzii beneuolentiae gratiam habeo, qua R. Peiperum in meum usum ante hos 46 annos ex thesauris discrepantias horum fr. depromere passus est; nunc editio maior mihi praesto est supplemento apparatus multis locis correcta (1894). Hic ut operae et chartae parcerem, Hertzii codd. singulis eius litt. significaui

per libros I—VII:
A cod. palimpsest: Vat.-Palat. XXIV, saec. fere VII (?)
V c. Vatic. 3452 s. XIII
P c. Paris. 5767 s. XIII
R c. Lugd. Bat. Gron., olim Rottendorfianus 21, s. XII.
per libros IX—XX:
Q c. Paris. 8664 s. XIII
Z c. Lugd. Bat. Voss. F 7 (Voss. mai.) s. XIV
B fr. c. Bern. 404 s. XII
O c. Christinae in Vat. I s. X
X c. Lugd. Bat. Voss. F 112 (Voss. min.) s. X
Π c. Christ. in Vat. II 1646 s. XII
N c. bibl. Magliabecch., Flor. 329, s. XV.
per libros omnes:
T anthol. Gellio-Valeriana Thuanea (cod. Paris. 4952. olim Colbert. s. XII)
Τ olim Vrsiniana (cod. Vat. 3307 s. XII)
β lectiones ex c. Buslidiano olim excerptae
σ Casp. Scioppii excerpta
ς codd. recentiores uel omnes uel quidam.

Isidori originum ed. Areuali et Ottonis (1833).

Lactantii institutionum ed. Brandtii (1890).

Liuii primae decadis excerpsi apparatum criticum ex edit. Alschefskii (1841 sqq.) et maiore A. Zingerlei (a. 1898) collatum cum appendicibus H. I. Muelleri, ed. Weissenborni, c. Veronensis a. Th. Mommseno editi et recensionis Symmachorum et Nicomachorum: Medicei pl. 63, 19; Paris. n. 5725, Floriacensis 5724. Vpsaliensis; Romani s. Vaticani n. 3329, Marciani n. 326, Leidensis pr. 6 a, bibl. Benedict. Carinth.

tertiae ex ed. A. Luchsii (1888, c. Puteani s. Paris. 5730, Colbertini s. Paris. 5731, Medicei 63, 20; c. Bambergensis IV, 9, et Spirensis deperditi, apographis cogniti *Σ*).

quartae ex ed. I. Th. Kreyssigii (1839, qui editioni suae l. XXXIII uarietatem huius decadis ex Bambergensi et quae de cod. Moguntino ex editione Moguntina recentioribusque codd. constabant, addidit, suppleta maxime a Maduigio).

quintae ex ed. mai. Zingerlei (1899), qui ultimus omnes discrepantias ex cod. unico Laurishamiensi accuratissime enotauit.

Praeterea ed. Drakenborchii, Weissenbornii et H. I. Muelleri, Hertzii, Maduigii adhibui.

Ioannis Lydi ed. Bekkeri (1837) et Wuenschii (de magistr. 1903, de mensibus 1898).

Ioannis Malalae ed. L. Dindorfii (1831).

Macrobii ed. Ianii (Saturn. 1852) et Eyssenhardtii (1868), qui codd. Parisinum et Bambergensem accurate excussit.

Minucii Felicis ed. C. Halmii (1867).

Nonii ed. Fr. D. Gerlachii et C. L. Rothii (1842), Luc. Muelleri (1888), I. H. Onionsi (libr. I—III 1895), W. Lindsayi (Orionsianis copiis usi 1903), cum suo quaeque apparatu critico. codicum stemmata Lindsay (p. xxx—xxxII) per capita (I—III, IV, V—XX) depinxit omni ex parte probanda. nam auctoritas multorum codicum qui praesertim maximam partem cum aliis libris comparati et diuersis manibus correcti sint, etiam singulorum ex diuersis archetypis descriptorum uaria est atque per partes suas cum recentioribus eisdem modo consentit modo discrepat. tres tamen praecipua loca obtinent, qui totum opus continent et a Muellero accurate descripti et significati sunt:

L. Lugdunensis (Voss.) n. 73 s. X uel IX (etiam a me quondam collatus).

H. Harleianus mus. Britann. n. 2719 s. IX uel X.

G. Guelferbytanus (Gudianus 96) s. X (item a me collatus).

quibus addo priorem partem (c. I—III p. 1—232) codicis.

F. Florentini (Laurentiani) plut. 48, 1 s. X uel XI (olim a me inuenti et descripti, ab Onionsio praef. X ceteris longe praelati), suppleti quattuor saec. post.

Similis ratio Onionsio intercedere uidetur inter duas partes (c. I—III, IV—XX) cod. E. Escorialensis M. III 14 s. X, ita tamen ut etiam prior media diuidatur.

Deinde idem conectit tres codices, qui auctoritate sua p. 1—10 excellunt, tum pauca exempla addunt, l. III et IV omnino omittunt, tum etiam exempla exhibent:

Bamb. Bambergensem (M V 18) s. X:

P. Paris. n. 7667 s. X.

Lugd. alter Lugdunensem alterum n. 116 s. X—XI (ab On. X significatum, etiam a me collatum).

minus altera eius familia cod. mancorum nobis profuit; nam raro exempla addiderunt: cod. Paris. 7665 (D), Montepessulanus (n. 212), Oxfordienses (bibl. Bodl. n. 279), s. X uel XI.

Mueller primariis suis addidit ex mancis Gen(euensem n. 84) et duos Bernenses B (n. 83) et A (n. 347) item s. X.[1])

Orosii ed. Zangemeisteri (1882) cum pleno apparatu critico, quem excerpsi.

Plinii nat. hist. ed. Silligii, Iani, Detlefseni (1866—82), Mayhoffii (1906. 1909. 1875—97), ex quo discrepantias librorum eorumque notas transscripsi. inter uetustiores praeter fragmenta (cod. Monei et Chatelainii Riccardianique, Sessoriani, Parisini 9378) nominandi sunt Leidensis Vossianus f. 4 s. IX (2, 196—6, 51) et Bambergensis s. X (32—37), inter recentiores Vaticanus 3861, Parisini 6796 pars quaedam, Leidensis f. 61 s. XI olim coniuncti et exscripti in Leidensi Lipsii 7 s. XI.

Plutarchi uitarum ed. maior Sintenisii (1839), adhibita tamen etiam altera eiusdem ed. Teubneriana (1879). moralium quae uocantur praesto mihi erat praeter Didotianam ed. Bernadakisii (1888).

Polybii ed. Hultschii (1888. 92. 1870. 72), ex qua uarietatem scripturae sumpsi.

Prisciani ed. Hertzii (1855).

Quintiliani ed. Halmii (1868).

Scholiastarum Vergilii: Seruii I. II. III 1 ed. G. Thilonis (1881) et H. Hageni Appendicis Seruianae III 2 (1902) Iunium Philargyrium, Anonymi breuem expositionem, Probi commentarium, Scholia Veronensia, tria glossaria, 'Vergilium Aspri' continentis. Scholia Bernensia Hagen iam antea (1867) in Fleckeiseni supplementis (IV) separatim ediderat.

Solini codices secundum Mommseni ed. alteram (1895) per tres classes distribui.

Strabonis ed. maior Krameri (1844) et Meinekii (1852).

Suidae ed. Bernhardyi (1853).

Syncelli ed. G. Dindorfii (1829).

Tertulliani ed. maior Oehleri (1854) et Reifferscheidii-Wissowae (I 1890).

Valerii Maximi ed. Halmii (1865) et Kempfii (1888).

Varronis de lingua latina ed. A. Spengelii (1885) atque G. Goetzii et Fr. Schoellii (1910); de rebus rusticis ed. H. Keilii (1884).

Vellei post Kritzium et Haasium ed. Halmii (1876), in qua apparatus criticus commode descriptus est.

---

1) Henrici Meylan collationes codd. Paris., Geneu., Bernens. omisi, praesertim cum non omni fide dignae sint (L. Mueller Aduers. Non. p. 307), item Quicheratii (1872) editionem praeter paucas coniecturas.

PROLEGOMENON

CAPITA TRIA

I. DE ANNALIBVS MAXIMIS[1])

Historiae Romanae primordia repeti solent a pontificis maximi annalibus uel annalibus maximis, de quibus duo habemus inlustria testimonia, unum Ciceronis (de orat. 2, 12, 52), alterum Seruii, qui dicitur Danielis uel auctus (ad Verg. Aen. 1, 373), ita comparata, ut egregie alterum altero aut suppleatur aut corrigatur. ille enim Antonium de uetere historia Romana sic disserentem facit: *Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum anno-*

1) De annalibus maximis egerunt peculiaribus libris uel commentationibus I. G. Hulleman *Disputatio critica de ann. max.* (Amstelodami 1855) (de qua recte iudicauit K. Niemeyer in *Ztschr. f. Gymnasialwesen* XII 1858 p. 423—428), E. Huebner *Die ann. max. der Roemer* in Iahni annal. LXXIV (1859) p. 401—423, O. Seeck *Die Kalendertafel der Pontifices* (Berol. 1885), C. Cichorius *R. E.* I c. 2248—2256, G. Soltau *Die ann. max.* in Philol. LV p. 255—276, qua disputatione ea, quae in chronologia Romana p. 445 sqq. mihi adsensus scripserat, retractauit, A. Enmann *Die aelteste Redaction der Pontificalannalen* in mus. Rhen. LVII p. 517—533, E. Kornemann *Der Priestercodex in der Regia und die Entstehung der altroem. Pseudogeschichte* (1912; frustra quaesiui L. Cantarelli *Origine degli ann. max.* [Turini 1898] et G. Amatucci *Gli ann. max.* in *Rivista della Fil. class.* XXIV p. 208—233), praeterea multi alii occasione oblata plus minusue copiose, ex quo numero nunc nomino Schweglerum in hist. Rom. I p. 7—12, C. Wachsmuthium in *Einleitung in die alte Geschichte* p. 618 sqq., E. Paisium *Storia di Roma* I 1 p. 27—38, H. Nissenum *Untersuchungen ueber die Quellen des Livius* p. 86 sqq., L. Wuelkerum *Prodigienwesen bei den Roemern* p. 50—70. ipse in tanta testimoniorum inopia, tanta opinationum et coniecturarum abundantia certissima quaeque proponere malui quam haerere in multis inuentis refutandis, praesertim cum iam ab Hullemano et Huebnero maximam partem expulsa sint. itaque K. W. Nitzschii librum *Die roem. Annalistik von ihren ersten Anfängen bis auf Valerius Antias* (Berol. 1873) hic semel citaui, qui memoriam Romanam non ab initiis tabularum et annalium pontificum sed ab aedilibus plebis repetiit, qui Cereris templi antistites fuissent (uid. p. 204 sqq.).

rum mandabat litteris pontifex ferebatque[1]) *in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; i qui etiam nunc annales maximi nominantur. hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt.* Seruii uerba haec sunt: *Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum digna memoratu notare consueuerat domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies, cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros ueteres retulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, annales maximos appellarunt.*[2])

Hinc igitur de annalibus maximis disputantibus nobis proficiscendum est. antea tamen, ut omnis arceatur confusio aliorumque de illis errores tacite corrigantur, pauca explicanda esse uidentur de ceteris eiusdem pontificum collegii scriptis. erant haece[3]):

1. Libri pontificum siue pontificales siue pontificii, in quibus inerant et praescripta de sacris publice priuatimue faciendis et ius

---

1) *referebatque* Lambinus.

2) Cf. etiam Macrob. 3, 2, 17: *Pontificem Aenean uel ex nomine referendorum laborum eius ostendit* (Vergilius) *pontificibus enim permissa est potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi et hos annales appellabant equidem maximos quasi a pontificibus maximis factos, unde ex persona Aeneae ait:*

Et uacat annales tantorum audire laborum.

quae uerba ex eodem fonte ex quo Seruii hausta esse dudum intellectum est. primum enim idem Vergilii uersus affertur a Macrobio, ad quem illa de annalibus maximis adnotauit Seruius, tum, quae de Aeneae pontificatu nugatur Macrobius, cognationem quandam habent cum eis quae l. s. s. adnexuit Seruius: *unde quidam ideo dictum ab Aenea 'annales' aiunt, quod et ipse religiosus sit et a poeta tum pontifex inducatur.*

3) Secutus sum in plerisque Schweglerum *H. R.* I p. 31 sqq., quocum fere consentiunt Hulleman p. 10 sqq. et Huebner l. s. p. 408. nunc tamen cum Reifferscheidio in Bursiani annalibus XXIII p. 274 sq. P. Preibisch (*Quaest. de libris pontificiis.* Diss. Vratisl. 1874), qui in programmate Tilsit. a. 1878 fragmenta collegit, P. Regell (*De augurum publicorum libris part. 1.* Diss. Vratisl. 1878), G. Wissowa (ap. Marquardtium *Staatsverw.* III² p. 300. 400. *R. E.* II c. 2323. *Rel. d. Roem.*² p. 5 sq.) libros pontificum commentariosque, cum ab antiquis auctoribus confundantur, non distinguunt. at breui conspectu usui pontificum consultum esse per se ueri simile est neque illos in talibus rebus satis diligentes fuisse constat, qui etiam acta et commentarios promiscue citauerunt. commentariorum amplior notio libros complexa est. cf. *Geschichtl. Litteratur* I p. 205. 234 sq.

diuinum pontificiumque. exempla pauca ex eis seruata lubet ponere, ex quibus quae eorum fuerit indoles, facillime perspiciatur: Fest. s. u. opima p. 189: *Testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: Pro primis spoliis boue, pro secundis suouetaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere.* Seru. georg. 1, 272: *Quoniam cautum in libris sacris est, feriis denicalibus aquam in pratum ducere nisi legitimam non licet. — sane quae feriae, a quo genere hominum uel quibus diebus obseruentur uel quae festis diebus fieri permissa sint, si quis scire desiderat, libros pontificales legat.* Seru. Aen. 12, 603: *Cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo uitam finisset, insepultus abiceretur.* Horum librorum pars quaedam, qua et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continebantur, indigitamenta fuerunt. nam Seruius ad Vergilii uerba georg. 1, 21 *studium quibus arua tueri* haec adnotauit: *Nomina haec numinum in indigitamentis inueniuntur, i. e. in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent, quae etiam Varro dicit. nam, ut supra diximus, nomina numinibus ex officiis constat inposita, uerbi causa ut ab occatione deus Occator dicatur, a sarritione Sarritor, a stercoratione Sterculinius, a satione Sator.*[1]) in libris igitur pontificiis praeter 'deorum nomina et deorum ipsorum rationes' multa alia scripta fuisse uel ex eis quae supra attuli exemplis satis apparet.

2. Commentarii pontificum, qui responsa et decreta pontificum de sacris faciendis descripta comprehendebant. quod quasi promptuarium quoddam apud Romanos exemplorum studiosissimos utilissimum habebatur. cf. Cic. Brut. 14, 55: *Possumus — suspicari disertum — Ti. Coruncanium* [cos. a. 280. 474, quem pontificem maximum fuisse hic est tenendum[2]], *quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio ualuisse uideatur.* de dom. 53, 136: *Vt reuertar ad ius publicum dedicandi, quod ipsi pontifices semper*

1) Cf. etiam Gell. 13, 23, 4: *Conprecationes deum inmortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum populi Romani.* Censor. de die n. 3, 4: *alii sunt praeterea dei conplures hominum uitam pro sua quisque portione administrantes, quos uolentem cognoscere indigitamentorum libri satis edocebunt.* accuratius interpretantes uiri docti dissentiunt, hoc constat cautum eis libris esse, ne homines frustra deos inuocarent.

2) Cf. Pompon. de orig. iur. 38 p. 4 Momms.: *Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit. cuius tamen scriptum nullum exstat, sed responsa complura et memorabilia eius fuerunt,* ubi Mureti coniectura *feruntur* pro *fuerunt* mihi adridet.

non solum ad suas caerimonias sed etiam ad populi iussa accommodauerunt: habetis in commentariis uestris C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium rettulisse, eique M. Aemilium pontificem maximum pro collegio respondisse, nisi eum populus Romanus nominatim praefecisset atque eius iussu faceret, non uideri eam posse recte dedicari. Quid? cum Licinia, uirgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino Q. Metello consulibus, aram et aediculam et puluinar sub saxo dedicasset, nonne eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium S. Iulius praetor rettulit? cum P. Scaeuola, pontifex maximus, pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia, Gai filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non uiderier.[1]) Itaque, quoniam omnis pontificum ars hoc exemplorum thesauro nitebatur (Marquardt *Staatsverw.* III^2 p. 300), facile est intellectu, dum soli patricii ad pontificatum aditum habebant, clausos hos commentarios fuisse plebis oculis, id quod querentem facit C. Canuleium tribunum plebis Liuius (4, 3, 9). hi uero commentarii ut saepe cum libris, ita a multis, quorum errores enumerare longum est, cum annalibus confusi sunt. nam perpaucis locis exceptis (ut fortasse Cic. Brut. 15, 60. 18, 72. uid. uol. II p. XXV sqq.) semper a Romanis, si diligenter loquebantur, discrimen factum est inter *commentarios* et *annales* uel *historias*, cum numquam a comminiscendo commentario-

1) Antiquissimae partes horum pontificum scriptorum, et librorum et commentariorum, uidentur fuisse leges regiae et commentarii regum. Schwegler I p. 26 sq. Teuffel *Roem. Litteraturgesch.*^{5} p. 116. Mommsen *Staatsr.* II^3 1 p. 41 sqq. Bruns *Fontes iur. Rom. ant.*^{5} p. 1—14. hoc enim et per se est ueri simillimum et eo confirmatur, quod eadem lex de spoliis opimis a Festo (s. u. opima p. 189 secundum Varronem) et Pompilii regis dicitur et ex libris pontificum adfertur. accedit aliud testimonium uulgo omissum: posteaquam enim Liuius 6, 1, 2 commentarios pontificum incensa a Gallis urbe interiisse narrauit, 1, 10 sic pergit: *In primis foedera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges) conquiri, quae conparerent, iusserunt [tribuni militum]. alia ex eis edita etiam in uulgus; quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa,* i. e. in tablinum suum recepta, unde postea siue per commentarios siue per libros distributa sunt; nam etiam hic linea inter eos incerta est, ita ut pro libris Numae, quos Varro (ap. Festum l. s.) attulerat, Plutarchus Marc. 8 ὑπομνήματα substituat. Cf. M. Voigt, *Ueber die leges regiae* (*Abhandl. der Leipz. Ges. d. Wiss. hist.-phil. Kl.* VII p. 555—826), ubi quae horum librorum reliquiae ferebantur, diligenter collectae sunt, quae disputata de summa eorum auctoritate, prorsus displicent.

rum uocabulum originem ducere immemores essent. ut igitur quidam rhetores cum commentariis in rostra escendere solebant, in quo causae agendae summa capita perscripta erant (Senec. controu. 3, prooem. 6), ut pueri quae aliis declamantibus laudata erant, in commentarios regerebant (Quintil. inst. 2, 11, 7), ut Cicero Lucceio si de rebus suis scribere uelit, confecturum se pollicetur *commentarios rerum omnium* (ad fam. 5, 12, 10), ita hi a pontificibus commentarii in collegiorum memoriam collecti erant, ut comminisci possent, quae in similibus rebus facta essent, multumque differebant ab annalibus.

3. Denique quin non solum cetera sacerdotum collegia sed etiam pontifices habuerint acta sua et album, etsi nusquam, quod sciam, memoriae proditum est, uix est cur dubitemus. quorum librorum hoc genus singulorum collegarum indices ex temporis ordine digestos continebat (quorum constat etiam ad nostram aetatem peruenisse exempla, C. I. L. VI 1 p. 441 sqq. n. 1976—2009), illorum multa sub commentariorum inscriptione latere uidentur. acta quidem fratrum Arualium atque 'commentarium ludorum saecularium XV uir. sacris faciundis' ex eodem scriptionis genere originem ducunt, quo quae collegae egerant, perscribebantur *(Protokolle).*

Atque hi quidem sunt libri a pontificibus in usum collegarum confecti. aliae autem ab eisdem tabulae in uitae communis usum proponebantur, fasti calendares uel hemerologia et fasti consulares, quas tabulas saepe inter se confusas recte distinxit Mommsen in chronol. p. 16 sqq. 101. 209. quamquam etiam nunc de hac re certa testimonia desideramus. ac tamen pontifices potissimum periti caeli dimetiendi rationis fuerunt, atque cum, ut certo scimus, antiquis temporibus pontifex populo in Capitolium conuocato unius cuiusque mensis kalendis nonas, nonis ferias regis sacrificuli iussu uoce calauerit et anno 191. 563 pontificum arbitrio ex M.' Acilii Glabrionis lege intercalandi ratio, cuius scientia etiam usque ad Iulium Caesarem penes eos solos erat (Plut. Caes. 59), permissa fuerit (Mommsen Chron. p. 40 sqq.), quid est ueri similius quam ab eisdem pontificibus hemerologia illa composita et per singulos annos in atrio regiae adfixa esse (Huebner p. 410)? ut uero hisce tabulis singulorum annorum ratio, ita fastis consularibus ipsorum annorum ordo constituebatur, qui fasti et nomine et re tam arte inter se conexi sunt, ut fieri non possit, quin ad eorundem auctoritatem redeant, praesertim cum publice consulum nomina et ordinem quasi sancta fuisse uel inde appareat, quod etsi qui quo ordine primis centum annis liberae rei publicae consules essent, non esse dili-

genter perscriptum et posteris traditum esse concedetur, tamen etiam de illorum annorum consulibus omnes scriptores paucis exceptis non minus inter se consentiunt quam de posteriore aetate (Mommsen Chron. 195).[1])

Nunc tandem, quoniam uiam tot obstaculis obstructam aperuimus, ut ad ipsos annales pontificum perueniamus, primum qualis fuisse uideatur eorum origo exponendum est. Mommsen enim (*H. R.* I[9] p. 463) initio quasi corollarium quoddam grauissimarum rerum gestarum conspectum additum esse fastis consularibus censuit, tum demum, cum fastorum margo adnotationem non caperet, iuxta eos aliam tabulam, in qua soli annales scriberentur, a pontificibus esse adfixam, quam coniecturam satis probasse sibi uisus est tabularum paschalium exemplo multosque nanctus est, qui uel sequerentur uel ab eo exordirentur, primum Huebnerum (p. 419 sq.), qui hoc addidit, eius rei uestigia quaedam apparere, cum in fastis Capitolinis et Venusinis adscriptum esset consulum nominibus, quod bellum sub eis susceptum esset, ut *bellum Gallicum Cisalpinum* (a. 225. 529 p. 24 C. I. L. I[2]), *b. Philippicum* (200. 554 p. 25), *b. Antiochinum* (a. 191. 563 p. 25), *b. Persicum* (171. 583 p. 25), similia.[2]) deinde O. Seeck (l. s. p. 57—75) fastos, in quibus omnes dies enumerati essent, initio anni a pontificibus in atrio regiae propositos et per singulos dies ad eos significandos quasi notas, si quid quondam memorabile eis gestum esset, adscriptas esse pluribus disputauit, cuius sententiam Cichorius (l. s. c. 2249 sqq.) ita immutauit, ut initio eas res, quae ad pontifices pertinerent, adnotatas esse censeret, tum paulatim, cum omnis uita Romana publica a sacris penderet, etiam alias adiunctas, persuasitque hoc Wachsmuthio (*Einleit.* p. 618 sqq.), Schanzio (*Roem. Literaturgesch.* I 1[3] p. 36 sq.), Wuel-

---

1) Iam hoc loco moneo fastos (consulares) et tabulas pontificum me etiam nunc distinguere, etsi E. Kornemann l. c. contrariam sententiam disputatione sua defendit.

2) Plura in fast. Venus. a. 34. 720—28. 726 p. 66. — Mos postremis temporibus, dum consules creabantur et numerabantur, hic illic in eorum fastis etiam leuiores res, uelut signa caelestia, terrae motus aliaque miracula adnotandi remansit (uid. Chronica min. in Monumentis Germ. I p. 199 sqq.), sed primis liberae rei p. saeculis nihil additum est nisi quod ad eam gerendam pertineret, tum (a scholastico aliquo) anni initii belli Iugurthini et Catilinae, nati Ciceronis, Sallustii, Vergilii aliique similes usque ad Christum, inde eius aliorumque sanctorum passiones aliquot. hi igitur fasti, quemadmodum cycli paschales, memoriae posteritatis seruierunt eisque cesserunt.

kero l. s. p. 51 aliis. at ut illud omittamus, quod Soltau (l. s. p. 258 sq.) necessitatem singulorum annorum fastos promulgandi non fuisse demonstrauit, nusquam his rerum gestarum memoriam propagatam esse commemoratur, sed in tabula ad id ipsum quotannis exposita addito die res modo gestas notatas esse, quantamque fuisse arbitraris illam tabulam dealbatam ad recipiendos dierum linearumque plus trecenarum quinquagenarum numeros satis grandes, ut facile cognosci possent, quantam incommoditatem, si pluribus deinceps diebus res plures notandae essent? denique et eis quae ad tabulas paschales[1]) et eis quae ad fastos adiciebantur, hoc spectabatur, ut etiam postea temporis praeteriti memoria retineretur: sed pontifices, cum tabulas per singulos annos publice et ita suspenderent, ut ab omnibus Romanis quouis tempore conspici possent, num hac de causa id fecisse contendes, ne apud posteros rerum gestarum memoria obliuione obrueretur? immo si quid uideo, initio eodem consilio res conscriptas et publice propositas esse existumo, quo postea Caesar consul populi diurna acta composuit et publicauit, ut in eorum qui tum uiuebant notitiam quam celerrime perferrentur eaeque ita consignatae, ut patribus pontificibusque placeret. nam antiquitus ciuitatis interfuisse res domi militiaeque gestas publice cognoscere pluribus exponere superuacaneum est. ut igitur post cladem ad Trasumennum acceptam M. Pomponius praetor a multitudine euocatus pro curia pugna magna exercitum uictum esse clamauit (Polyb. 3, 85, 8. Liu. 22, 7, 8), ita omnino priscis temporibus, si quid maioris momenti intercidisset, uoce a magistratu aliquo per praeconem id pronuntiatum esse censeo, tum, cum et multitudo populi Romani resque ab eo gestae et studium eas cognoscendi augerentur et nonae aut feriae a sacerdotibus calari desitae essent[2]), sed descriptae in tabulis proponerentur, hoc pontificibus officium demandatum, ut res in tabulas relatas in regia ad forum sita publicarent, quo, ut temporis rationis cognitionem peterent, frequenter ciues confluebant.

---

1) Infra (p. xxv sqq.) ostendere studebimus, ut ex tabulis paschalibus adnotatis historiae Germanae primordia, sic ex publicatis pontificum annalibus Pisonis, Heminae, Sempronii, aliorum historiam ortam esse. tabulae igitur paschales ipsae cum pontificum tabulis dealbatis, in quibus consulum et aliorum magistratuum nomina praescripta erant, publice propositis comparandae sunt.

2) Priscis temporibus, dum solarium horologium ante aedem Quirini statueretur, etiam meridiei tempus ab accenso consulum pronuntiabatur (Plin. n. h. 7, 212), deinde quater per diem horae a praetoris accenso (Varro de l. l. 6, 89).

Alia autem fuit causa in tabulis notandi, alia tabulas adseruandi et in tablino reponendi. nam cum hoc pontifices maximi facerent, ut posteritatis memoriae inseruirent, paulatim et apud alios et apud hosce ipsos opinionem nasci potuisse non nego eadem causa, qua seruabantur, annales illos etiam compositos esse. quid? quod postremis temporibus etiam tum cum componerentur, posterorum magis rationem habitam esse quam eorum qui tum uiuebant etiam ipse adsentior. sed iam antiquis memoriae retinendae causa a pontifice maximo res singulas litteris mandatas et loco illo insigni propositas esse mihi nondum persuasum est, neque quidquam Cichorii (l. s. c. 2249) argumentatio ualet caritatem annonae ciues ipsos expertos esse, lunae aut solis defectiones talesque res, quarum ieiunitatem Cato pontificum tabulis exprobrat (fr. 77), uidisse explicantis. nam si frumenta in mari aduehi aut prodigia procurata esse aut procurari addebatur[1]) ratioque sacrificandi suadebatur (Marquardt *Staatsverw.* III[2] p. 257 sqq.), erat cur populus eo conueniret, idque etiam saluti publicae conducebat, ut eius incitatio et perturbatio animorum sedaretur. eatenus certe Seeck (p. 61—65) mecum consentit, ut pontificem per singulos dies res adnotasse censeat, etiam magis Soltau (uid. Chronol. Rom. p. 445 sqq.), cuius tamen docta argumentatio eo deducitur, ut pontificem non solum a Cn. Flauii aedilitate incohantem notas suas in tabula publica posuisse sed etiam a. 249. 505 posteritatis causa totius anni res complecti coepisse statuat (p. 270—276), quam sententiam, etsi a L. Cantarelli (uid. s. p. III) pluribus explicata et defensa est, recte Wuelkerus (p. 50—70) refutauit.

Sed omnes difficultates non remouebimus, nisi Ciceronis et Seruii testimonia accuratius examinauerimus. atque ille quidem primum res, simulatque accidissent, pontificem priuatim litteris consignasse dicit, tum demum, cum annus exactus esset, simul omnes totius anni in tabulam translatas et in regia propositas, ut populus, quid quoque anno gestum esset, uidere posset.[2]) contra Seruio teste

---

1) Cf. fr. 4. Soltau l. s. p. 265. infra p. XXVII sq. Ex multis locis quibus Liuius prodigia commemorauit, duos hic exscribam, quibus ad procurationem populum conuocandum fuisse appareat: *Eo anno prodigia multa fuerunt, quorum auerruncandorum causa supplicationes senatus in biduum decreuit. publice uinum ac tus praebitum, supplicatum iere frequentes uiri feminaeque* (10, 23, 1). *ea prodigia maioribus hostiis procurata. editi a collegio pontificum dei, quibus sacrificaretur* (30, 2, 13).

2) A Cicerone profecti Klotzius (*Lat. Litteraturgesch.* I 356 sqq.), Hullemanus p. 34 sq., alii, antequam tabulae illae propositae essent,

pontifex in ipsa tabula, cum iam in regia adfixa esset[1]), singulorum annorum praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum, quos per ipsos annos uno quoque tempore, cum opus esset, certo sciendi potestatem habere plurimum populi interesset, quae digna cognitione essent, per singulos dies notabat, id est non uniuersas res totius anni sed singulas quasque eisdem quibus gestae erant diebus uel quibus de eis certior factus erat. quaeritur, uter auctor praeferendus sit, neque enim quod inter eos discrimen intercedit, cum Hullemano (p. 35) aliisque oblini poterit. uel obiter uero utriusque uerba inter se comparanti hoc apparebit Ciceronem de historiae Romanae initiis agentem tabulas pontificis atque editos annales maximos confudisse, cum etiam illas per singulos annos a pontifice max. in album latas (uel relatas) et domi propositas esse scriberet, 'potestas ut esset populo cognoscendi', in quem quidem errorem etiam Diodorus (uid. infra) incidit. parum igitur diligenter quae de annalibus maximis et tabulis ab auctore suo (fortasse Attico) exceperat, coniuncta ad tabulas antiquiores transtulisse uidetur multoque auctoritate Seruio cedit tabularum usum annalesque editos curiose distinguenti. nimirum cum multis locis tum huic optima siue Varronis siue Verrii Flacci (sic Seeck p. 88 sqq.) auctoritas subest aptissimeque etiam cum Cicerone de tabulis concinit, si quae hic ex confusione sua de annalibus immiscuit, deleuerimus. Tabula igitur, in qua scribebatur, erat lignea gypsoque oblita, quo genere tabularum et Graeci et Romani multum antiquitus uti solebant[2]), suspendebaturque quotannis pro superiore notis completa ineunte anno[3]) uacua a pontifice max. in atrio domi suae atque sub

---

pontifices maximos rerum gestarum indices litteris mandasse suspicati sunt, sed ita ut eos in pontificum penetralibus reponerent. contra quam sententiam Niemeyerus (l. c. 425) et Huebnerus p. 421 aduersarii exstiterunt. Cf. Schwegler H. R. I p. 45: *Vielleicht ist es ein psychologisches Naturgesetz, dass eminent praktische Voelker, deren ganzes Sinnen und Trachten in der Gegenwart aufgeht, ohne historischen Sinn und ohne Interesse fuer objektiv historische Forschungen sind.*

1) Dubitari non potest, quin Seruius l. s. s. cum adderet *t. dealbatam*, eam tabulam quam pont. m. publice exponebat, in animo habuerit, non pugillarem illam, in qua ex Ciceronis opinione pontifex priusquam ederet, res memoratu dignas colligebat.

2) Vid. Schwegler I p. 37. Kornemann l. s. p. 18 locosque ibi citatos.

3) Sic etiam Huebner p. 420, qui in aliis rebus Mommsenum sequitur. quod Hulleman p. 35 exacto anno tabulam suspensam esse arbitratur, haec sententia cum testimonii Ciceroniani fide concidit. — Alius mos erat res memoratu dignas in externis templorum parietibus inci-

auspiciis magistratuum praescriptis singulas deinceps res modo nuntiatas pontificique memoratu dignas uisas ipsis diebus[1]) excipiebat. quae autem 'domi militiaeque gestae' uisae sint, sic Cato inrisit sibi non lubere in originibus scribere professus, 'quod in tabula apud pontificem maximum esset[2]), quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstitisset', unde exorsi magna cum probabilitate argumenta et sonum agnoscere nobis uidemur non solum in eis quae Liuius de his ipsis rebus memorauit, sed etiam diuersis locis, si qui sacerdotes mortui[3]) aut aedes dedicatae erant, si census factus, coloniae deductae, ludi funebres editi, signa ab aedilibus plebis ex multaticio argento posita, atque etiam quae et initio et exitu singulorum annorum uno aspectu satis exiliter coniungere solet de comitiis consularibus et praetoriis, de ludis Romanis et plebeiis, tum de prouinciis consularibus et praetoriis et de prodigiorum procuratione.

Cognitio autem earum tabularum non solum in regia patebat propositarum ut Catoni sed etiam in sacrario repositarum. Polybium quidem strenua cum diligentia etiam ex reconditis thesauris materiam colligentem eas ipsas inspexisse ex loco quodam Dionysii (1, 74, 3) apparet; hoc enim eius testimonium est: *Οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης τοσοῦτο μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ' ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν, ἀλλὰ τοὺς ἐπιλογι-*

---

dendi (Iordan *Topographie* I 2 p. 300). hic enim ab initio posteritatis recordationi seruiebat.

1) Haec interpretatio Seruii u. *per singulos dies* et ipsius Ciceronis testimonio (fr. 3) et locis multis Liuianis per annales maximos (Soltau p. 259. 262) ad tabulas redeuntibus confirmatur. quod uno Liuius (38, 36, 4) horam tenebrarum luce obortarum addidit, diem oblitus est, hoc ita explicandum est, hunc omissum esse, cum in tabula supplicatio prodigii, quem ad modum etiam aliis annis, cum nouorum magistratuum in prouincias profectione coniuncta esset, unde quantum diligenti temporis notationi tributum sit intellegitur. — Cf. Asell. fr. 1.

2) Mirum est quod Hulleman p. 38 commentarios pontificum a Catone dictos esse magna cum fiducia affirmat. causae eius nullae sunt.

3) Vid. Nissen (*Quellen d. Livius* p. 57. 88), qui recte cum ex multis tum ex ea re, quod sacerdotum tantum modo mortes eaeque saepissime, nusquam fere aliorum uirorum uel clarissimorum a Liuio adlatae sunt, et has eius partes ex annalibus maximis (siue tabulis pont.) fluxisse animaduertit et sacerdotum potissimum rerum rationem in eis habitam esse. uid. Nitzsch *Annalistik* p. 193 sq. Mommsen *R. F.* I p. 82 sqq.

σμούς, οἷς αὐτὸς προσεθέμην, εἰς μέσον ὑπευθύνους τοῖς βουληθεῖσιν ἐσομένους ἐξενεγκεῖν. quod perperam in editione priore inter annalium fragmenta (1) receperam. nam Dionysius nihil dixit nisi hoc, Polybii rationem se sequi nolle, qui satis habuisset causis rationibusque omissis auctoritatem uelut tabulae pontificum attulisse, se argumentationem suam explicaturum esse. sic enim recte O. Hirschfeld (Herm. IX p. 106 sq.) haec uerba interpretatus est frustraque Seeck (p. 65 sq.) oblocutus est. illud tamen constat Polybium haud raro illarum tabularum auctoritate usum esse.[1])

Nunc uero, ne quis illa Liuiana, quia ex editis annalibus fluxerint, nihil pertinere arbitretur ad tabularum indolem adumbrandam, quo tempore quoque consilio et ratione hae in publicum missae sint, disputabimus. nam Cicerone teste ille mos res publice proponendi non mansit ultra P. Mucium Scaeuolam (trib. pleb. a. 141. 613, cos. a. 133, 621). fuit is pontifex maximus a. 123. 631, quo T. Flaminino Q. Metello coss. pro collegio pontificum eum respondisse Cicero pro domo 53, 136 dixit, sed nec quo anno pontifex max. cooptatus sit accepimus nec quo anno anno mortuus. nihil igitur accuratius adfirmari potest quam circiter a. 123. 631 tabulas pro-

1) Cum apud Dionysium l. s. Polybii rationem scribendi uituperantem παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι non libris sed Niebuhrii (H. R. I p. 248 n. 606) sagacitati debeamus, paucis uerbis de hoc loco agere opus est, ut scripturam a nobis receptam a dubitatione quadam, quam Schwegler H. R. I p. 8 n. 4 mouit, defendamus. nam ante Kiesslingium edebatur sic ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ἀγχισεῦσι κειμένου πίνακος et Polybium tabula quadam Anchisensium de urbis Romae anno natali usus esse putabatur. afferuntur uero duae eius nominis urbes, Anchisa, urbs Italiae, a Romo Aeneae filio sui honoris causa condita (Dion. 1, 73, 3 coll. Stephano Byz. s. u. p. 24 Mein.) et Anchisus, urbs Epiri maritima, unde Anchises in mare Ionium nauigasse dicebatur (Dion. 1, 51, 2. Procop. b. G. IV p. 22 p. 577 Dind., qui scriptores urbem dicere uidentur). at priorem urbem in fabulis esse sitam, non in Italia iam Niebuhr intellexit, idemque de altera Huebner p. 414 suspicatus est, quem in plerisque secutus sum. sed ut utramque urbem tum fuisse largiamur, tamen paruae et ignobiles latebant, quarum annales Polybium, cum de rebus Romanis quaereret, quis non solum consuluisse credet, sed etiam eis et ipsum fidem habuisse et ut legentes haberent, postulasse? Niebuhrii autem coniectura probata (quae etiam adiuuatur scriptura librorum Chisiani et Vrbinatis ἀγχιστεῦσι) non mirabimur, quod Polybius hanc auctoritatem simpliciter posuisse satis habuit, a quo semper pro pontifice maximo ἀρχιερεύς usurpatur (23, 1, 2. 32, 22, 5), nec offendet pluralis numerus ἀρχιερεῦσι collato Cicerone de legg. 1, 2, 6 *annales pontificum maximorum* (Huebner p. 414) aut singularis ἐπὶ τοῦ πίνακος, nam eum dixit, in quo quod quaerebatur exstabat.

poni desitas esse, ita tamen, ut nec citra a. 132. 622 subsistere nec ultra a. 114. 640 euagari possimus. illo enim anno P. Licinius Crassus Mucianus, qui pontifex max. L. Cornelio Scipioni Nasicae anno proximo Pergami mortuo successerat, ab Aristonico uictus et occisus est, hoc (114. 640) iam L. Metellus Delmaticus pontificum collegio praeerat.[1]) quod uero P. Mucius potissimum illi consuetudini finem imposuit, ciuium expectationem nouaque cognoscendi studium aliis rationibus expleri iudiciumque occupari intellexerat (Hulleman p. 41 sqq. Teuffel *Roem. Literaturg.* p. 120. Cichorius l. s. c. 2251) auctoritatemque tabularum minutam esse magisque minui, quo celerius res urbanae factionum cupiditatibus corrumperentur et per urbem uulgarentur. quod ipse uetera monumenta ex tablino in publicum edidit, diuersae causae in mentem ueniunt. forsitan Mucius indignatus, quod tabularum textus in tablino, ubi aliorum usui patebant, a gentium ambitiosarum libidine defendi non possent, eos quasi pontificum auctoritate sanctos omnium cognitioni proponere simulque, quam obnoxia regia incendii periculis esset expertus hanc ueterem memoriam publicatam seruare et, ut etiam ius ciuile ex antiquitate auctoritatibus repetitis fundauit, idem historiae incrementis libellorumque cupiditatibus et inuentis auctoritatem ueterum pontificum opponere uoluerit.[2])

Sed quaecumque huius rei causa fuit, alia difficultas oboritur octoginta librorum multitudine, in quos annuos commentarios (i. e. tabulas) relatos esse Seruius testatur, magnam hercle librorum molem; nam Liuius idem fere temporis spatium sexaginta comprehendit. itaque Mucium uel cui annales publici iuris faciendos mandauit, etiam res in ampliorem modum auxisse et exornasse sequeretur, quod a probabilitate abhorrere cum multi uidissent, uarias rationes excogitauerunt, quibus eum numerum explicarent. uelut Cichorius (l. s. c. 2254) ipsos pontificum fastos omnibus diebus expletis in illos libros receptos esse coniecit, quae opinio per se parum probabilis (uid. Soltau p. 259), si recte fastos ab annalibus maximis separauimus, concidit, Hulleman autem (p. 51) etiam post P. Mucium annales a pontificibus usque ad Verrii Flacci fere aetatem

---

1) Vid. C. Bardt *Die Priester der vier grossen Collegien aus roemisch-republikanischer Zeit.* Progr. gymn. Berol. Guil. 1871 p. 5 sqq. Muenzer *R. E.* IV c. 1504.

2) Paucis annis ante (148. 606) *uasto incendio Romae cum regia quoque ureretur, sacrarium et ex duabus altera laurus ex mediis ignibus inuiolatae exstiterunt* (Obseq. 19). Vid. Jordan *Topogr.* I 2 p. 426 sq.

continuatos et cum antiquis, quos ille ediderat, coniunctos esse infelici testimoniorum interpretatione elicuisse sibi uisus est (cf. Niemeyer l. s. p. 426), Soltau (p. 265 sqq.) senatus consulta, populi decreta, relationes aliamque materiam receptam, Pais (H. R. I 1 p. 27 sqq.) documentis subditiciis, quibus pontificum memoria stabiliretur, illam molem exaggeratam esse, idque non primum a Mucio sed iam antiquiore aetate, fortasse a Cornelio aliquo, qui etiam Ennii arte fingendi uteretur, similiterque Enmann (m. Rh. 57, 517—533)[1]) etiam ad Ti. Coruncanium (cos. 280. 474), qui primus ex plebe pontifex maximus creatus est (Liu. per. 18), memoriam Romanam, qualem postea Naeuius, Ennius, Cato ceterique scriptores uulgauerunt, rettulit. quae omnes suspiciones cum fundamentis careant (cf. Wuelker p. 62 sq.), etiam pugnant cum eis testimoniis quae de horum annalium indole certa accepimus. nam etsi pontifices a tabularum textu manus non abstinuisse edentes concedo (uid. P. Krueger *Geschichte des roemischen Rechts* p. 10 sq.), de qua re infra pluribus agemus, eosdemque rerum per singulos dies dispersarum genera (uelut prodigiorum) per annos congessisse[2]), monumenta tamen eorum annales sine ullis ornamentis temporum, hominum, locorum gestarumque rerum fuisse Cicero l. s. s. testatur idemque Atticum de legibus 1, 2, 6 dicentem facit: *Post annalis pontificum maximorum, quibus nil potest esse ieiunius*[3]), *si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi sem-*

---

1) Iam Closset, qui etiam alias res alienas cum pontificum annalibus miscuit, ex loco Bruti 14, 55, quo de Ti. Coruncanio agitur *(quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio ualuisse uideatur)*, uel cum eloquentia quadam a pontificibus annales scriptos esse deduxit (p. 428). neglexit tamen et Ciceronem non ad annales reuocare sed ad commentarios pontificum (uid. s. p. v) et ab eo non hoc dici, eloquentiam Coruncanii ex libris illis elucere, sed cum ex eis longe plurimum ingenio ualuisse uideretur, inde eum disertum fuisse posse conici.

2) Restare tamen ueteris secundum dies denuntiationis indicia Wuelker p. 55 animaduertit (nam eodem anno a Liuio 43, 13, 4 et 44, 18, 6 lapidatum esse tradidit), id quod non saepius factum esse inde explicatur, quod res ferebat, ut prodigia simul et procurarentur et nuntiarentur.

3) Libri manu scripti habent *iucundius. ieiunius* est coniectura Vrsini, quae nunc ab omnibus paene, etiam a Vahleno (uid. eius editionem alteram p. 8) probatur et Dauisii *incomtius* praefertur. etsi Bakio (in edit. ad h. l.) et Hullemano (p. 63) placuit. solus Huebner p. 412 codicum scripturam tuetur. at quod defendit: *Warum sollte nicht Cicero an jener kunstlosen exilitas der alten Priesterannalen so gut ein gewisses Vergnügen empfunden haben, wie wir an manchen alten Chroniken?* hoc et a Ciceronis ingenio abhorret et a toto huius loci tenore. cf. etiam de orat. l. s. s.

per in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes? quocum consentit Quintilianus inst. orat. 10, 2, 7: *Quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? nihil in poetis supra Liuium Andronicum, nihil in historiis supra pontificum annales haberemus, ratibus adhuc nauigaretur.* Ciceronem autem in pontificum sacrarium non penetrauisse sed in editis annalibus acquieuisse consentaneum est, si quidem ipse perlustrauit, non amici antiquitatis scientiae sua debet. sed maxime hanc editorum annalium conformationem Liuii narratio confirmat, in qua quorundam annorum res eadem exilitate et ieiunitate transiguntur. exempla infra p. XXVI sqq. proponam. nunc eas in quarta potissimum quintaque decade ita comparatas inueniri moneo, ut ad res domesticas et quae memoratu pontificum dignae fuisse uideantur (uelut collegarum mortes) pertineant, has autem copiae rerum maxime bellicarum inspersas esse, memoriam igitur uetustam pontificum et additamenta ornamentaque inferiorum scriptorum mixta esse.[1]) redeunt haec siue ad Claudium Quadrigarium siue ad Valerium Antiatem siue alios eius generis scriptores, qui gentis suae bellicosae studio id tribuerunt, operis sui aequabilitatem turbare non ueriti. ieiunitas autem illa memoriae apud Liuium ex annalibus maximis remansit, qua qui loci etiam in superioribus decadibus ab eius ubertate abhorrent, iure nostro ab eisdem deducemus. nam eorum memoriam ab antiquissimis temporibus atque etiam ab urbe condita repetitam esse accepimus. in libris quidem de re publ. 2, 15, 28 Cicero M. Manilium iuris consultum adeuntem fecit 'annales publicos', ut num rex Numa Pythagorae ipsius discipulus fuisset aut certe Pythagoreus, erueret[2]), unde aliud eius testimonium libri de orat., quod initio huius capitis exscripsimus, eodem fere tempore scriptum in eam sententiam interpretandam esse euincitur.

Certum autem nomen annalium maximorum tum demum illis pontificum tabulis inditum est, cum in unum corpus redactae et editae sunt. nam qui soli scriptores ante hoc tempus earum mentionem iniecerunt, Cato in orig. fr. 77 et Polybius (ann. max.

1) Vid. Nissen *Untersuch.* p. 56 sqq. 292 sqq. Soltau Philol. 52, 644. 55, 262 sqq. 272 sqq.

2) Sermonem illum a. 129. 625 habitum esse Cicero cum uoluerit, tum Mucium Scaeuolam iam munere suo pontificis perfunctum esse facile quis arbitratus sit, qui illum in talibus rebus parum curiosum fuisse nesciat.

fr. 1) ita eas significauerunt, ut dicerent *tabula quae apud pontificem maximum est* (ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος), quorum utrumque, si nouisset, illum breuiorem titulum spreturum fuisse non est credibile. post Mucium autem hic apud omnes increbuit eiusque origo postea inde deducebatur, quod pontifex maximus eos condidisset.[1] nunc autem uulgo eos annales, cum ederentur, propter annorum librorumque multitudinem maximos et fuisse et nominatos esse existimatur, atque nescio an etiam Cicero eandem sententiam secutus sit. nam quod l. s. s. *qui etiam nunc* inquit *annales maximi nominantur*, ea uerba uix poterunt aliter explicari nisi illos annales, etsi aliis, ut Cn. Gellii libris minimum nonaginta septem, admodum prolixis superati essent magnitudine, tamen etiam tunc maximos appellatos esse.[2]) praeterea eidem annales aliquot locis propter scriptores *pontificum maximorum annales* (Cic. de legg. 1, 2, 6. Quint. 10, 2, 7) et propter auctoritatem qua utebantur publicam *publici* dicuntur (Cic. de re p. 2, 15, 28. Diomed. 3 p. 484 K.)[3]), neque tamen sic eos inscriptos esse quisquam collegerit.

Quoniam igitur tabulas publice in regia propositas, post in tablino repositas et annales a Mucio editos distinximus, quaerendum erit, qua aetate illae proponi coeptae sint. cuius rei cum omnibus

1) Paulus s. u. p. 126: *Maximi annales appellabantur, non magnitudine sed quod eos pontifex maximus confecisset.* Macrob. sat. 3, 2, 17: *Hos annales appellant equidem maximos quasi a pontificibus maximis factos.* Seru. p. IV.

2) Hulleman p. 53 sic interpretatus est: *Crede mihi 'etiam nunc' dixit, quod, quamuis esset historiae scribendae cura pridem ad pontifices minores delata, ut tum pontificum scribae audiebant, nihilo minus uetus nomen manebat 'annales maximi'.* sed profectus est in ea re ab opinione, quam, cum nec per se probabilis esset nec ullo niteretur testimonio, falsam esse iam supra p. XIV monuimus. itaque ne illi quidem interpretationi adsentimur.

3) Verba Diomedis, qui temere ita loquitur, quasi etiam sua aetate mos annales max. conficiendi maneat, haec sunt: *Epos Latinum primus digne scripsit is* (*Ennius* coni. Reifferscheid), *qui res Romanorum decem et octo conplexus est libris, qui et annales inscribuntur, quod singulorum fere annorum actus contineant, sicut publici annales, quos pontifices scribaeque conficiunt.* — Quod uero hice annales publici appellabantur, minime sequitur eosdem *annales populi Romani* nominari potuisse. multum enim inter annales publicos et a. populi Romani interest. caue igitur Ciceronem (de dom. s. 32, 86), ubi ad *annales — populi Romani et monumenta uetustatis* prouocat, annales maximos in animo habuisse existimes. cf. Hulleman p. 53.

indiciis destituti simus, ex fide memoriae coniectura capienda est. nam auctoritatem rerum eo ipso tempore, quo cum gererentur litteris consignarentur, auctam esse consentaneum est. atqui Vestales post cladem Aliensem omnia sua sacra auferre potuisse traditum est (Liu. 5, 40, 7. Plut. Cam. 20), commentarios autem uel libros pontificum flammis combustos esse Liuius plane narrauit[1]): an tabulas illas, si iam antea propositae erant, quae et graues onere nec tantae curae essent pontificibus quantae commentarii uel libri, in quibus omnes caerimoniae continerentur, ab eis anxie seruatos esse existimabis? praesertim cum munere suo diurno functae essent. itaque Liuius etsi post urbem recuperatam cum aedificaretur, a tribunis militaribus foedera ac leges conquisitas esse commemorauit (6, 1, 10), illarum tabularum nusquam mentionem fecit, durat autem dubia et incerta rerum Romanarum memoria etiam per quinquaginta fere annos; inferiore igitur demum aetate, cum studium res Romanas noscendi augeretur multumque ciuitatis interesse coepisset, ut, quantum fieri posset, eadem apud omnes fama ualeret, hoc pontificibus esse datum negotium uidetur, ut rumorum uarietate remota unam rerum memoriam propagarent. hi enim praeter ceteros sacerdotes ad id idonei erant, quia mensurae et numerorum periti etiam hemerologia publicabant. illucescere autem cum bellis Samniticis certior rerum cognitio uidetur eaque per longum temporis spatium pontificum tabulis nixa, quas iam aliquot annis ante institutas esse probabile est. nam quod res ne a consulibus quidem a. 298. 456 gestae publica auctoritate diuisae sunt, eo factum est, quod in tabulis praescriptis magistratuum nominibus, quibus annus significaretur, consulum nomina non iterabantur (cf. Catonis or. fr. 88), sed res tantum modo gestae in ciuitatis cognitionem proferebantur; postea igitur in annalibus eiusdem anni nomina facile mutari potuerunt, ut tanta intercesserit discrepantia de rebus eiusdem anni consulum, uelut inter L. Cornelii Scipionis Barbati elogium marmori incisum et Liuium, qui unus eius res narrauit (uid. infra p. XLII sq.). etiam prodigia, quorum procuratio penes pontifices erat[2]), quoniam ea ante a. 249. 505 publice non

---

1) Haec plerorumque u. d. sententia est, Niebuhrii H. R. I p. 257 sq., Beckeri Antiq. I 7, Schwegleri H. R. I p. 38 sqq. II 3. III 270 sqq. Mommsen H. R. I p. 462. Pais H. R. I 1 p. 33. ceterum etiam postea pontificum tabulae in summo periculo fuerunt. identidem enim regia incendio flagrauit. uid. supra p. XIV.

2) Marquardt *Staatsverw.* III² p. 259 sqq. cf. Wissowa *Relig. d. Roemer*² p. 390 sqq.

esse adnotata Mommsen animaduertit[1]), ab eo tempore omnia post procurationem in tabulis, in quibus solis locus eis fuit, proposita esse sequitur; manent tamen alia ante eum annum nuntiata, de quibus cur dubitemus causa non est: itaque Wuelker (p. 58 sqq.) iam a. fere 304. 450 prodigia publice litteris mandata esse maluit. denique multas res de saeculo quinto a. Ch. narratas tanta similitudine cum rebus saeculo quarto gestis excellere (Pais I 2 p. 322 sqq. et passim) uidit, ut has ueritati respondere, illas eorum exemplo fictas esse existimandum sit. proinde quod Soltau p. 270 sq., Pais l. c.[2]), Kornemann Enmannum secutus p. 36 sqq. 47 suspicati sunt, ut aliquem numerum ponamus, a. fere 300. 454 res quae gererentur in tabulis notatas esse sumamus.

Fastos autem consulum iam antea in certum ordinem redactos esse ex indice eorum elucet. nam post a. 463. 291[3]) multasque corruptiones[4]) raro ab eo disceditur. itaque iam ante eum annum in uita publica desiderium excitatum erat haec monumenta temporum rationis firmandi et quasi sanciendi, quam ob rem talia potissimum post urbem recuperatam conquisita sunt. cum uero scientia antiquitatis in uita ciuili publice opus esse inciperet atque in regia quoque, quanta eius recordationis inter ciues uis esset, perspectum esset, etiam pontifices, in quorum tablino largi scaturiebant fontes commentariorum et librorum, tenacitate sacerdotali adiuti, ut qualem memoriam ab initio esse uellent, talis stabiliretur et uulgaretur, eam conformare decreuerunt, diligentius eas res, quas memoria hominum, qui tum uiuebant, atque eorum patrum complectebatur, perscrutati et secuti, ultra eam autem monumenta quaecunque poterant conquirentes, ne famam quidem aut commentaria gentilia aut Graeca inuenta spernentes. in specie tamen tabularum similitudinem imitabatur uel unus ille, qui semel illud opus confecit, uel per interualla plures deinceps, saepe haud inscite et inerudite; nam iam defectiones solis inde ab a. 403. 351 (uel 400. 354) uel ex aliis monumentis in annales suppletam transtulerunt uel computatione et ratione ipsi inuenerunt.[5]) fides tamen supplementorum omnino di-

1) in praef. Jahnii perioch. Liuian. edit. p. xx = Opusc. phil. p. 168 sqq. cf. Bernays Opusc. II p. 307 sq. Wuelker p. 7 sq. 56 sqq.

2) Quamquam non omnino ei adsentior; quae tamen restant similitudines ad hunc terminum definiendum sufficiunt.

3) Mommsen H. R. I p. 462. Chronol. p. 110 sqq.

4) Cf. Cichorius *De fastis consularibus antiquissimis* in *Lpz. Stud.* IX p. 171 sqq.

5) Ceterum admiratur h. l. Cicero eorum rationem atque soller-

uersa fuit. quid? quod ne in pontificum quidem tablino haec memoria corruptionibus libera fuit, intra cuius parietes gentes quaedam superstites ultra a. 366. 388 et in consulum fastis indices et in tabulis res ab eis gestas ambitione sua infecerunt. sed de hac in proximo capite disputabimus.

In tanta tamen annorum multitudine, quam annales maximi comprehendebant, ambitus librorum singulorum Liuianum aequare non potuit. itaque quoniam non solum tabulae (*δέλτοι*), *σελίδες*, uolumina, libri inter se numeris distincta sed etiam ampliores tabulae in partes quasdam capitaque diuisae sunt (*Geschichtl. Litter.* I p. 232 sqq.), speciem quandam illarum, cum unum corpus efficerent, etiam annales editos retinuisse atque horum libros tabularum breuitatem imitatos esse ueri simile est.[1])

Etiam apud Graecos similiter rerum gestarum memoriae prouisum est, neque casui hoc tribuo, apud eos ex indicibus magistratuum sacerdotumque (*ἀναγραφαῖς*) in multis ciuitatibus annales (*ὥρους*) exortos et Persarum bellorum aetate in publicum primum a Charone Lampsaceno editos esse eademque fere, certe diu ante Philochorum (qui a. 261 occisus est), etiam Athenis hoc litterarum genus exstitisse uideri (Wachsmuth, *Einleitung* p. 554 sqq.). multae quidem inter eos similitudines intercedunt, et scriptorum, quoniam ut pontifices Romani tabulas illas scribebant ediderumtque, sic inter atthidum scriptores rerum sacrarum interpretatio quorundam (*ἐξηγητῶν*) certis testimoniis constat (V. Koehler Herm. XXVI p. 45 n. 6), et formae, qua etiam apud hos ad annos signandos magistratuum nomina praescribebantur, et argumentorum; nam etiam in Graecorum annalibus adnotabatur piscibus pluisse, hirundinem albam suemque pennatum uisum, eodem anno ficos, uites, pomos bis fructus reddidisse[2]), quin etiam cum annales ederentur, ultra illa-

tiam, qui ex hac solis defectione omnes superiores usque ad Romulum reputauerint dicitque illius diem apud Ennium et in annalibus maximis consignatum esse, nihil uero addit id ibidem exstare, quod Seeck p. 127 sq. et Soltau p. 260 inde elicuerunt.

1) Non horum annalium imitatores Polybius (5, 33) in animo habet, ut Kornemann p. 16 uult, (*διότι τῶν καθ' ἡμᾶς τινες γραφόντων ἱστορίαν ἐν τρισὶν ἢ τέτταρσιν ἐξηγησάμενοι σελίσιν ἡμῖν τὸν Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων πόλεμον φασὶ τὰ καθόλου γράφειν*) sed eos aequales, qui in omnium gentium historia illud bellum nimis breuiter transegerant.

2) R. Stiehler, *Die griechischen Horographen* in Philol. VIII (1853) p. 395—413.

rum tabularum fidem ab origine urbis res repetitae sunt.[1]) itaque etiam in hoc genere Romanos Graecorum imitatores et in curiositate adnotandi et in audacia supplendi fuisse statuendum est, de tempore tamen, quo illi haec exempla secuti sunt, nihil hinc redundat.

Alia est quaestio, qua fide pontifices res Romanas in ciuium cognitionem protulerint, sed etiam haec, cum paucae res cum aliqua probabilitate ad annales maximos referendae sint, nec quantum eius memoriae quae nobis est tradita, pontificibus, quantum inferioribus rerum scriptoribus tribuendum sit, discernere possimus, certo euentu caruit; neque tamen illorum dignitati iniuriam inferemus, si saepe magis publicae salutis aut optimatium quam ueritatis rationem sibi habendam esse arbitratos eos suspicamur, resque non ut gestae erant sed ut eas uideri uolebant, ab eis propositas esse. nam et mentiri boni uiri esse tum uulgo existimabatur[2]), neque mendacia, quibus ut aut odium explerent aut gratiam aucuparentur, ne in hemerologiis quidem pepercissent, Censorinus pontificibus exprobrare ueritus est.[3]) denique in memoria Romana constituenda iam ante Mucii aetatem ex Graecae historiae cognitione pontificum iudicium studiumque ueritatis infectum turbatumque esse aliis litterarum generibus comparatis non mirabimur (*Geschichtl. Litter.* I p. 80. II p. 180 sqq.).

Sed cum annales maximi rerum Romanorum antiquissimi fontes

1) Vid. Seeck *Klio* IV p. 292 sqq. Kornemann l. s. p. 69.

2) Cf. *Wahrheit und Kunst* p. 289. 331 sqq. 429.

3) De die nat. 20, 6: *Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. sed horum plerique ob odium uel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusue fungeretur aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnoue esset, plus minusue ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro quia deprauarunt, adeo aberratum est, ut C. Caesar* et q. s. ex eodem fonte quo Censorinus (Varrone?) sua hausisse uidetur Macrobius sat. 1, 14, 1: *Verum fuit tempus, cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, non numquam uero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri uel imminui consulto anni dies uolebant, modo auctio modo retractio dierum proueniebat et sub specie obseruationis emergebat maior confusionis occasio. sed postea C. Caesar* et q. s. (Sueton. Caes. 40 *fastos correxit iam pridem uitio pontificum per intercalandi licentiam turbatos*). Solin. 1, 43: *Quod cum in initio Romani probassent, contemplatione numeri parilis offensi neglectum breui perdiderunt, translata in sacerdotes intercalandi potestate, qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtrahebant tempora uel augebant* (ex eo partim ad uerba Ammian. Marc. 26, 1, 12). cf. Marquardt *Staatsverw.* III² p. 286 sq.

habiti sint, paucissima eorum testimonia exstant. nam longe alia fuit apud ueteres ratio auctores adhibendi et indicandi, alia nunc est. tunc enim multo rarius quam nunc scriptor aliquis propter auctoritatis grauitatem laudabatur, saepius ut eius memoria refutaretur. quam ob rem, cum auctoritatem annalium publicorum tantam fuisse existimandum sit, ut nemo fere de ea dubitare auderet, ea citandi causa, quae tum frequentior esse solebat, hic omnino deerat. deinde is illa aetate potissimum auctor, qui proxime scripserat, in usum uocabatur et si qui in eo inesse uidebantur errores, ut refellerentur, citabatur, unde apud Liuium frequentissime Valerii Antiatis et Claudii Quadrigarii nomina nobis occurrunt. itaque a priscis quidem rerum scriptoribus suorum librorum lineamenta, ut ita dicam, secundum annales maximos depicta esse etsi nusquam confirmatur, tamen uix a quoquam negabitur. sed quoniam ei scriptores, quorum libri seruati sunt, multum aetate a Mucio Scaeuola distant et annalium max. uerba, ut a superioribus historicis recepta erant — perraro enim qui postea scribebant, ultra proximos auctores ad eos ipsos redisse statuendum est — plurimorum manibus propagata et ornata erant, dum ad illos peruenirent, factum est, ut paulatim eius usus expressa indicia detrita euanescerent, paucissima etiam nunc conspiciantur.[1])

Nam post Polybium, quem quo erat antiquitatis studio, in tablinum regiae, ut tabulas consuleret, penetrasse supra (p. XII sq.) exposuimus, atque Fabium Cinciumque, quos historiam scribere non potuisse, nisi ad eas adirent, infra uidebimus, annalium maximorum primus meminit Cicero, cum a. 55. 699 et 54. 700 in libris de oratore et de re publica componendis uersaretur; originem enim historiae Romanae ab illis, quos parum diligenter explicat, deducit (supra p. IV), semel eos citat (fr. 3) eorumque ieiunitatem reprehendit (u. s. XV sq.), fortasse ab Attico ad eos inspiciendos adductus[2]), tum Verrius Flaccus (fr. 4), ex quo addita annalium max.

---

1) Multo quidem plura collecta edidit Clericus (*Les journeaux chez les Rom.* p. 344 sqq.), sed eius opera prorsus irrita fuit. sine ullo enim iudicio ex eis locis, quibus simpliciter *annales* uel *annalium monumenta* commemorata erant, etsi iam Beaufort (I c. 4), ne quibus locis annales simpliciter laudarentur, annales maximi intellegerentur caueri iusserat, uiginti fere sepositos ad maximos pertinere opinatus est. si quis ea somnia cognoscere uelit, eum ad Hullemanum p. 12—32 relego.

2) Seeck p. 89 sq. Plurima ex ann. max. cum de re p. disputaret, hausisse Ciceronem suspicatus est Hulleman p. 68. at auctor primarius ei tum fuit Polybius.

auctoritate Gellius fabulam etiam uersu Hesiodi[1]) eleganter in Latinum sermonem translato distinctam in noctes suas Atticas recepit. nam et hunc non ipsum eos uidisse sed in libris Verrii inuenisse post Mercklinum (*Citiermethode d. Gell.* p. 651) inter omnes constat et eorum auctoritate, quae ad solam statuam Horatii Coclitis de caelo tactam procurandamque pertineret, falso etiam fabulam amplexum esse; omnino enim eius copia cum annalium ieiunitate discrepat atque ea ui uocis consultoris utitur, quae ab illa aetate (i. e. quinto urbis saeculo) abhorret (Buecheler mus. Rh. 41 p. 2).[2]) itaque quoniam Verrii temporibus, qui etiam undecimum librum citauit, supererant, ex sola illa historicorum consuetudine auctores recentiores quosque praeferendi et si reprehendi potuerint, nominandi causa repetenda est, cur nec Liuius nec Dionysius eorum annalium ullam mentionem iniecerint. nam quod hic 1, 73, 1 ut opus suum archaeologiae excusaret, sic scripsit: *Παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τι παραλαβὼν ἀνέγραψεν*, uulgatam opinionem, quam ex Cicerone cognouimus, Polybianae lectionis auxilio (1, 74, 3) correxit. ubi autem (4, 30, 3) ad *ἐνιαυσίους ἀναγραφὰς* contra Fabium (cf. fr. 11[b]) prouocat, omnino annales dicit easdemque auctoritates 8, 56, 1, ubi *τὴν γενομένην ἐπιφάνειαν τῆς θεοῦ* (Fortunae Muliebris) *κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον* (Coriolani) *οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ δὶς* ita narrat, ut *αἱ τῶν ἱεροφαντῶν* (pontificum) *περιέχουσι γραφαί*, et 11, 62, 3, ubi se confidere dicit non *ταῖς Ῥωμαϊκαῖς χρονογραφίαις* sed *ταῖς ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων βίβλων μαρτυρίαις*, quorum locorum ui coniuncta ad commentarios uel libros pontificum

---

1) Est Hesiodi ἔργ. κ. ἡμ. 266 ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη, qui iam Varronis temporibus apud Romanos in prouerbium uenit (de re rust. 3, 2, 1): *non solum, quod dicitur, malum consilium consultori est pessimum.* cf. Otto *Sprichwoerter* p. 90. Sine dubio imitatio historicorum Graecorum subest. uelut Duris ἐν Σαμίων ὥροις (fr. 47. 49. 68. cf. 80. 82 ap. Mueller. F. H. G. II p. 466 sqq.) prouerbia explicauerat atque Demon et Atticos annales et opus περὶ παροιμιῶν scripserat, quod multum a uiris doctis in usum uocatum est (F. H. G. I p. 379—383). imitati autem non erant pontifices sed Verrius Flaccus.

2) O. Hirschfeld Herm. IX p. 98 sqq. fastos Capitolinos auctore Augusto paulo post a. u. 742 ex ann. max. erutos esse censet, Seeck l. s. p. 92 etiam dies triumphorum atque (p. 96) uictoriarum, quas Ouidius in fastorum libro sexto (461. 465. 563. 567. 721. 765. 769. 770) enumerat, per Verrium ei notos fuisse.

trahimur[1]); denique quod 10, 1, 4 ad legem Terentiliam pergens inter uetera patrum consularisque imperii describit maxime *ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς βύβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι διὰ τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς κτλ.*, dierum fastorum nefastorumque tabulas dicit, quas ex pontificum penetralibus decemuiri populo patefecerunt, anno 304. 450 Cn. Flauius denuo edidit.[2]) Per quos uero Vopiscus (fr. 2), quae in annalibus max. — hi enim sine dubio apud eum intellegendi sunt — de interregno illo post Romulum inito memoriae tradita essent, acceperit, non liquet. utique ipse eos non uidit.

Quae in commentarios poetarum Romanorum eorum memoria propagata est, continetur eis, quae Seruius ad Vergilii uersum (1, 373), quo Aeneas *annales* laborum suorum commemorantem facit, nescio ex quo grammatico adnotauit, eisque quae Porphyrio, qui ad Horatium in epistula 2, 1, 26, ut ueterum fautores inrideret, illis uel duodecim tabulas, pontificum libros, annosa uolumina uatum ex Musarum ore fluxisse iocantem: *utrum annales an ius pontificale significat?* [3])

Sed ut unde egressa est disputatio mea redeat: non solum res, quae pontificum tabulis et annalibus expositae erant, ab historicis Romanis in libros suos transferebantur et ab uno alteri traditae propagabantur, uerum etiam dispositio et descriptio et ieiunum dicendi genus quasi exemplum eis erant proposita (Cic. l. p. III cit. de orat. 2, 12, 52).[4]) itaque factum est, ut hi pontificum annales etiam initia ipsius historiae Romanae fuisse existimarentur.[5])

---

1) Sic iam Becker Antiq. I 12, n. 18. Hulleman p. 8 sq.

2) Mommsen Chronol. p. 210. C. I. L. I² p. 283. — Maschke (*Das aelteste Fragment der Stadtchronik* in Philol. LIV p. 150—162) Plinium quae in nat. hist. 33, 17—20 de Cn. Flauio Appii Claudii scriba narraret, ex Valerio Antiate sumpsisse, hunc uero annales max. exornasse coniecit, neque tamen feliciter, id quod Muenzer *Quell. d. Plin.* p. 225 sqq. demonstrauit.

3) Quos '*antiquos annales*' Gellius 7, 7 de Acca Larentia et C. Taracia citavit, non fuerunt ann. max., ut Pais h. R. I 1 p. 30 uoluit, sed inferioris scriptoris, ut Valerii Antiatis a Masurio Sabino citati. uid. Mercklini *Citiermeth.* p. 645.

4) Cf. Ph. Fabia in *Journ. des Savants* 1900 p. 433—443 *(La règle annalistique dans l'historiographie Rom.)*

5) Cic. de legg. 1, 2, 6. Quintil. 10, 2, 7. — Quod Seeck p. 85 sqq. annalium max. libros octoginta a solis Cicerone et Verrio Flacco inspectos, in publicum non editos esse posuit, recte hoc Soltau maxime eorum ieiunitatis indolisque pontificiae in historia Romana uestigiis demonstratis refutauit (p. 266 sqq.).

Denique quoniam quae ratio intercesserit inter pontificum tabulas annalesque et eos, qui postea historiae operam dederunt, explicare temporum iniquitate, quae satis amplas annalium reliquias ad nos peruenire noluit, negatum est, nostrae historiae similitudinem comparemus, qua nescio an etiam Romanae primordia aliqua ex parte inlustrentur. nam quo loco apud Romanos pontificum, eo apud nos tabulae paschales positae sunt. etenim cum festi dies paschales a solis et lunae cursu penderent magnaque ex ea uarietate perturbatio orta esset, complures deinceps uiri docti, ut is error tolleretur, cyclis quibusdam repertis tabulas paschales, quae dicebantur, descripserunt, ex quibus undeuiginti annorum cyclus obtinuit. itaque per omnes ecclesias et monasteria tabulae ita compositae peruulgabantur, ut singulis cyclis singulae aut binae codicis paginae explerentur, margo autem pro operis dignitate satis amplus relinqueretur, qui, ut cum Pertzio loquar, uel tardioris ingenii hominem ad adnotandos praecipuos cuiusque anni euentus inuitaret.[1]) hinc igitur, posteaquam mos ad rerum memoriam seruandam fastis consularibus utendi cum consulibus ipsis aboleuit (uid. p. VIII), ille usus saeculo sexto in Britannia orsus per monachos Hibernos uel Scotos ad Francos, inde celeriter ad Belgas et Germanos transiit ansamque praebuit monachis notas ex tabula paschali separatim transcriptas in unum quasi corpus redigendi et usque ad suam aetatem continuandi.[2]) Sed apponam aliquot tabularum illarum, quas plurimas Pertzius edidit, notas, ut ex annalibus Einsidlensibus (l. s. script. III p. 142):

940. *Otto rex in Galliam usque Sequanam. Hugo et Heribertus uenerunt ad eum. Et postea Hug, filius Richarti, uenit.*

942. *Sidus simile cometae per* 14 *noctes uisum manifestius est; et inmensa mortalitas boum.*

946. *Otto rex in Galliam inferiorem.*

947. *Mirmidona uulcano consumitur.*

et ex annalibus Casinatibus (l. s. p. 172):

969. *Hoc anno sol obscuratus est, et magnus Otto Calabria ingressus est et accepit coniugem filio suo Ottoni neptem Iohanni Constantinopolitani imperatori, qui cognominatus est Cimiski.*

986. *Hoc anno defunctus est domnus Aligernus uenerabilis*

---

1) Exempla Pertzius in tabula prima Monum. German. scr. III ad p. 18 depinxit.

2) Pertz Monum. German. scr. I p. 1 sqq. Wattenbach *Deutschlands Geschichtsquellen* I^7 p. 64 sq., 155 sqq.

abbas, id est indictione 14. *et Manso in loco eius constitutus est abbate, nobis inuitis, hab Aloara principissa cum filio suo, adhuc puer princeps.*

992. *Hoc anno Landenolfus princeps Capuanus a suis crudeliter interfectus est, et Laydolfus germanus eius princeps constituerunt.*

In quibus notis idem est sonus qui in eis Liuii partibus, quae etsi non ex ipsis pontificum annalibus, tamen ex eis, qui paucis rebus et uerbis mutatis ex illis descripti sunt, originem trahere uidentur. exempla haec sunto: [1])

2, 16, 1 (505. 249): *Consules M. Valerius P. Postumius. eo anno bene pugnatum cum Sabinis. consules triumpharunt. maiore inde mole Sabini bellum parabant.*

2, 19, 1 (500. 254): *Consules Ser. Sulpicius M'. Tullius. nihil dignum memoria actum. T. Aebutius deinde et C. Vetusius. his consulibus Fidenae obsessae, Crustumeria capta, Praeneste ab Latinis ad Romanos desciuit. nec ultra bellum Latinum gliscens iam per aliquot annos dilatum* et q. s.

2, 40, 14 (487. 267): *Consules T. Sicinius et C. Aquilius. Sicinio Volsci, Aquilio Hernici (nam ii quoque in armis erant) prouincia euenit. eo anno Hernici deuicti, cum Volscis aequo Marte discessum est.*

3, 31, 1 (456. 298): *Deinde M. Valerius, Sp. Verginius consules facti. domi forisque otium fuit; annona propter aquarum intemperiem laboratum est. de Auentino publicando lata lex est. tribuni plebis idem refecti.*

4, 30, 4 (325. 429): *Consules L. Sergius Fidenas iterum, Hostus Lucretius Tricipitinus. nihil dignum dictu actum his consulibus. secuti eos consules A. Cornelius Cossus, T. Quinctius Poenus iterum. Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt. fama fuit quosdam ex Fidenatium iuuentute participes eius populationis*

---

1) Niebuhr H. R. II p. 5. Diodorus in annalibus suis Romanis si consulum fastis aliquid addit, eidem paene semper breuitati studet, quam supra ex Liuio notauimus. cf. Nitzsch *Annal.* p. 202 sqq. contra apud Dionysium, quas res supra breuiter indicatas uides, copiose enarratas et exornatas legis. cf. maxime Liu. 2, 16, 1 et Dion. 5, 37—39. L. 2, 19, 1 et D. 5, 52—58. L. 2, 21 et D. 5, 59—6, 34. L. 2, 40, 14 et D. 8, 64—68, quae exempla optime et annalium maximorum earumque historiarum, quae primae a Romanis scriptae sunt, ut Fabii Cinciique, breuitatem et posteriorum prolixitatem inlustrant.

fuisse, cognitioque eius rei L. Sergio et Q. Seruilio et Mam. Aemilio permissa. quidam Ostiam relegati, quod, cur per eos dies a Fidenis afuissent, parum constabat. colonorum additus numerus agerque iis bello interemptorum adsignatus. siccitate eo anno plurimum laboratum est, nec caelestes modo defuerunt aquae, sed terra quoque ingenito umore egens uix ad perennes suffecit amnes.

6, 5, 6—6, 2. 7, 15, 9. 9, 20, 1—4; 43, 25—26. 10, 47, 6—7.

Haec tamen exempla cum maximam partem ad eos annos pertineant, quibus tabulae dealbatae nondum in regia publice proponebantur et in tablino recondebantur, cum Soltauio (*Livius* p. 23), simul ut eos, qui annales pontificum suppleuerunt Liuioque materiam suppeditauerunt, tabulas dealbatas et 'per singulos dies' notis consignatas imitatos esse demonstrarem, unum ex tertia Liuii decade, quo totius anni 203. 551 res comprehensae sunt, eligere malui quam plura breuiora fragmenta coaceruare. aspectus igitur tabulae dealbatae et 'per singulos dies' notis consignatae, priusquam exeunte anno in tablinum reconderetur, hic fere fuit (30, 26):

(M. Seruilius, qui tum magister equitum erat, et Tib. Claudius Nero consules.) — Legatos ad regem, qui haec aduersus foedus facta uideri patribus nuntiarent, mittendos censuit senatus. missi C. Terentius Varro C. Mamilius M. Aurelius. iis tres quinqueremes datae.

Annus insignis incendio ingenti, quo cliuus Publicius ad solum exustus, et aquarum magnitudine et annonae uilitate fuit, praeterquam quod pace omnis Italia erat aperta, etiam quod magnam uim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falto et M. Fabius Buteo aediles curules quaternis aeris uicatim populo discripserunt.

Eodem anno Quintus Fabius Maximus moritur exactae aetatis (sequitur breuis laudatio). *augur in locum eius inauguratus Quintus Fabius Maximus filius, in eiusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba.*

Ludi Romani diem unum, plebeii ter toti instaurati ab aedilibus M. Sextio Sabino et Cn. Tremellio Flacco. hi ambo praetores facti et cum iis C. Liuius Salinator et C. Aurelius Cotta.

Religiosissime autem pontifices prodigia litteris mandare solebant simul cum eorum procuratione, idque maxime ut ciuium animi sedarentur, priusquam consules praetoresque in prouincias proficiscerentur, quae auctor quidam Liuii ad uerbum describere solebat Liuiusque in tertia, quarta, quinta decade ex eo, aliús tamen ne ab eis quidem indicibus manus abstinuit. discrimen igitur ieiu-

nitatis ipsorum annalium maximorum et artis copiaeque quorundam scriptorum aetate inferiorum ex comparatis hisce locis apparebit[1]; nam Liuius eiusdem anni prodigia procurationemque ex utroque genere auctorum sub diuersis annis (192.562 et 193.561) in opus suum leuiter recepit:

34, 55, 1—4: *Principio anni, quo L. Cornelius Q. Minucius consules fuerunt, terrae motus ita crebri nuntiabantur, ut non rei tantum ipsius sed feriarum quoque ob id indictarum homines taederet, nam neque senatus haberi neque res publica administrari poterat sacrificando expiandoque occupatis consulibus. postremo decemuiris adire libros iussis ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. coronati ad omnia puluinaria supplicauerunt, edictumque est, ut omnes qui ex una familia essent supplicarent pariter. item ex auctoritate senatus consules edixerunt, ne quis, quo die terrae motu nuntiato feriae indictae essent, eo die alium terrae motum nuntiaret.*

35, 40, 7: *Romae per idem tempus duo maximi fuerunt terrores. — terra dies duodequadraginta mouit. per totidem dies feriae in sollicitudine ac metu fuere; triduum eius rei causa supplicatio habita est.*

Tum uero apud nos ad illarum tabularum paschalium exemplum, quibus eas tantum modo res, quae tum ipsum gestae essent, in posteritatis memoriam litteris consignatas esse tenendum est, etiam ab origine mundi res repetebantur et, cum raro hic illic fabulae quaedam insererentur, plerumque eorum, qui ante scripserant, etiam uerba iterarentur, admodum ieiune enumerabantur usque ad eius qui scribebat aetatem, hae autem prolixius et copiosius enarrabantur. quae contemplantibus fieri non potest quin nobis in mentem ueniat Dionysii de Q. Fabio Pictore et L. Cincio Alimento sic iudicantis (1, 6, 2): τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν (uid. infra de Q. Fabio P.). ne multa, eandem inter tabulas pontificum suppletas et ab origine urbis repetitas, quae ut posteritatis cognitioni prodessent, in tablino conditae seruabantur, et Fabium Cinciumque rationem intercessisse apparebit, quam

1) Cf. Wuelker *Prodigienwesen* p. 64 sqq.

nunc esse cernimus inter tabulas paschales adnotatas et, ut exempla afferamus, annales Quedlinburgenses et Hildesheimenses.[1])

Verum tamen, ut nostra historia ad altiorem gradum escenderet, factum est eorum annalium auxilio, qui Carolo Magno auctore, ut imperii gloria augeretur, condebantur, primum Laurissenses (maiores) qui dicuntur, tum ab Einhardo uel quisquis illos Caroli publicos annales conscripsit, ab eo, ad cuius auctoritatem annales Bertiniani referendi sunt, a Prudentio episcopo Turonensi, denique a monachis Fuldensibus.[2]) hic enim quamquam prima historiae lex ueritatis neglecta et imperatoris laudi posthabita est, tamen relicta illa tabularum paschalium siccitate et exilitate paullatim liberius et copiosius historia euagari coepit, unde etiam illi historiae, quae alia ratione non habita solas res memoriae tradiderat, maior est additus sonus.

Sed ut apud nos imperatores, sic apud Romanos familiae quaedam nobiles eis, quae ad memoriam laudum domesticarum conscripserant, totam populi sui historiam maxime adiuuere et promouere. de his commentariis nunc pluribus est disputandum.

---

1) Monum. III p. 22—90. — Monum. III p. 22—116. cf. Wattenbach *Geschichtsquellen* I[7] p. 377 sqq. 384.

2) L. Ranke *Zur Kritik fränkisch-deutscher Reichsannalisten* Oper. LI p. 115 sqq. Wattenbach I[7] p. 210 sqq. 277 sq. 244 sqq.

II. DE LITTERARVM MONVMENTIS PRIVATIS[1])

Apud Athenienses antiquitus in originem gentium docte inquisitum[2]) neque tamen fictionibus fraudibusque temperatum esse Ioannes Toepffer peculiari libro (*Attische Genealogie* 1889) exposuit. uelut Theodorus 'ὁ *Παναγὴς προσαγορευόμενος*' gentem suam Cerycum a Ceryce Mercurii et Aglauri, filiae Cecropis, filio pluribus libris repetiuit (p. 81 sq.), Andron Atheniensis Eumolpidis, cum agrestem ferumque Thraecem Eumolpum perhorrescerent, unum ex eius posteris, uatem pium Eleusinium, filium Musaei, auctoris sacrorum Eleusiniorum, substituit (p. 27 sq.), multosque rerum scriptores in eo genere uersatos esse, Hecataeum, Acusilaum, Hellanicum, constat idque Romae uiros litteratos imitatos esse (uid. infra p. XXXVIII sq.). sed his etiam ipse fastus gentilis antiquitus erat insitus et coniunctione sanguinis propagabatur, quamquam totos se soli rei publicae dare religionis Romanae esse censebant. *magnum est enim*, ut ait Cicero de off. 1, 17, 55, *eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia*, atque etiam populus 'stupebat in titulis et imaginibus', ut Horatius (sat. 1, 6, 17) risit.

Hinc igitur illud ius gentilicium exortum est in alarum parietibus maiorum cereas imagines constituendi et stemmata depingendi[3]), subscribebanturque illis tituli et elogia, quae non solum mera nomina et nudos honores continebant sed etiam rerum gestarum breuem conspectum.[4]) itaque semper gentilibus gentis suae memoriae

---

1) Vid. W. Soltau *Die roem. Laudationen und ihr Einfluss auf die Annalistik* in *Ztschr. f. Geschichtswiss.* 1897/8 p. 105—121 et *Liuius* p. 95—100.

2) Herod. 2, 143 *πρότερον δὲ Ἑκαταίῳ τῷ λογοποιῷ ἐν Θήβῃσι γενεηλογήσαντί τε ἑωυτὸν καὶ ἀναδήσαντι τὴν πατριὴν ἐς ἑκκαιδέκατον θεὸν ἐποίησαν οἱ ἱρέες τοῦ Διὸς οἷόν τι καὶ ἐμοὶ οὐ γενεηλογήσαντι ἐμεωυτόν.*

3) V. praeter alios Mommsen Staatsr. I³ 442 sqq. C. I. L. I² p. 185 sqq.

4) Prima quaeque Suetonii uitarum capita originem ducere ex elogiis saepe est animaduersum. cf. Galb. 3: *Imagines et elogia uniuersi generis exsequi longum est.* Mommsen *R. F.* I p. 251 n. 2. Versibus elogia antiquitus conscripta esse Huelsen (in C. I. L. l. s.) ex Graecorum u. *ἐλεγεῖον* deduxit.

quasi summarium ante oculos erat propositum: qua re cui Romano non iniectum esse existimas studium et in superiores res inquirendi nobilitatemque generis augendi et, ne qua res a se gesta obliuione obrueretur, praesentes in scriptum referendi? qui mos ex arcanis domesticis etiam in publicum penetrauit. nam Appius Claudius Pulcher, qui a. 79. 675 consul fuit[1]), clipeatas imagines maiorum suorum omnibus honoribus additis in Bellonae templo[2]) publice in excelso posuit, atque etiam uiri docti in eruendis uirorum clarorum originibus magnam partem industriae et doctrinae suae posuerunt, maxime T. Pomponius Atticus, qui, ut alios eius libellos nunc omittam, etiam in annali suo 'sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum uirorum propagines possimus cognoscere' (Corn. Nep. Att. 18, 2).

Diserta tamen unius gentis curae gentiliciae memoria nobis seruata est, Porciae (plebeiae) a Gellio (n. Att. 13, 20, 17), qui locus cum omnem eius historiam libris commentariis tum laudationes funebres ea comprehensas esse docet: *Haec Sulpicius Apollinaris audientibus nobis [de filiis, nepotibus, pronepotibus M. Porcii Catonis Censorii] dixit. quae postea ita esse, uti dixerat, cognouimus, cum et laudationes funebres et librum commentarium de familia Porcia legeremus.* Nam iam primo liberae rei publicae anno P. Valerium L. Iunii Bruti collegae mortui memoriam funebri oratione seu laudatione prosecutum esse accepimus (Dion. 5, 17. Plut. Popl. 9. Ioann. Lyd. de mag. I 33 p. 145 Bk. 34 W.).[3]) quod etsi ex inferiore aetate ad illam superiorem relatum esse consentaneum est, tamen quin is mos, quem summa eius admiratione im-

---

1) Plinius (nat. hist. 35, 12), cui hanc rem debemus, quod ad Appium Claudium consulem a. 259. 495 rettulit, erroris conuictus est a Mommseno l. s. nunc B. Starkium secutus Muenzer (*Quellen d. Plin.* p. 124 sq. *R. E.* III c. 2849) illos clipeos App. Claudium Pulchrum cos. a. 79. 675 dicasse coniecit, cui coniecturae fauet, quod Plinius pergit: *Post eum M. Aemilius collega in consulatu Q. Lutatii* (i. e. a. 78. 676) *non in basilica modo Aemilia, uerum et domi suae posuit, id quoque Martio exemplo.*

2) Liu. 10, 19, 17. cf. Jordan-Huelsen *Röm. Topogr.* III p. 552 sq.

3) Vid. de laudationibus Perizonius animadu. hist. p. 213 sqq. ed. Harl. Westermann *Gesch. d. röm. Beredtsamkeit* I p. 29 sq. Cadenbach *De Roman. laudat. orat.* in progr. Essens. 1832. E. Huebner Herm. I p. 438 sqq. Fr. Vollmer *Laudationum funebrium Romanorum historia et reliquiarum editio* (Suppl. ann. phil. XVIII p. 447—528⁰. cf. *Berlin. phil. Wochenschr.* XII [1892] c. 1421—24). — H. Graffii de Romanorum laudationibus commentationem (Dorpat 1862) non noui.

butus descripsit Polybius 6, 53—54, antiquissimus fuerit, non potest dubitari.[1]) omnino diuersus autem erat a more Graeco, ut iam ab antiquis scriptoribus animaduersum et expositum est (Dionys. l. s.). neque enim apud Romanos plurium mortes una oratione simul celebrabantur sed uniuscuiusque nobilium.[2]) cum eius corpus in forum deportatum erat, separatim is honos pro rostris habebatur, uel ab uno ex cognatis uel adfinibus uel in funere publico a magistratu aliquo, cui id negotium ex senatus consulto mandatum erat.[3]) tum primum uirtutes et res gestae enarrabantur et ornabantur maiorum[4]),

---

1) Iniuria Huebner Herm. I p. 440 Marquardtum eo nomine reprehendit, quod (ant. 5, 1 p. 58) de huius laudandi moris uetustate dubitauerit. agit enim eo loco uir ille doctissimus de mulierum tantum modo laudationibus.

2) Etiam mulieres, posteaquam Q. Lutatius Catulus cos. a. 102. 652 initium in Popillia matre fecit (Cic. de orat. 2, 11, 44), laudari solebant. antea singulis quibusdam is honos extra ordinem decernebatur, ut matronis illis, quae, ut Gallis summa pactae mercedis solueretur, aurum contulerant (Liu. 5, 50, 7. Plut. Cam. 8). duarum laudationum de mulieribus (Turia, ut quibusdam uisum est, et Matidia, Hadriani socru) habitarum et in marmore incisarum fragmenta ediderunt et commentario instruxerunt Th. Mommsen (*Zwei Sepulcralreden aus der Zeit Augusts und Hadrians* in *Phil. u. hist. Abhandl. der Berl. Acad.* 1863 p. 455 sqq. = C. I. L. VI n. 1527. XIV 3579) et Vollmer l. s. p. 491—515. 516—525. sed ut utrum Murdiae laudatio (C. I. L. VI n. 10230) ita, ut antea habita erat, lapidi insculpta an scripta tantum modo sit, in medio reliquit Rudorff, qui copiose de ea egit in *Phil. u. hist. Abhandl. d. Berl. Acad.* 1868 p. 217—268, ita de Turiae dubitauit Mommsen (p. 464), quippe qua maritus non populum sed solam coniugem alloqueretur; utrique locum suum inter laudationes restituere conatus est Vollmer p. 484 sq. 494 sq.

3) Quintil. inst. 3, 7, 2. uid. Vollmer p. 454 sq. peruulgatum eum morem fuisse iam ante a. 43. 711, quo certa eius exempla tradita sunt, ex haud exiguo numero uirorum eo ipso anno publice elatorum patet, uid. Vollmer (*De funere publico Romanorum* 1892, in supplem. ann. phil. XIX p. 321—364) p. 340, ceterorum funerum frequentia ex Horatii sat. 1, 6, 43: *At hic, si plostra ducenta concurrantque foro tria funera magna, sonabit cornua quod uincatque tubas.*

4) Exemplo sit huius laudationum partis fragmentum quoddam ex Caesaris oratione, cum quaestor Iuliam amitam laudaret, a Suetonio decerptum Caesarisque uitae (c. 6) insertum: *Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis inmortalibus coniunctum est. nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* Imitati sunt in hac re

qui cereis imaginibus repraesentati in sellis eburneis circum sedebant, initio ab auctore generis facto[1]), deinde ipsius qui mortuus erat[2]), idque ita, ut eum aut respondisse illorum nobilitati aut humilius genus illustrasse factis doceretur, cuius rei larga materia et doctrina in rhetorum scholis praecipiebatur (cf. Cic. de orat. 2, 11, 44 sqq.; 84, 340 sqq.).

Ex his autem laudationibus quaedam litteris mandatae etiam in publicum emissae sunt, ut extra gentem legerentur. in nostram cognitionem peruenerunt haece[3]):

1. (1 Vollm.) Laudatio L. Caecilii Metelli omnium antiquissima a. 221. 533 a filio habita, a Plinio n. h. 7, 139 citata (Muenzer *R. E.* III c. 1203 sq.).

2. (3 Vollm.) laudatio M. Claudii Marcelli a. 208. 546 a M. filio habita, in qua pluribus eius mors erat enarrata, qua etiam Coelius Antipater usus est, fr. 29 (Liu. 27, 27, 13).

3. (2 Vollm.) laudatio Q. filii consularis, quam habuit Q. Fabius Maximus Cunctator inter a. 207. 547 et 203. 551. Muenzer *R. E.* VI c. 1789 sq. Plut. Fab. 1: *οὐ γὰρ ἐπῆν ὡραϊσμὸς οὐδὲ κενὴ καὶ*

Romani Graecos, cf. Thucydidis orationem Periclis 2, 36: *Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τῶν προγόνων πρῶτον.*

1) Hunc enim ordinem per se consentaneum diserte indicat Polybius 6, 54, 1 *πλὴν ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος, ἐπὰν διέλθῃ τὸν περὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου καὶ τὰς πράξεις*, dummodo *ἐπὰν διέλθῃ* recte interpretemur '*postquam persequi coepit*' coll. 1, 13, 10 *βραχὺ ἐπιμελέστερον πειρασόμεθα διελθεῖν ὑπὲρ τοῦ πρώτου συστάντος πολέμου Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις περὶ Σικελίας*, quacum interpretatione Tacitus consentit ann. 13, 3: *Die funeris laudationem eius* [Claudii Nero] *princeps exorsus est, dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita: postquam ad prouidentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret.*

2) *λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις* Polyb. 6, 53, 2.

3) Omisi et eas, quas nihil aliud nisi dictas esse accepimus, et elogia in lapidibus insculpta, quae num uere in laudationum locum substituta sint, parum constat, et id libellorum genus, quo mortuorum memoriam scriptores ad suas quisque rationes referebant, ut Cicero Catonis Vticensis uel Porciae (ap. Baiter. XI p. 67. 69. Mueller. IV 3 p. 327. 330), ex quo 'exitus illustrium uirorum' Neruae Traianique aetate effloruerunt. *Geschichtl. Litter.* I p. 184 sqq. Omnium fragmenta composuit et explicauit Vollmer p. 480—527.

ἀγοραῖος χάρις, ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ἅς μάλιστα ταῖς Θουκυδίδου προσεοικέναι λέγουσι. διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον. cf. Cic. de senect. 4, 12, ubi Catonem loquentem facit '*est in manibus laudatio*'.

4. 5. (4 Vollm.) laudationes P. Scipionis Africani a. 129. 625 a C. Laelio Q. Tuberoni et Q. Fabio Maximo scriptae. quarum illam Cicero commemorauit (de or. 2, 84, 341), ex hac scholiasta Bobiensis Ciceronis (pro Mil. II 283 Or. cf. Cic. pro Mur. 36, 75) fragmentum seruauit. Meyer or. Rom. rel. p. 174 sq. Vollmer l. s. p. 460. Muenzer *R. E.* IV c. 1460.

6. (5 Vollm.) laudatio Iuliae amitae a Caesare quaestore a. 68. 686 habita, ex qua Suetonius fragmentum attulit (uid. p. XXXII n. 4). Meyer p. 413 sq.[1])

7. (10 Vollm.) laudatio M. Claudii Marcelli a Caesare Augusto a. 23. 731 habita, ex qua Seruius (auctus in Verg. Aen. 1, 712) uerba quaedam citauit quamque Plutarchus (Marc. 30. comp. c. Pelop. 1) uel eius auctor inspexisse uidetur. Meyer p. 520 sq.

8. 9. (6. 7 Vollm.) laudationes Appii Claudii Pulchri soceri, qui a. 48. 706 in Euboea mortuus est, et M. Porcii Catonis auunculi, qui a. 46. 708 Vticae se interemit, a M. Iunio Bruto eo consilio scriptae erant, ne illo honore carerent, quarum ex illa pauca uerba Diomedes (p. 327, 26 K.) seruauit, de hac a. 45. 709 Caesar ad Ciceronem scripsit, Cicero ad Atticum (ad Att. 13, 46, 2. 12, 21, 1). Meyer p. 448 et 450.[2])

Sed etiam ceterae laudationes litteris consignabantur, ut et scientiam rerum a maioribus gestarum apud posteros confirmarent, quas nescire Cicero nobilibus etiam opprobrio dat (*o ἀνιστορησίαν turpem* ad Att. 6, 1, 17), et aliorum gentilium usui seruirent, de quo haec Cicero uerba fecit (Brut. 16, 61): *Nec uero habeo quemquam [Catone Censorio] antiquiorem, cuius quidem scripta pro-*

---

1) Num Corneliae uxoris laudationem, item e more pro rostris habitam, publicauerit (Suet. Caes. 62. cf. Plut. Caes. 5), non constat.

2) Laudationes Porcias ideo supra non recensuimus, quia non potest dignosci, de quibus dictae sint, quamquam ex eis quae antea (c. 20, 10) exposuerat Gellius de M. Porcii Censorii nepotis (cos. 118. 636) eloquentia cum aliqua probabilitatis specie laudationes ab hoc habitas Gellio in manibus fuisse colligi potest. Mercklin *Citiermeth. d. Gell.* p. 678.

ferenda putem, nisi quem Appi Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. et hercules hae quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam et q. s.[1])

Materia igitur sic composita (i. e. laudationes funebres et liber commentarius de familia, quae recte a Gellio coniuncta esse uidebis) posteris laudaturis suppetebat, a quibus, cum laudarent, etiam eas res, quas ipsorum memoria complectebatur, si fama gentilis nondum satis superiecerat, ne nimis a maiorum uirtute deficerent, arte et ratione auctas esse per se probabile est. adiuuabantur actis, quae ipsi gentiles, dum magistratus administrabant, publice litteris mandauerant; antiquus enim is erat mos, ut eis perfuncti omnes eas tabulas uel publicas uel priuatas commentariosque in suis tablinis reponerent[2]), quoniam haec tradidit Festus s. u. p. 356: *Tablinum proxime atrium locus dicitur, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulis ⟨reponendis eum destinauerant⟩* et Plinius n. h. 35, 7 (post-

1) Idem decem ante annis de orat. 2, 84, 341 Antonium artificiose Graecorum laudationes a Romanis ita discernentem induxerat, ut illos eas legendi delectandique causa scriptitauisse exponeret, Romanorum, cum eis in foro uterentur, aut brevitatem testimonii habere aut ad funebrem contionem scribi (cf. de legg. 2, 24, 62 *honoratorum uirorum laudes in contione memorentur*), quae ad explicandam orationis laudem minime accommodata esset, hac igitur de causa praecepta de hoc tertio genere dicendi recusantem, nihilo tamen minus eum locum tractantem, quoniam eo esset 'utendum aliquando' (sc. in foro), 'nonnumquam etiam scribendum' uel aliis uel sibi 'Graecorum more' i. e. ornate delectationis causa, disputationemque ita concludit (c. 85, 349): *atque his locis laudandi et uituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.* cursum igitur Cicero non tenuit oblitus sensim Romanae laudationis mortuorum, sed miscuit diuersa genera et tempora, ut iam in eodem libro (c. 11, 44), ubi Antonius se uehementer delectatum esse professus erat, cum Q. Lutatius Catulus, uir ille elegantissimus Graecisque litteris doctissimus, Popilliam matrem publice laudaret (uid. s. p. xxxii n. 2).

2) Vid. Mommsen *Sui modi usati da' Romani nel conservare e pubblicare le leggi ed i senatus consulti* in Opusc. iur. III p. 290—313 (p. 295 sq.): *In tempi antichissimi i documenti così concepiti rimanevano senza dubbio al pari di altri atti pubblici nelle mani di quel magistrato che principalmente avea procurato che si scrivessero, in quelle adunque de' consoli.* Lewis *Glaubwürdigk. d. röm. Gesch.* I p. 144 uers. Liebr. *Geschichtl. Litt.* I p. 205 sq. 223 sqq.

quam de maiorum imaginibus et stemmatis egit): *Tabulina codicibus implebantur et monimentis rerum in magistratu gestarum.* quae consuetudo, etsi iam legibus Valeriis Horatiis arbitrio periculoque priuatim supprimendi uel uitiandi senatus consulta cautum erat (Liu. 3, 55, 13), ne Ciceronis quidem temporibus omnino aboleuerat (pro Sulla 14, 41 sq.), neque de lege quidquam accepimus, qua idem de ueteribus priuatim adseruatis constitutum esset.[1]) itaque etiam Dionysius Halicarnasensis Romae in compluribus familiis nobilibus etiam suae aetatis censorios commentarios exstare et a se inspectos esse memoriae prodidit exemplumque exscripsit, quo unius cuiusque censurae res esse expositas praemissis et consulibus et annis liberae rei publicae discimus.[2]) quod autem hi potissimum commentarii collecti anxia cura et separatim a patribus custoditi filiis traditi sunt, haec exemplorum copia, si qui eius-

---

1) Alia ratio erat eorum collegarum, qui posteaquam cooptati uel capti erant, per totam uitam communi uinculo coniungebantur, i. e. sacerdotum. pontifices quidem ut suam arcam ita suum tablinum habuisse iam supra uidimus. qua de causa Liuius ubi uniuersam memoriam litteris propagatam complectitur, queritur (6, 1, 2), 'si quae (litterae) in commentariis pontificum aliisque publicis priuatisque erant monumentis', incendio Gallico 'plerasque' interisse (Premerstein *R. E.* IV c. 755).

2) archaeol. 1, 74, 5 *Δηλοῦται δὲ* (tempus ab initio consulatus usque ad incendium Gallicum) *ἐξ ἄλλων τε πολλῶν καὶ τῶν καλουμένων τιμητικῶν ὑπομνημάτων, ἃ διαδέχεται παῖς παρὰ πατρὸς καὶ περὶ πολλοῦ ποιεῖται τοῖς μεθ᾽ ἑαυτὸν ἐσομένοις ὥσπερ ἱερὰ πατρῷα παραδιδόναι. πολλοὶ δ᾽ εἰσὶν ἀπὸ τῶν τιμητικῶν οἴκων ἄνδρες ἐπιφανεῖς οἱ διαφυλάττοντες αὐτά· ἐν οἷς εὑρίσκω δευτέρῳ πρότερον ἔτει τῆς ἁλώσεως τίμησιν ὑπὸ τοῦ Ῥωμαίων δήμου γενομένην, ᾗ παραγέγραπται καθάπερ καὶ ταῖς ἄλλαις χρόνος οὗτος· Ὑπατεύοντος Λευκίου Οὐαλερίου Ποτίτου καὶ Τίτου Μαλλίου Καπιτωλίνου* (a. 393/2. 361/2) *μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἑνὸς δέοντι εἰκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει.* Censores tum fuerunt C. Iulius et L. Papirius Cursor, qui mortuo collega M. Cornelium Maluginensem subrogauit (Liu. 5, 31, 6. 9, 34, 20). unde tabulas illas, quas uidit Dionysius, aut ex gente Iulia aut ex Papiria aut ex Cornelia originem duxisse probabile est. (Aliud Papiriae gentis commentariorum priuatorum indicium Ihne Hist. Rom. I p. 400 in ea re inesse existimat, quod quae res a Papiriis in Samnitium bellis gestae essent, ultra modum auctae sint.) Distinxi igitur haec priuata documenta a publicis uel tabulis uel libris uel commentariis, quae cuiuis consulenti patebant (ut Varroni Ciceronique, cf. Mommsen *Staatsr.* II² p. 361. III 245), itemque a numeris ciuium censorum, qui a Dionysio (4, 22, 2 *ὡς ἐν τοῖς τιμητικοῖς φέρεται γράμμασιν*) citati in aede Nympharum a Sex. Clodio incensi sunt, *ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam extingueret* (Cic. pro Mil. 27, 73).

dem familiae ad illud munus ascendissent, admodum utilis fuit.[1]) nam etiam praeter commentarios tabulasque publice constitutas, quibus disciplina moresque ciuium regebantur, multa obseruanda erant quasi arcana eius magistratus.

Itaque Romae non in uita publica, ut Athenis, sed intra domos priuatas etiam mutatis dominis triumphantes 'erat stimulatio ingens', ut ait Plinius n. h. 35, 7, 'exprobrantibus tectis cottidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum', sed ne hic quidem uitium alienas imagines suae genti inserendi probro censorio notabat, quippe cui 'etiam mentiri clarorum imagines esset aliquis uirtutum amor'. etiam Cicero (qui loco Bruti s. s. ita pergit: *quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut si ego me a M'. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seruio Sulpicio consul anno decimo post exactos reges fuit*) in eodem libro (11, 42) rhetoribus concesserat 'ementiri in historiis, ut aliquid dicere possent argutius' (*Geschichtl. Litter.* II p. 185 sqq.), similiterque Liuius (id ipsa eius narratio probat) de diuersis famis eam eligere haud dubitasse uidetur, quae propter argutias magis placeret, dum mendaciis offensus examinandique molestiis fatigatus extremis uerbis libri octaui in uitiatam funebribus laudibus falsisque imaginum titulis inuehitur, quo loco quam potissimum gentem in animo habuerit, infra explicabimus, nunc de eis disputabimus, quas nominaverit.[2]) primum exemplum est L. Minucii, quem, cum patricia eius nominis gens non ultra a. 366. 388 appareret, plebeia posteritas Augurinorum uel Ruforum uel Thermorum (Mommsen *R. F.* I 66 sq. II 213 sqq.), ut laudem Maelianae seditionis oppressae sibi uindicaret, tum (a. 439. 315) 'transisse a patribus ad plebem undecimumque tribunum plebis cooptatum' esse finxisse 'falsoque imaginis titulo confirmasse' uidetur, quod mendacium 'quorundam

1) Cf. Ranke (*Die roem. Paepste, Saemtl. Werke* XXXVII *Vorr.* p. VII): *In Venedig hatten einst die grossen Häuser fast sämtlich die Gewohnheit, sich neben einer Bibliothek auch ein Cabinet von Handschriften anzulegen. Die Natur der Sache bringt es mit sich, dass sich diese vornehmlich auf die Angelegenheiten der Republik bezogen: sie repräsentirten den Antheil, welchen die Familie an den öffentlichen Geschäften genommen: als Denkmäler des Hauses, zur Unterstützung seiner jüngeren* ***Mitglieder wurden sie aufbewahrt.***

2) Exempla Valeriana ad id caput, quo de Antiate agam, seposui.

nominibus res notauit (uide infra de Catone), hinc Cicero in libro altero de re p. (c. 1) eundem exposuisse rettulit ob hanc causam praestare suae ciuitatis statum ceteris, quod non unius esset ingenio sed multorum nec unius hominis uita sed aliquot constituta esset saeculis et aetatibus — nimirum qua gloria fruebantur, hanc a re p. ad ipsos redundare sentiebat —, hinc pontifices maximi in tabulis suis singulorum uirorum laudi satis prouisum esse existumabant, si nomina consulum in summa tabula praescripsissent.[1]) accedebat quod antiquitus consules prouincias non sortiebantur sed ambo coniuncti quod bellum suscipiendum erat gerebant neque si diuersis locis, binos nominare intererat. quam quidem rationem etiam Fabius Pictor retinuit, ut ex Liuio 10, 37, 14 haec de consulatu L. Postumii et M. Atilii a. 294. 460 prodente cognoscimus: *Et huius anni parum constans memoria est. Postumium auctor est Claudius in Samnio captis aliquot urbibus in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum; ab Atilio in Etruria res gestas eumque triumphasse. Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule, non adiecit) et ad Luceriam utrimque multos occisos* et q. s.[2]) omnesque rerum scriptores ueterum temporum, ut idem Liuius de a. 502. 252 testatur 2, 17, 3: *uineis incensis, multis hostium uulneratis et occisis consulum quoque alterum (sed utrum auctores non adiciunt) graui uulnere ex equo deiectum prope interfecerunt)*, qui quidem etiam ipse anni proximi res inter consules non diuisit (c. 16, 7—9).[3]) denique aliqua ex parte excusabimus quod gentes nobiles, ut titulorum honores augerent, in loca stemmatum fastorumque uacua inrepserunt atque etiam aliena per fraudem occupauerunt.

Tum uero cognomina in consuetudine cottidiana a nobilibus antiquitus usurpabantur, in titulis sepulcralibus et honorariis et in numis non ante bellum Hannibalis, in legibus et senatus consultis

---

1) Vid. s. p. XI sq. cf. Cicer. de re p. 2, 18, 33: *temporum illorum tantum fere regum inlustrata sunt nomina.*

2) Hinc huius ipsius anni memoria suppletis consulum nominibus confusa est, cf. adn. ad Fab. fr. 19, neque igitur, si eadem res sub diuersis nominibus relata sit, continuo de ueritate ipsius rei dubitabimus.

3) De hac quaestione pluribus disputauit Ben. Niese in Obseruationibus (prioribus) de annalibus Romanis (in indice lect. Marburgens. aest. a. 1886).

non ante Sullam (Mommsen *R. F.* I p. 46 sqq.)[1]), ab historicis autem praeter notissimos uiros non ante Licinium Macrum.[2]) itaque quoniam Romani in uita publica documentisque publicis discrimina stirpium non curabant, curabant gentes in suis, facile intra cancellos publicos a gentilibus cognomina mutari uel fingi poterant[3]), hinc autem omnino in uulgus nominum incuria emanare. quae quidem etiam in fastorum publicorum confectionem inuasit, qua, si apud auctores quidam consules diuersa nomina gerebant, utrumque coniungebant (Cichorius p. 232). contra gentes habebant cur quam plenissime suos notarent, et in sarcophagis, ut L. Cornelium Scipionem Barbatum consulem a. 298. 456 modo mortuum in margine superiore uno cognomine, in antica etiam duobus (in ceteris quoque uel uno uel binis), et in historia sua; neque enim casu factum est, ut Liuius (uel eius auctor) ubi primum Q. Fabium Maximum Rullianum in scaenam bellicam produxit, etiam duobus cognominibus ornauerit (8, 29, 9): Fabium Pictorem secutus erat. quodsi scriptores gentiles suos ita praeter ceteros cognominibus insignire solebant, eisdem consulum gentilium etiam nomina in narratione interponere pronum erat.

Denique illud breuiter moneo, consulum nomina ordinemque omnino ante pontificum tabularum annaliumque initia nondum omni ex parte fuisse constituta, ut Liuius (2, 21, 2) spe superiorum annorum res ordinandi abiecta de anno pugnae Regillensis incertus exclamet: *Hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum apud quosdam inuenio: A. Postumium, quia collega dubiae fidei fuerit, se consulatu abdicasse, dictatorem inde factum. tanti errores implicant temporum aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosnam nec quid quoque anno actum sit,*

---

1) Quae ultra eum hinc Nitzsch p. 26 sqq. effecisse sibi uisus est, E. Heydenreich *Fabius Pictor u. Livius* (1878) p. 13 sqq. redarguit.

2) Cichorius *De fastis consul. antiquis* in *Leipz. Stud.* IX p. 183 sqq.

3) Sic (cum Luebberto *De gent. Quinct. comment. domesticis* p. 20. *De g. Furiae c. dom.* p. 9) Cichorius p. 259 causam iteratae narrationis (apud Liuium et Dionysium) de seruato consule Romano, et Sp. Furio a. 464. 290 a T. Quinctio Capitolino et L. Minucio a. 458. 296 a L. Quinctio Cincinnato, expediuit. nam cum 'consulem ab hostibus circumuentum obsessione liberatum esse a Quinctio' in antiquis annalibus inuenissent, idque diuersis annis, ne gentem Quinctiam gloria sua annumque rebus gestis spoliarent, aliqui scriptores ex uno duos Quinctios effecerunt.

in tanta uetustate non rerum modo sed etiam auctorum digerere possis.[1])

Quae cum res ita sint comparatae, non mirabimur, quod etiam qui elogia composuerunt magna cum confidentia gloriae uirorum laudandorum inseruierunt. nam non solum numerum triumphorum auxerunt, ut L. Aemilii Pauli, qui regem Persen uicit (tribus pro duobus), unius ex maioribus suis naturalibus in arcu Fabiano sub statua eius Q. Fabius Maximus (C. I. L. I² p. 193. cf. Mommsen ad h. l. et *Roem. Muenzwesen* p. 633), sed etiam alienas res mortuo attribuerunt; sic elogium Appii Claudii Caeci (C. I. L. I² p. 192), quod sine dubio ex memoria gentili fluxit, haec de eo praedicauit: *Complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit.*[2]) consul hic fuit a. 307. 447 et 296. 458, utroque cum L. Volumnio. at uero priore eum Romae mansisse Liuius scripsit 9, 42, 4, altero a senatu in Etruriam missum nihil 'scite aut fortunate' gessisse et solo collegae aduentu adiutum ab eoque, cum cunctaretur, coactum in tempore Samnites ab illo in Etruriam pulsos uicisse (10, 18—20), cum Volumnius et in hac pugna Tuscos sibi occurrentes repelleret et in Samnio tribus ('compluribus') castellis potitus esset ipsorumque ex Etruria reuersus in Campania ad sex milia caederet, duo milia et quingentos caperet. haec igitur memoria admodum turbata est, idque historia Fabiana (quod ex multis rebus elucere infra demonstrabimus), ut Liuius, quamquam ad trinos annales confugit (10, 17, 11 sq.; 18, 7), rem tamen expedire non posset et ipse sibi obloqueretur: illo tamen elogio constat Volumnii laudem cum collega communicatam et Sabinis deuictis[3]) cumulatam esse. quae aberratio a ueritate explicari uel excusari non potest nisi ita, ut in pontificum tabulis res consulum nominibus non notatos esse, consules autem illa aetate plerumque coniunctos bella gessisse meminerimus aut si diuersis locis, eos in tabulis non distinctos esse.

Nunc etiam quae ratio inter L. Cornelii Scipionis Barbati elogium in marmori sarcophagi incisum narrationemque Liuianam (10, 12), qua una res in consulatu eius gestae copiosius expositae sunt, intercedat, certius iudicare posse nobis uidemur. haec enim illud (C. I. L. I 29. Buecheler in carm. lat. epigr. p. 6):

1) Cf. Nitzsch *Annal.* p. 53 sqq.

2) Ex eadem elogiorum sylloge De uir. ill. 34, 6.

3) Cf. B. Bruno *La terza guerra Sannitica* (Roma 1906) et *Berlin. philol. Wochenschr.* 1907 c. 239.

Cornelius Lucius Scipio Barbatus Gnaiuod patre prognatus, fortis uir sapiensque, quoius forma uirtutei parisuma fuit, consol censor aidilis quei fuit apud uos, Taurasia Cisauna Samnio cepit, subigit omne Loucanam opsidesque abdoucit.

Liuius autem a. 298. 456 initio Lucanos ad nouos consules uenisse narrat, qui de Samnitium iniuriis quererentur et obsides iungendi foederis offerrent, tum icto foedere et bello Samnitibus indicto diuersos consules partitos in prouincias suas profectos esse, Scipionem in Etruriam, Cn. Fuluium in Samnium. illum incerto Marte cum Tuscis pugnasse, tum omnia igni ferroque uastasse, etiam castella uicosque, urbibus tamen abstinuisse. more annalium maximorum alterius consulis laudem absoluit: *Cn. Fuluii consulis clara pugna in Samnio ad Bouianum haudquaquam ambiguae uictoriae fuit. Bouianum inde adgressus nec ita multo post Aufidenam ui cepit.* eundem Fuluium 'de Samnitibus Etruscisque' triumphasse acta Capitolina tradiderunt. atqui post Fr. Ritschelium omnes uiri docti[1]) hoc carmen sexto urbis saeculo incisum esse consentiunt, etiam post filium mortuum[2]), qua re eius auctoritas minui uidetur, cum Liuiana triumphi testimonio corroboretur. itaque eo animus inclinat, ut Scipionis posteros, quae consules aut consociati aut diuersis locis feliciter gessissent, praetermissa Etruria ad maiorem suum coniuncta rettulisse interpretemur, Liuium autem suo iure Fuluium, cum triumphasset, maiore laude dignatum esse, res tamen falso inter consules distribuisse aut eius auctorem certiores fontes adisse.[3]) similiter igitur res se habet atque in causa Claudiana, nisi quod poeta Cornelianus fraudis crimine forsitan absoluendus sit, restet leuitatis uel erroris atque in Lucania subacta obsidibusque abductis fastus gentilis, quo quod arte consules effecerant (Liu. c. 11, 13. cf. Dionys. 16, 11), armorum euentui adsignatum est.

Sed etiam in historia eiusdem studii indicia inuenimus, plurima et grauissima gentis Fabiae. ne spoliemus eam laude con-

---

1) Mommsen C. I. L. I p. 16 sq. Hist. Rom. I⁹ p. 463. 455. Buecheler l. s.

2) i. e. post a. 240. 514 sec. Woelfflinum *Sitzungsber. d. bayr. Akad. d. Wiss.* 1892 p. 192 sqq., qui id ab Ennio compositum esse suspicatus est.

3) Etiam honor flamonii Dialis carmini P. Cornelii Scipionis fort. Africani maioris filii, minoris patris adoptiui in sarcophago (C. I. L. I 33 p. 19) postea praepositus est, uid. Buecheler l. s. p. 7. Totius inscriptionis fidem obtinet Ben. Niese in Obseru. (I) p. IV. Hist. Rom.³ p. 63. propius ad me accessit Muenzer *R. E.* IV c. 1488 sqq.

sulatus, ad quem quasi sidus exsurrexerunt, per septem annos (485. 269—479. 275) administrati, qui honor ne Valeriis quidem contigit Niebuhrioque (II p. 198 sqq.) tam mirus esse uisus est, ut nouam tum rationem consules creandi institutam esse coniceret, aut patrum auctoritatis contra Sp. Cassium tribunosque constanter defensae, pergamus egressum omnium Fabiorum mortemque praeter unum summa laude celebrare, explicare subitum transitum a patribus ad plebis causam, quo, priusquam ad Cremeram proficiscerentur, 'ingens' et populare eorum nomen factum est, admirari Q. Fabium Maximum Rullianum, qui quinquiens consul hostibus audacter et impauide petendis Tuscos et Samnites egregie perdomuit, Q. Fabium Maximum Verrucosum item quinquiens consulem, qui cunctando restituit rem.

Quamquam fabulis haec fundamenta, quae fato et uirtute uirorum quorundam insignium iacta sunt, superstructa et ornata esse neminem fugit. uerum tamen uersari nolumus in eis disserendis, quae admiratio et recordatio popularis finxit et addidit; nam docte et diligenter F. Muenzer (*R. E.* VI c. 1739 sqq.) exposuit, quae in ipsis Fabiorum rebus enarratis cum fide pugnare uideantur.[1]) nostrum nunc erit, quod nemodum dedita opera exposuit, persequi, quae in eorum memoria ita tradita sint, ut artem atque ingenium scriptoris gentilicii plus minusue manufesta prodant. atque primum quidem Liuius, isque in plurimis rebus cum Dionysio concinens, simulatque ad Fabios peruenit, lactea sua ubertate luxuriatur, ubi mirum quantum cum exilitate discrepat, qua aliorum annorum res absoluit. copiosa in his ei suppetebat materia etiam dictorum fabellarumque, qua eum fruentem delectari quasi ipsi legentes sentimus, non minus autem arte exornandae et amplificandae historiae in his potissimum capitibus excellit, ut saepe numero in eis dubitationem nostram moueat. quod igitur Dionysius (9, 22) ubi fieri non potuisse disputat, ut de sex illis et trecentis Fabiis unus impubes puer Romae relictus gentem propagaret, *μύθοις δὴ ταῦτά γε καὶ πλάσμασι θεατρικοῖς* similia esse dicit, hoc crimen etiam in Liuium Fabiana inlustrantem aut in auctorem eius cadit. Graecorum quorundam scriptorum ut Phylarchi nobis in mentem uenit.

Sed res in gratiam Fabiorum non solum narratae et exornatae sunt, sed etiam consulto mutatae ac fictae, saepe ita ut eadem res

---

1) Cf. praeter alios etiam Schweglerum II p. 494 sqq. 519 sqq. Du Rieu *De gente Fabia.*

diuersis annis retractaretur aut, si uiri qui gessissent, dubii essent aut minus noti, Fabii insererentur. quod ut demonstrem, a dictaturis Q. Fabii Maximi Rulliani exordiar, de quibus Diodorus, cui de rebus Romanis Fabium Pictorem uel ipsum uel alium aliquem qui Pictorem excerpsit, primarium auctorem fuisse infra exponemus, haec narrat (19, 72, 3): a. 315. 439 eum cum Q. Aulio magistro equitum contra Samnites Roma missum esse exercitumque eius ad Lautulas cum hostibus conflixisse et in fugam coniectum esse in eaque Aulium, cum solus frustra restitisset, ne ignominiam haberet, mortem oppetisse; Romanos autem a Luceria profectos belli fortunam restituisse. tum de altera dictatura a. 313. 441 (19, 101, 3): Fabium Fregellas expugnasse, unde ducentos ciues deductos Romae securi percussisset, tum Calatiam arcemque Nolanam, ubi magnam praedam uendidisset militibusque agros donasset. omnia igitur ad inlustrandam Q. Fabii dictaturam spectant ab eaque gente eam famam compositam esse uix quisquam negabit, praesertim si ex Liuio (9, 22, 4) suppleuerit 'nihil consulto dictatore' magistrum eq. solum pugnam commisisse idque a Diodoro in excerpendo neglectum esse suspicatus erit. conexus narrationis paene hoc flagitat. at uero fasti consulares C. Poetelii Visoli dictaturam eiusque magistrum M. Poetelium testantur eandemque famam etiam Liuius cognouit, qui (9, 28, 3) a C. Poetelio dictatore Fregellas, tum in appendice siue ab hoc siue a C. Iunio consule (*'nam utrumque memoratur'*) captas esse tradidit idemque 'apud quosdam auctores' inuenerat pugnam Lautulensem a. 315. 439 Romanis aduersam fuisse (9, 23, 5). etiam in tenore narrationis dictatoris laudi, etsi eum bis milites adhortantem induxit, pepercit partemque eius cum C. Fabio, quem in locum Aulii magistri eq. suffectum esse rettulit (c. 23, 6), communicauit neque tamen diuersas famas subtiliter distinxit sed miscuit resque horum trium annorum, etiam loca et tempora omnino turbauit.[1]) nos tamen si integram famam Fabii Pictoris, qualem Diodorus seruauit, cum Liuio comparauerimus, nimis eum studio gentili diffisum anni 313. 441 dictaturam tacuisse intellegemus, de priore autem Fabianis ornamentis fucoque carere non potuisse, ut cum Diodori excerptis haud ita discrepet.[2])

1) Vid. P. Binneboessel *Untersuchungen ueber Quellen u. Geschichte des zweiten Samniterkrieges* (Diss. Hal. 1893), qui diligentissime de his difficultatibus egit p. 7 sqq. 47 sqq. Mommsen *R. F.* II p. 242—245 de C. Poetelii dictatura dubitauit, Niebuhr III p. 275 sq. de Fabiana.

2) Contra Diodorus 14, 113, 4 Fabiorum ante cladem Aliensem Clu-

Pluribus locis Liuius imprudentius se Fabii auctoritati addixit, quod tum maxime elucet, si consulibus coniunctis bellum gerentibus collegae secundas partes agere solent et uix significantur, Fabii autem narratiuncularum ornamentis in scaenam promouentur et saepe nominantur. exempla aliquot componam: ut bellum Veiens, quod ut suum et quasi familiare unus ex Fabiis apud eum exposcit (2,48,9), eius gentis quam maxime laudibus expleat, a. 481. 273 K. Fabium consulem ad id mittit, Sp. Furium collegam contra Aequos, 'ubi nihil memoria dignum gestum est', illum autem cum equitibus uicisse narrat, cum pedites obsequi nollent (2, 43, qua re Dionysio teste 9, 3 etiam clades accepta est), tum uero anno proximo M. Fabium consulem creatum, cum Cn. Manlius collega iam seditioni militum concessisset, egregie et suos et hostes superasse (c. 44—47, uid. Muenzer *R. E.* VI c. 1873 sqq.). deinde a. 479. 275 'a Veiente hoste clades accepta temeritate alterius consulis (T. Verginii) actumque de exercitu foret, ni K. Fabius (ex Aequis) in tempore subsidio uenisset', ut Liuius (2, 48, 5) scribit; a. 423. 331 collega Q. Fabii Vibulani C. Sempronius Atratinus contra Volscos profectus 'omnia temere ac neglegenter agit' primoque proelio 'incaute inconsulteque commisso omnibus locis cedit', dum Sex. Tempanius decurio equitum rem restituit Fabiusque in statione ante urbem territam positus redeuntes excipit (4, 37—41). Ne in consulibus quidem praedicandis Fabiorum admiratio Liuiana adquiescit. nam a. 486. 268 K. Fabius et L. Valerius quaestores Sp. Cassio perduellionis diem dicunt (Liu. 2, 41, 11, qui id 'inuenit apud quosdam idque propius fidem est' = Dionys. 8, 77, 2), a. 462. 292 Q. Fabius, cum consules abessent, ipse praefectus urbis esset, atrocissime C. Terentilii Harsae legi restitit (Liu. 3, 9, 6, at apud Dionysium 10, 24 a. 458. 296 L. Quinctium Cincinnatum ab agro arcessit), a. 437. 317 M. Fabius Vibulanus consularis legatus M. Aemilium dictatorem sequitur, ut Fidenati bello excellat (4, 19, 8), a. 431. 323 idem cum A. Postumii Tuberti legatus in bello Volscorum esset, dictatorem consulemque in discrimine uirtute imperioque aequat (4, 27, 9; 28, Muenzer l. s. c. 1881), a. 390. 364 M. Fabio[1]) pontifice maximo carmen praefante seniores Romae remanentes se pro patria Quiritibusque deuouent ('*sunt qui tradant*' 5, 41, 3), a. 370. 384 M. Fa-

---

sium missorum nomen omisit, quia Pictor gentem omni culpa motae Gallorum irae et expeditionis liberare uoluerat; Liuius 5, 35, 5 eos nominauit. uid. Mommsen *R. F.* II p. 303 sqq.

1) *Folio* cod. Veronensis exhibet, uid. Mommsen *R. F.* I 114; Plutarchus (Cam. 21) tamen eum M. Fabium nominat.

bius Ambustus tribunus militum, socer Stolonis, legum Liciniarum Sextiarum non solum suasor sed etiam auctor est (6, 34, 5 sqq.; 36, 7 sqq.), a. 335. 419 M. Fabius 'captiuus Romanus' de Calibus expugnatis bene meretur (8, 16, 9), de qua laude nihil aliunde notum est; etiam Dorsuo ille, qui a. 390. 364 de Capitolio per medios Gallos descendit et redit, a Liuio eiusque asseclis Fabii nomine insignitur et ad statum genti Fabiae in colle Quirinali sacrificium faciendum ire ausus est (5, 46, 2).[1])

Sed etiam ratio et consilium obtrectationis in rebus conformandis ex Liuii narratione perlucet, simulatque Fabia gens cum Corneliis aut cum Appiis Claudiis concurrit. nam postquam res egregie contra Samnites a. 322. 432 a dictatore A. Cornelio Aruina gestas enarrauit (8, 38 sq.), aliis libris comparatis id bellum a consulibus, L. Fuluio et Q. Fabio Maximo, gestum esse eosque de Samnitibus triumphasse, Cornelium autem ludorum Romanorum causa dictatorem creatum esse addit[2]), qua discrepantia excitatus querellas suas in haec uerba iam supra commemorata de uitiata familiarum mendaciis memoria effudit (8, 40, 4): *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa. nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.* quam indignationem Fabiae gentis adrogantia, cuius laudationis antea meminerat, motam esse, quoniam de Fuluia nihil compertum habemus, certe ueri simillimum est. aliud exemplum bella Volscorum praebent.[3]) nam a. 459. 295 Liuius Q. Fabium Vibulanum consulem egregias uictorias de Volscis

1) Cognomen Dorsuonis bis cum duobus aliis Fabiis coniungitur. Etiam Mommsen fabulam ex Fabio Pictore repetiit (*R. F.* II p. 319 sqq. Muenzer l. s. c. 1768). — Quaedam Fabiorum res ne Liuio quidem probandae uisae sunt, ut a. 396. 358 C. Fabius consul 'incaute atque inconsulte aduersus Tarquinienses pugnauit' (7, 15, 9), saepius tamen clades acceptas insecuta uictoria compensat (a. 398. 356, Liu. 7, 17) aut culpa liberat (a. 302. 452: 10, 3, 4. a. 449. 305: 3, 41, 8 sqq.), qua in re hic illic Liuio Dionysius suffragatur. Muenzer l. s. c. 1881 sqq.

2) Etiam in actis uterque consul de Samnitibus triumphat, Fabius etiam de Apulis (cf. Liu. c. 40, 1: *quidam auctores sunt — Fabium etiam in Apuliam processisse atque inde magnas praedas egisse*). auctor de uir. ill. 32, 1 solum Fabii triumphum commemorauit, Plinius 7, 136 solum Fuluii.

3) Schwegler II p. 720 sqq. Luebbert *De gentium Rom. commentariis domesticis* p. 9—15.

ad Antium et de Aequis in Algido reportantem fecit (3, 22 sq.), contra Dionysius (10, 20 sq.) in multis rebus cum eo consentiens Fabium facili opera de Aequis Volscisque in Algido, collegam L. Cornelium Maluginensem, qui apud Liuium Romae remanserat, de Volscis urbemque Antium denuo expugnantem, utrumque tamen triumphantem, qua in re acta triumphalia cum eo faciunt; sed idem res a. 485. 269 gestas ita inter Ser. Cornelium et Q. Fabium partitus est (8, 82), ut illius bellum contra Veientes parum gloriosum uix quinque uersibus, huius contra Volscos euentum uiginti septem exponat. quodsi Liuius l. s. (3, 23, 7) haec adnotauit: *Eodem anno descisse Antiates apud plerosque auctores inuenio. L. Cornelium consulem id bellum gessisse oppidumque cepisse certum adfirmare, quia nulla apud uetustiores eius rei mentio est, non ausim*, uetustiores autem auctores, qui Cornelii laudem silentio texerunt, Fabii auxerunt, Pictorem esse consequitur.

Similiter aliqua ex parte res se habere uidetur de Claudiis. Ciminiae quidem siluae transitum solum Q. Fabium Maximum consulem, qua fuisset uirtute et audacia, suscepisse Liuius memorat (9, 36, 1, Alpium Hannibalis reminiscimur), primumque eundem Diodorus (20, 35, 4, cf. Binneboessel p. 13 sqq. 76 sq.), neque tamen temere ille (qui fabula quoque eum exornauit), cum speculatum in Etruriam misisset Marcum fratrem: *consulis fratrem M. Fabium, Caesonem alii, C. Claudium quidam matre eadem qua consulem genitum tradunt* (c. 36, 3): etiam hac igitur speculationis laude 'alii' C. Claudium spoliauerant, ex quibus hoc quoque Liuius hausisse uidetur, quod Q. Fabium in altero decemuiratu iuxta Appium Claudium (Crassum), cuius ministrum et ipse (3, 44, 5) et Dionysius (11, 28, 5) in causa Verginiae M. Claudium nominauerunt, principem, 'egregium olim domi militiaeque' (de quo Diodorus 12, 24, 1 tacuit), a collegis ita mutatum esse scripsit, 'ut Appii quam sui similis mallet esse' (3, 41, 8 sq.). Maxime tamen Appii Claudii Caeci imperatoriis artibus et laudibus obtrectauit. nam cum iam a. 308. 446 Q. Fabius consul 'alienae sortis uictor belli' fuisset, proximi autem App. Claudius et L. Volumnius consules creati essent, Appium Romae mansisse, 'ut urbanis artibus opes augeret', Volumnium 'multa secunda proelia fecisse, aliquot urbes hostium ui cepisse' Liuius breuiter memorat, pluribus Fabium imperio a senatu propagato 'minime ambigue' Samnites uicisse (9, 42), ut alterius quoque consulis merita adripuerit, eademque ratio iterata apud Liuium exstat 10, 16—19 in altero consulatu App. Claudii et L. Volumnii a. 296.

458, quo ueteres consules (i. e. anni 297. 457) Q. Fabius et P. Decius 'prorogato in sex menses imperio' egregie in Etruria et Samnio bellum gerunt, App. Claudius autem cum imperium suscepisset, 'nihil scite aut fortunate gerens' solo collegae aduentu ex angustiis suis eripitur (uid. p. LIII), eiusdemque de praetura, qua in Etruria a. inseq. functus est, nihil memorabile Liuius tradidit, plura de Fabii noui consulis, cui extra sortem eius prouincia decreta esset, aduentu, qui a militibus summa cum alacritate salutatus esset, quam gloriae occupationem postea in urbe Appius criminationibus ultus esset.[1]) denique omnem historiam a. 310. 444—295. 459 Fabiorum arrogantia confusam esse ne Liuium quidem fugit, qui postquam a Decio tres hostium urbes expugnatas esse narrauit (10, 17), de his urbibus duas quosdam annales ad Fabium, unam ad Decium eius collegam traxisse, quosdam ad nouos consules, i. e. ad App. Claudium et Volumnium, quosdam ad hunc (Volumnium) solum in appendice adnotauit.[2]) quin etiam aliis quoque collegis Claudiorum Liuius ultra modum fauet; sic P. Seruilio a. 495. 259, collegae App. Claudii Sabini, et lenitate indolis suae plebem incitatam flectenti et hostes Volscos uincenti (2, 23, 15 sqq.), quam laudem Dionysius (6, 23—33) etiam exaggerat triumphoque eum cumulat (c. 30, 2), aut T. Quinctio a. 471. 283 eodem remedio, cum milites App. Claudium (Crassum) odio exacerbati a Volscis uinci uoluissent, egregiam uictoriam ab Aequis reportanti (Liu. 2, 58—60), item cum Dionysio (9, 41—50) concinens.

Iam uero quaestio oboritur, num qua causa eius gentium obtrectationis fuisse uideatur. atqui fieri potuisse concedimus ut antiquitus Fabii Corneliis inuiderent et, qua erant potentia, laudes suas auctas in pontificum tabulas referrent; neque enim tum inter patricios factiones defuerunt (Schwegler II p. 503). sed grauissimum inter eos exarsit certamen belli Hannibalis aetate inter Q. Fabium Maximum Cunctatorem et P. Cornelium Scipionem Africanum. Sagunto enim capto bellum continuo indicendum unus ex Corneliis

1) Liv. 10, 22, 7—9; 24, 18; 25, 4—9. — 10, 25, 13—16; 26, 6. cf. de uir. ill. 34, 5.

2) Vnde Liuius 22, 31, 8—11 dubitationem suam de Q. Fabii Maximi dictatura a. 217. 537 repetierit, quem, cum non a consule sed a populo dictus esset, '*pro dictatore*' dicendum fuisse disputat, nescimus, certe ab aduersario aliquo gentis Fabiae, nam 'res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentis titulum imaginis posteros, ut qui pro dictatore fuisset, dictator crederetur, facile obtinuisse'. Vid. Coelii fr. 21 c. adn.

(L. Lentulus Caudinus), antea res a Carthaginiensibus repetendas esse Fabii suaserunt, amplasque tum orationes illos ipsos de armis in Africam transferendis Liuius induxit (28, 40—44) atque etiam quindecim annis post in Pleminii causa Fabium acriter in Cornelium inuehentem (29, 19); denique ut notam famam Plutarchus (Fab. c. 25 sq. compar. 2. cf. Cat. mai. 3) eorum discidium pluribus explicauit. sed ut illa dissensio de initiis belli Polybii auctoritate *οὐ μὰ Δία* Romanos de bello dubitasse contra quosdam scriptores testantis[1]) obscurata est, ita omnino inferiore aetate, qua gens Cornelia et longe Fabiam consulatuum numero aliorumque honorum superare coepit et praecones inuenerat Ennium Polybiumque, Corneliorum auctoritati Fabius Pictor cessit. eo pluris euanescentis memoriae reliquiae aestimandae sunt.

Omnibus igitur quas exposui causis trahimur ad Cunctatoris aequalem, quibus nunc etiam unam adiungam ex Liuii citatione sumptam, qui postquam Q. Fabii magistri equitum iniussu dictatoris ad Inbrinium uictoriam reportatam et uiginti milia hostium caesa esse narrauit idque 'antiquissimos auctores' secutus, in quibusdam annalibus bis eum uicisse inueniri, in aliis totam rem praetermissam esse supplet, tum autem de spoliis concrematis Fabium auctorem nominat (8, 30, 7—9 = Fab. fr. 18), ut illud significet a Fabio ut antiquissimo auctore se eius rei memoriam repetisse, i. e. a Pictore.

Claudiis uero eum certa causa sua aetate adductum obtrectasse argumentari non possum. at uehementissimum certamen inter Rullianum Appiumque Caecum centum annis ante fuerat, iam in bello altero Samnitium gerendo, quo a. 307. 447 App. Claudio L. Volumnio coss. Fabio 'maxime Appio aduersante imperium' prorogatum est (Liu. 9, 42, 2), tum uero in censura, qua Fabius omnia, quibus ille in sua 'senatum inquinauerat', antiquauit concordiamque ciuilem factione forensi turbatam restituit. sic enim Liuius, qui de hac re Appii censuram paucis uerbis transegerat (9, 29, 8), Fabii magistratum praedicauit Maximique cognomen ab 'hac ordinum temperatione' deduxit (9, 46, 10 sqq.) consentitque etiam hic cum Diodoro, qui cum Appii consulatum breuiter commemoret (20, 45, 1) atque res intestinas parum curare soleat, eius censuram pluribus celebrat (20, 36), in qua *πολλὰ τῶν πατρῴων νομίμων ἐκίνησε· τῷ δήμῳ γὰρ τὸ κεχαρισμένον ποιῶν οὐδένα λόγον ἐποιεῖτο τῆς συγκλήτου.*

1) Meltzer *Gesch. d. Karth.* II p. 451 sq. 607 sqq. Muenzer *R. E.* VI c. 1817.

senatum autem ueterem spreta eius lectione conuocatum eum ita terruisse, ut in uitam priuatam se reciperet, cum populus in eius gratiam Cn. Flauium aedilem curulem crearet, primum patris libertini filium. haec igitur Fabii Pictoris auctoritas fuit, quam cum Liuius sequeretur, ipse a se desciuit; depinxerat enim Appii familiam tamquam superbissimam ac crudelissimam in plebem Romanam eique inuisam infestamque (2, 56, 5; 7), idque iudicium et ille et Dionysius in rebus omnium gentilium aestimandis tenuit (cf. max. 9, 34). re uera tamen hanc ueteris atque insitae superbiae notam, ut ait Tacitus (ann. 1, 4), iniuria eis inustam esse Mommsen *R. F.* I p. 285—318 argumentatione sua plerisque uiris doctis persuasit; uerae igitur popularitatis testimonium in hoc Appio Claudio apud Liuium remansit, quam aliquot uerbis iniquis frustra obscurauit.[1]) simul uero hoc intelleximus fieri non potuisse, quin Fabii, cum senatus causam constanter tuerentur, et Claudii, cum popularibus studiis fauerent, in uita publica inter se aduersarentur, eamque ambitionem etiam commentariis domesticis expressam et propagatam esse consentaneum est. ne ultimis quidem liberae rei publicae temporibus haec ambitio exstincta est. nam Claudius Quadrigarius fama Fabiana de bellis Punicis spreta Acilianam erutam sequi maluit (uid. infra). sed summam rerum apud Liuium et Diodorum consentientem in hac causa ille oratoris ornamento inuoluit et amplificauit. nam bellicas et ciuiles artes inter Fabium et Claudium distribuit, et cum illum tamquam exemplar imperatoriae uirtutis, hunc ciuilium artium conformaret, originem certaminis ex intima hominum indole repetiuit. neque enim ciuiles Claudii artes, quarum opera (uia munita et aqua deducta) tum in omnium ore et admiratione erant, detrectare potuit. simultas igitur ex superbia et ambitione Claudii apud eum orta est, qua in laudes Fabii hereditate acceptas inuasit atque etiam L. Volumnii in utroque consulatu collegae inimicitias mouit. haec enim eum dicentem fecit (10, 22, 6): *Esse praeterea uiros natos militiae, factis magnos, ad uerborum linguaeque certamina rudes: ea ingenia consularia esse. callidos sollertesque iuris atque eloquentiae consultos, qualis App. Claudius esset, urbi ac foro praesides habendos praetoresque ad reddenda iura creandos esse* atque Claudio exprobrantem, quod etsi quondam Romae manere uoluisset, 'ut urbanis artibus opes augeret, quando belli decus penes alios esset'

1) 9, 29, 8: *Appius iam inde antiquitus insitam pertinaciam familiae gerendo solus censuram obtinuit;* 11: *traditur — censorem etiam Appium memori deum ira post aliquot annos luminibus captum.*

(9, 42, 4), decem annis post confidentius bellum gerendum susciperet et eximia sua eloquentia in bello uti mallet quam strenue facere (10, 19, 6 sqq. cf. c. 26, 6), nobiles autem Fabio obiectantes, quod modestius Appium in consulatu collegam fugisset ut 'eloquentia ciuilibusque artibus haud dubie praestantem' (10, 15, 12). quaeritur, num iam Pictorem tam scite arte dicendi usum esse existumandum sit. a probabilitate certe neque hoc abhorret neque eum rebus a Cunctatore gestis Maximum Rullianum exornasse, id quod factum esse compluribus exemplis demonstratum est.[1]) quis enim illas accuratius cognouerat, quam eius gentilis et aequalis? sed quoniam Pictor habuit in sua gente, qui ei succederent, hoc pro certo ponere non audeo, illud mihi constat, ueteris simultatis non inmemorem eum Claudiae gentis laudes ciuilibus artibus coercuisse ingeniisque eius et moribus ultra ueritatem et aequitatem obtrectauisse.

Suo igitur iure Ciceronem et Liuium omnino de familiarum mendaciis uitiataque memoria questos esse multis exemplis didicimus, sed etiam alia ratione, ut spero, id confirmabimus. nam quoniam Mommsen (*R. F.* I p. 107—110) eas gentes patricias consularesque uno conspectu complexus est, quae in memoria Romana non inuenirentur nisi ante a. 366. 388, hunc perlustrantes et cum historia conferentes multa mira nos offendunt. primum enim ex his triginta duabus de quindecim gentibus singuli consulatu functi sunt, de ternis terni, de duabus quaterni, de una quinque atque (de Verginiis Tricostis) etiam undecim uel de his quinquaginta quattuor consulibus undecim binis consulatibus, duo ternis, ceteri singulis, triumpharunt autem tres gentes semel, una bis; at eodem temporis spatio (a. 509. 245—367. 387) de aliis uiginti gentibus quattuordecim plus quam ternos consulatus uiderunt (Fabia et Valeria quaternos denos, Furia decem etc.), annis 366. 388—200. 554 Cornelia 28, Fabia 25, Valeria 21, Claudia 19, Aemilia 18; similisque ratio est tribunorum militum consulari potestate, quem magistratum de exstinctis gentibus adeptae sunt septem (uicies quater fere), de aliis solae gentes Cornelia, Furia, Valeria maiorem uel paulo minorem numerum (fere 29. 23. 22).[2]) atque hi quidem indices multifariam mutati et suppleti sunt, cum decemuiri dubitatione careant, de quibus a. 451. 303 quattuor ex exstinctis gentibus creati sunt; itaque multas gentes, quae ultra a. 366. 388 floruerunt, iam

1) Mommsen *R. F.* II p. 283 sq. Pais I 2 p. 570 sq.
2) Vt scriptura codicum sic etiam computatio incerta est.

antea propter merita sua honoribus digniores fuisse probabile est rationemque, quae inter consulatus horum duorum gentium generum intercedat, a posteris ita conturbatam esse, ut superstitum gentium magis gloriae consuleretur. omissus igitur etiam a Liuio est consulatus a. 506. 248 Sp. Larcii et T. Herminii (ex exstinctis gentibus), qui duobus annis ante Horatium Coclitem in ponte sublicio adiuuerant (seruatus in fastis et apud Dionysium 5, 36, 1), tum alter consulatus M. Horatii a. 507. 247 (item seruatus eisdem locis): plurium memoria omnino euanuisse uidetur, sed etiam eorum, quorum honores durauerunt, laus rerum gestarum. mirum enim est quod, si ex gentibus exstinctis uterque consul originem ducit, apud Liuium, qui uetustiorem memoriam praebere solet quam Dionysius, saepe ipse eam dilatans exsequensque, aut omnino nihil memorabile ab eis gestum est[1]) aut si gestum, paucis uerbis significatum (a. 487. 267: 2, 40, 14), aut immerito triumphatum (a. 502. 252: 2, 17), aut fame pestilentiaque laboratum aut seditiones factae uel paratae sunt[2]) aut a tribunis accusati consules (a. 454. 300: 3, 31, 5—8). nec minus hoc offendet quod, si unus consul ex his (exstinctis), alter ex aliis gentibus creatus est, aut maior pars euentus aut totus huic tribuitur; velut a. 496. 258 T. Verginius consul A. Postumio collegae dubiae fidei est, ut ad dictatorem faciendum confugiat (2, 21, 3), de alterius T. Verginii, cos. a. 479. 275, exercitu propter temeritatem actum foret, nisi K. Fabius collega subsidio uenisset (2, 48, 5), A. Verginius a. 476. 278 interuentu suo Sp. Seruilii exercitum seruat (2, 51, 4—9), L. Verginius cos. a. 435. 319, dum C. Iulius collega bellum contra Tuscos sustinet, Romae senatum consulit dictatoremque dicit (4, 21, 9); C. Sempronius cos. a. 423. 331 collega C. Fabii omnia temere ac neglegenter, incaute inconsulteque agit (4, 37), L. Minucius cos. a. 458. 296 bello Latino, cum C. Nautius collega feliciter rem gereret, ipse fortuna atque ui animi careret, ab hostibus obsidebatur, ut alter consul arcesseretur dictatoremque dici placeret (3, 26, 3—6), M. Geganius cos. a. 437. 317 omnino L. Sergii laudi bellicae cedit (4, 17, 8). iniquissime fama Meneniorum habita est, quorum consulatus uel fame uel domestico motu notantur aut si bello gerendo praesunt, nominatim non laudantur (2, 16, 8 sq.

1) a. 497. 257: 2, 21, 1 sq. 454. 300: 3, 32, 1. 452. 302: 3, 32, 5. 448. 306: 3, 65, 2—4.

2) Coriolani a. 493. 261 et 492. 262: 2, 33 sq.; Sp. Cassii 486. 268: 2, 41; Maelii 440. 314: 4, 12, 6 sqq.; etiam lex de legibus scribundis 452. 302: 3, 32, 5—7; Canuleia 445. 309: 4, 1 sqq.

a. 503. 251, quo in actis Agr. Menenius triumphat, P. Postumius ouans in urbem ingreditur) uel male pugnant (a. 477. 277 T. Menenius 2, 51, 1 sq., qui anno insequenti accusatus et damnatus est, quod Fabiis ad Cremeram opitulatus non esset c. 52, 3. cf. Dionys. 9, 18, 5; 23, 1).[1]) T. Larcio saltem dictaturam primam Liuius (et Dionysius) seruauit 'ueterrimos auctores' secutus, cum alii eam ad gentem Valeriam traherent (2, 18, 4—6). denique rebus praeclare factis hae gentes omnino non excellunt, nisi perpaucis, quae ex primis liberae rei publicae annis sermone et fama propagatae et celebratae sunt.

Quodsi eas Valerios, Fabios, Cornelios, Claudios, Furios, Quinctios uirtute, constantia, felicitate non aequasse concedimus, illud tamen comparata cognitionis nostrae horum generum diuersitate sequitur Verginios, Menenios, Minucios ceterosque memoriae suae propagandae officio defuisse.

Hoc autem explicari non potest nisi ita ut occasionem laudes gentiles in explenda magistratuum serie augendi post exstinctas illas gentes datam esse censeamus, cum non haberent, qui suam causam tuendam susciperent[2]) plagiariisque intercederent, eandemque iniquitatem etiam gentes plebeias passas esse, quarum memoria non ultra c. 366. 388 repeti potest; nam quoniam cum consulatu demum ceterisque magistratibus curulibus ius imaginum consecutae res a se gestas litteris posterisque mandare coeperunt, patriciae gentes superstites illas eadem licentia occuparunt qua suarum exstinctarum; ut igitur tribunos militum consulari potestate ex suis (praeter unum Trebonium) maioremque partem ex superstitibus usque ad senos suppleuerunt (Mommsen l. s. II p. 225 sqq.), ita non dubitauerunt Coriolanum ex plebeia gente Marcia inter patricios adoptare. hinc igitur memoriam antiquitatis Romanae post a. 366. 388 in eam formam, quae nobis a Liuio Dionysioque tradita est, redactam esse apparet.

Atqui longe alia fides rebus post incendium Gallicum haberi solet, alia eis quae ante. haec enim opinio iam inter Romanos percrebruit, qua de causa Claudius Quadrigarius initium scribendi ab eo cepit et Clodius quidam (Paulus, ut uidetur, uid. infra) apud Plutarchum

1) Res a Meneniis potissimum gestae apud Liuium retractationibus eiusdem materiae etiam ad alias gentes relatae et turbatae sunt. uid. Niebuhr II p. 231 sq. Schwegler II 702 sq. 754 sq.

2) Itaque patricia gens Genuciorum et Minuciorum usque ad fastos Capitolinos cognominis honore caruerunt. Mommsen *R. F.* I p. 65—68.

omnino de fide illarum rerum desperauit (Num. 1): *Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον) ἰσχυρίζεται τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι, τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι' ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν εἰς τὰ πρῶτα γένη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.* etiam Liuius ad alteram librorum pentadem accedens ei fauet, sed quod clariora deinceps certioraque se expositurum esse promittit priorumque librorum obscuritatem uetustate nimia et litterarum raritate excusat, haec ad damnum incendii Gallici non pertinent; quae pertinent, etsi cladem ultra ueritatem augent[1]), ipse sic circumscribit (6, 1, 2): *si quae (litterae) in commentariis pontificum aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere.* iam uero post cladem Aliensem Romanos trium dierum spatio ad monumenta publica quaedam in Capitolium conuehenda uti potuisse ut omittamus — stuporem enim tum nimium, talium rerum curam nullam fuisse erunt qui dicant —, Manlios tamen, Quinctios, Tarpeios, fortasse etiam Sestios in Capitolio tum habitasse ex cognomine Capitolino constat, id quod post iudicium Manlianum a. 385. 369 uetitum est[2]), deinde uero documenta publica eos, qui magistratibus functi erant, in priuata sua tablina translata custodiuisse (u. s. p. XXXV). satis larga igitur materia exstabat ad restituenda memoriae publicae fundamenta, si necessitas aut desiderium cogebat. non minus tamen fluctuant quae post incendium gesta esse traditum est. nam etsi hoc tempore nemo eandem urbem (ut Fidenas) septies defecisse, quinquies expugnatam esse (ter cuniculis actis)[3]) narrare ausus est, durat tamen eadem ratio usque

1) Thouret *Ueber den gallischen Brand* in Fleckeiseni suppl. XI p. 93—188 quaecunque de incendio urbis traderentur, ficta esse demonstrare conatus est, at nihil ei concedo nisi quod antiquitus tamquam leuior clades spreta esset, eam paulatim propter uim oratoriam protractam exornatamque esse uirtutemque Romanam ignauiae, qua Athenienses arcem suam Persis prodidissent, oppositam. uid. Pais I 2 p. 7 8sqq. 725 sqq.

2) '*ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret*' Liu. 6, 20, 13. uid. Mommsen *R. F.* II p. 182. Jordan *Topogr.* I 1 p. 192 sq. n. 281. addendi sunt etiam Cornelii Lentuli, si quidem Liuius 9, 4, 8 consulem a. 327. 427 L. Cornelium Lentulum dicentem fecit: *Patrem meum — saepe audiui memorantem se in Capitolio unum non fuisse auctorem senatui redimendae auro a Gallis ciuitatis,* id quod antea de senatu illo agens (5, 48, 8) omiserat, Muenzer *R. E.* IV c. 1356 sq.

3) Vid. Luebbert in progr. Giss. p. 7 sq.

ad belli alterius Samnitium tempora, quibus aequalem scriptorem certum Liuius se uidisse negat[1]), mutari uidetur ea re, quod paulatim numerus nominum copiaque rerum augetur, plures gentes ad magistratus administrandos admittebantur, res gestae litterarum custodia accuratius seruabantur. at inaequalitas, qua prima pentas Liuiana insignis est, ne in altera quidem omnino desinit consulesque etiam tum per longum temporis spatium communicatis honoribus sua quisque laude caruerunt. frustra igitur de discrimine illo, quo post cladem Gallicam ad certiora eniteremur, declamatum est. immo saeculum et antecedens et subsequens paene in simili obscuritate latent, 'uelut quae magno ex interuallo loci uix cernantur'.

Liuius autem l. s. non modo certum scriptorem non exstare questus est sed etiam et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa causamque in ambitione mendaciisque positam; itaque priusquam satis certus scriptor res memoriae mandasset, iam mendacia illa in pontificum fastos inuasisse sibi persuaserat, quae opinio annis diebusque triumphorum confirmatur, quorum quin magna pars *(die hauptsächlichsten Triumphaldaten)* gentium memoria esset seruata Mommsen (*R. F.* II p. 377) non posse dubitari docuit. quae quidem si hos retinuerunt aut postea eruerunt et collegerunt, etiam rerum capita, quibus illi honores decreti erant, breuiter comprehensa esse probabile est, ambitionem autem gentium tum exarsisse, cum laudes plurium inter se conferrentur, id quod fieri non potuit nisi pontificum opera interposita, cum tabulas suas supplerent, quam si a. fere 300.454 nauatam esse sumimus, inde publice gentes de fama rerum a se gestarum inter se certare coepisse uidentur atque non solum ad explendam gloriae cupiditatem iuuentutisque studia inflammanda suas laudes auxisse uel calamitates acceptas explodentes, contegentes, excusantes aut, quoniam dies atri in hominum recordatione durabant, culpam in alios transferentes uel, ut plures uictorias triumphosque arriperent, bella cum finitimis dilatantes resque semel gestas iterantes, sed etiam alias, si possent, uariis artibus suis meritis spoliantes, quorum mendaciorum satis multa exempla supra enumerauimus.

Supplementa tamen illa non semel idque ita, ut in perpetuum constarent, esse composita uidentur sed pontificum uoluntati et arbitrio subiecta fuisse, ut quotiescumque eorum maximo placeret, gentium quarundam ambitioni et auctoritati paterent atque etiam in

1) 8, 40, 5. cf. Dionys. 1, 73, 1: *παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς.*

regia retractari et mutari possent, dum a Mucio Scaeuola publicarentur. Fabius igitur Pictor morem a pontifice maximo quasi sanctum imitatus laudes suae gentis etiam ita inlustrauit, ut alias obscuraret, atque in his fundamentis historiam Romanam posuit: hoc mihi ut Niebuhrio (II p. 9; 224), Schweglero (I p. 15. II 745), Mommseno[1] certum exploratumque est; satis certis tamen argumentis etiam illud euici, aliarum quoque gentium ambitione memoriam Romanam infectam et corruptam esse, aliaque exempla, si de Valerio Antiate, Claudio Quadrigario, Licinio Macro disputandum erit, addam: nam praeter Fabios Valerii, Claudii, Licinii ex sua gente inuenerunt, qui eius laudes uulgarent et augerent, ut quasi digito eos monstrare possimus. nimirum hi aetate proximi eis fuerunt, qui annalibus suis quid de illis sentirent, nobis tradiderunt. neque igitur Soltauio (*Die roem. Laudationen* p. 119 sq.) adsentior, quod Sullae demum aetate postque eius mortem antiquariorum libris incitatos Licinios Macros et Aelios Tuberones scribendi consilia ad rei publicae rationes factionesque accommodantes expilatis potissimum familiarum elogiis laudationibusque, quae iam in tablinis oratorie exornatae essent, ueterem memoriam contempta ueritate extendisse et amplificasse censuit. nimium enim ei discrimen inter ieiunitatem ueterum scriptorum (Pictoris usque ad Pisonem) ubertatemque et tumorem inferiorum a Liuio, Dionysio Graecisque repraesentatorum interesse uidebatur (l. s. p. 106). hoc quidem pertinebat ad diuersitatem consiliorum, quibus ad historiam deducti erant: hi intentius partium studio ueritatem postponebant, illi ambitioni gentili. qui autem Fabii in scribendo uersati sunt, omnes ante Gracchos uixere, quoniam eum Q. Fabium Maximum, qui in consulatu a. 45. 709 mortuus est, etsi memoriam gentis iam paulo post bellum Hannibalicum exstinctae et adoptione renatae, tum denuo labantis resuscitabat (nam fornicem Fabianum restituit Atticoque, ut Fabiorum et Corneliorum propagines explicaret, persuasit)[2]), nusquam ipsum historiam scripsisse memoriae proditum est aut auctorem fuisse in locum nomenque uetustissimi illius scriptoris aliud opus supponendi hominesque decipiendi uel alienam eius modi operam adiuuandi.

---

1) *R. F.* II p. 241: *Allem Anschein nach gehen bei weitem die meisten annalistischen Meldungen und namentlich diejenigen, die einiges Relief und einen tatsächlichen Kern haben, — insofern auf Fabius zurück, als die Späteren weit mehr um- und nachgedichtet als eigentlich zugesetzt haben.* p. 270, passim.

2) Vid. uol. II p. XXVIII sq. Muenzer *R. E.* VI c. 1791 sq.

ultimus autem ante eum Fabius a. 116.638 in fastis consularibus enumeratus est. itaque quae exstant ambitionis Fabianae in historia indicia, uel ad Pictorem uel ad eos, qui paulo post ei successerunt, referenda sunt. eius autem exemplum alias gentes imitatas et aemulatas esse res ipsa ferebat, neque mirabimur, quod nomina eorum scriptorum usque ad Sullae aetatem frustra quaerimus. hac enim a Claudiis, Antiatibus, Macris refutati in obliuionem retrusi sunt. gentium autem Quinctiae, Seruiliae, Furiae, Postumiae, Volumniae commentariorum apud Liuium in prima decade, maxime in libris III et IV uestigia Soltau[1]) indicauit. ipse tamen in eum errorem incidere nolui, ut, si quae gentes propter res egregie gestas a Liuio Dionysioque inlustrentur, continuo earum commentarios domesticos subesse putem, aut si eadem res a diuersis hominibus aut diuersis locis gesta ab eodem scriptore narretur, initio eam a diuersis gentilibus, qui interfuissent, diuerse commentariis mandatam esse, deinde qui eos compararent, diuersitatibus deceptos, simul ut argumenti inopiae mederentur, eandem rem de diuersis annis prodidisse. sic enim Ed. Luebbert ratiocinatus est, qui maxime Schweglerum secutus quinque libellis[2]) talium multiplicatuum genera quaedam in historia Romana ostendit stemmataque gentium descripsit, neque tamen originem ex commentariis domesticis certis argumentis repetendam suscepit; hanc enim compertam esse existumabat. at etiam aliae causae uel casus aliquam famam maiore auctoritate propagare potuerunt. nolui igitur, ut hoc exemplo utar, ideo quod memoria Romana Cn. Cornelii Scipionis Asinae consulis cladem a. 260.494 fraude Punica factam esse narrat (de qua nihil Polybius 1, 21, 4—9), aut quod App. Claudius Caudex cos. a. 264.490 apud Romanos scriptores rem felicius gessit quam apud Polybium, commentariis uel gentis Corneliae uel Claudiae hoc crimini dare.

Illud autem non dubito, quin aliquot et aetatum scriptione atque inuentione et gentium aemulatione studioque opus fuerit ad lacunas Pictoris explendas tenoremque annalium in eam formam redigendum, quae nunc apud Liuium exstat. nam quod Dionysius (arch. 1,

1) *Livius* p. 97 sqq. 169 sq. 171 sq. 183. 211. quod tamen Aelii Tuberonis intercessione multarum laudationum notitiam ad Liuium peruenisse uult, uix certa argumentatione usus est.

2) In indictionibus principum dierum natalium uniuers. Gissensis a. 1873 *(De gentium Rom. commentariis domesticis)*, Kiliensis 1875 *(De gentis Seruiliae comm. dom.)*, 1876 *(Quinctiae)*, 1877 *(Furiae)*, 1878 *(Claudiae)*. nos gentium scriptores persecuturi etiam de earum commentariis domesticis uel libellis disputabimus.

6, 2) illum res post urbem conditam usque ad suam aetatem 'capitulatim' (κεφαλαιωδῶς) percurrisse iudicat, non breuitatem huius totius partis historiae dicit sed inaequalitatem materiae modo copiose modo exiliter expositae (uid. infra p. LXXIV). etiam Liuio displicet, quod quidam annales a. 438. 316—436. 318 'uelut funesti nihil praeter consulum nomina suggerant' (4, 20, 9), sed ne ipsi quidem contigit, ut illam inaequalitatem in prima decade omnino exueret, in qua iuxta fusas narrationes haud raro breues epitomas cum Diodoro consentientes habemus[1]) atque etiam nunc iuncturas dispicimus, quibus singula capita coagmentata uel contaminata sunt. uelut belli Veientis, illius 'familiaris' Fabiorum praeter omnia finitima facilis est distinctio maximeque id historiae fide dignum est (Schwegler II p. 740), sed haec non ultra res Fabianas pertinet; quae excurrunt, aut dubia aut ficta sunt interpolationemque capita coniungentem produnt. Sic igitur paulatim succrescente et gentium aemulatione et inuentionis inmodestia et artis oratoriae cultu historia cupiditatibus hominum infecta in factionum seruitium delapsa est.

Sed ut breui comprehendamus quae disseruimus, ex duobus initiis exorsam esse historiam Romanam uidimus, ex annalibus pontificum publicis et ex commentariis gentium Romanarum priuatis, idque ita, ut pontifices cum tabulis suis ciues suae aetatis certiores de rebus modo gestis fecissent, eas in ordinem continuum redactas posteritatis in usum aperirent, gentes autem quaedam documentis publicis priuatisque in tabulina domestica repositis et publicam memoriam supplerent et uberibus narrationibus uel tabulinorum uel ingeniorum suis repetitis historiam exornarent, cuius duplicis originis indicia ne rhetorum quidem arte omnia oblitterari potuerunt. Similitudines autem aliarum ciuitatum etiam hic in promptu sunt, uelut, in quas fortuito incidi, Florentinae et Norimbergensis.[2])

---

1) Cf. e. gr. 9, 20, 4 cum Diodoro 19, 10. Binneboessel l. s. p. 45. Kaerst in Fleckeiseni suppl. XIII p. 762.

2) Voigt *Humanismus*[2] I 428: '*Kaum ein anderer Staat trug die Bedingungen derselben (der vaterlaendischen Geschichtschreibung) in so hohem Masse in sich als der von San Marco. Dennoch blieb es bei officiellen Annalen oder bei geheimen Memoiren, die Eigentum der Familie wurden und erst lange nach dem Tode der Verfasser an die Oeffentlichkeit kamen.*' Wegele *Deutsche Historiographie* p. 48: '*Die Geschichtschreibung Nuernbergs, ausgehend von der Geschlechterhistorie, ist von Anfang an eine wesentlich staedtische gewesen und hat sehr bald einen officiellen Character angenommen*' (coll. Hegel *Chroniken der fraenkischen Staedte* I *Einleit.* p. XXX sqq. et al. loc.).

III. QVA FIDE HAE RELIQVIAE DIGNANDAE SINT

Reliquiarum quas hoc uolumine comprehendi duo genera sunt. unum enim ipsorum uerborum uel rerum grammaticarum studio debetur, quo ex scriptoribus uerba quaedam cum tenui quaeque enuntiati frustulo enotabantur, alterum historiae uel antiquitatis tractationi, qua totae sententiae uel ex auctoribus excerptae in contextum transferebantur uel ex memoria repetebantur. itaque plurimas prioris generis habemus apud Nonium, Diomedem, Charisium, Priscianum, alterius apud Ciceronem, Liuium, Dionysium, Plinium, Plutarchum, Censorinum, Solinum, Arnobium, utriusque apud Varronem, Festum, Gellium, Seruium, Macrobium, qui quidem scriptores utroque studio ad antiquos scriptores peruoluendos et lectitandos ducti sunt. sed ex hac studiorum diuersitate illic ipsa scriptorum uerba, ut de eis sponderi posse uideatur, hic res tantum modo, ut ab eis expositae erant, seruatas esse concludas. uerum tamen quod discrimen inter illa duo genera intercedit, re uera non est tantum, quantum obiter has res contemplantibus nobis uideri possit. nimirum, quoniam horum textuum compages non ut uersuum certis numeris adstringebantur, et qui describebant ipsa uerba, non utebantur ea qua nos nunc religione ac diligentia, et qui res secundum aliquem auctorem artis suae praeceptis obsecuti pertexebant, ex eo quem horum omnium tum fuisse constat more ne uerba quidem in libros suos transferre ueriti sunt, nisi ea ornare posse sibi uidebantur erroresque mendaciaque emendare (*Wahrheit u. Kunst* p. 429 sqq.), aut auctore suo seposito memoria sua confidebant.[1]) quae quidem res cum plurimis locis, ubi totos libros seruatos inter se comparare licet, uelut Valerii Maximi et Liuii Ciceronisque, Taciti historiarum et Plutarchi uit. Galbae et Othonis, Orosii, Eutropii, Flori et Liuii, Ammiani Marcellini et Solini, aliorum confirmetur, tum etiam in

1) Contra eclogarii Constantini et quae ex ueteribus scriptoribus excerpserant, quo facilius intellegerentur, suis additamentis suppleuerunt et pro uocibus inusitatis alias substituerunt et multa omiserunt. Cf. Nissen *Untersuchungen* p. 318 sqq. Buettner-Wobst in praef. ad excerpta Const. II p. xxix sqq.

adnotatione nostra multa inuenientur exempla, quibus hoc non solum de Liuio sed etiam de Cicerone abunde probatur, cf., ut nunc intra eos scriptores me contineam, quibus plurima debemus fragmenta, ex. gr. de Liuio Fab. Pict. fr. 15 c. adnot. Cat. fr. 86. Pis. 27. Claud. 10[b]. 12, de Cicerone Fab. fr. 15. Coel. 11. 19. 20. de Plinio Pis. 27.[1]) simul ex notis nostris perspicies multo plura apud inferiores historicos superiorum latitare fragmenta quam ab ipsis indicata sunt aut a nobis inuestigari potuere. fuit enim haec apud illos consuetudo, ut eorum ipsorum auctorum, quos primarios duces sequerentur, perraro nomina adscriberent, nisi ubi ex aliis auctoribus discrepantias aliquas animaduersas inserturi erant, ut aut illos corrigerent aut doctrinae cuiusdam suae et eruditionis fructu gloriarentur. proinde cauendum est ne ex ea re quod apud Liuium, Dionysium, Plutarchum auctorum quorundam testimonia saepe reiecta uidemus, temere colligamus, omnino eorum auctoritates ab illis parui aestimatas et spretas esse. immo meliore iure hos ipsos praecipuos auctores eis fuisse inde consequi contendas.

Vnum genus scriptorum est quod etiam nunc laudemus, antiquariorum, qui in primordiis artis suae Graecam eruditionem imitati etiam Romae ornamenta dicendi spernebant resque solas tenebant. perseuerauit in ea ratione Suetonius, qui si uerba ipsa significat, accuratissime ea repetit[2]), sed iam Gellii non solum doctrina sua effusa prodesse sed etiam uarietate rerum et nouellarum libere inuentarum additamentis delectare interfuit, quibus se saepe ueris auctoribus celatis quosdam scriptores in manibus habuisse mentitus est[3]), idemque multa, quae ex scriptis excerpserat, in colloquia ami-

---

1) Praeterea cf. de Plinio H. Brunn *De auctor. indic. Plin.* Bonn. 1856, qui p. 57 sqq. eos locos composuit, quos Plinius ex Vitruuio sumpsit, cum ipso Vitruuio. potuit addere cum multorum tum Valerii Maximi locos, quos transscripsit Plinius, unde illud saepe etiam uerba auctorum seruata esse confirmatur. — Paullo liberius Graeci scriptores, qui huc pertineant, in auctoribus suis usurpandis uersati sunt. cf. Dionysium et Plutarchum eandem rem ex Fabio referentes fr. 5[a] et 5[b] c. adn. et De font. Plut. p. 10 sqq.

2) Cf. Caes. 56, 2 = Cic. Brut. 75, 262, Caes. 56, 3 = Caes. b. Gall. 8, 5, 6, etiam epistulam Tiberii ap. Suet. Tib. 67, 1 = Tac. ann. 6, 6. Etiam Quintilianus eadem diligentia usus est, Fr. Emlein *De locis quos ex Ciceronis orationibus in instit. orat. libris laudauit Quintilianus* (Carolir. 1907).

3) Luculentissimum eius abusus exemplum est 9, 4 simul a Mercklino (*Citiermethode d. Gell.* p. 641 sqq.) et a Kretschmero (*De Gell. font.* p. 13 sqq.) detectum, ubi sex Graecos scriptores Brundisii se repperisse

corum mutauit. saepius tamen ostentandae eruditionis suae causa cetera quaecunque nomina quam celeberrima poterat, in scrinia sua conuerrebat et notanda atque interpretanda sine discrimine siue ex scriptis eorum siue ex grammaticis, qui eo munere iam functi erant, coaceruare solebat, interdum ita, ut de quibusdam locis antiquiorum scriptorum apud recentiores repertis ad illos rediret atque uera ratione obscurata secundarium quasi nouum auctorem commemoraret (uid. Hosii praef. ad Gell. XVI sqq.). ita fragmentorum fides a fontibus Gellii pendet, quem ipsum in tradendis uerbis diligentem fuisse multis exemplis, maxime eis demonstratur, quae ex ipso Sallustio excerpsit, solo historico Latino eorum, qui etiam nunc exstant.[1]) nam ex bello Catilinae tres paragraphi intra c. 3—11, ex Iugurtha duae (intra c. 70—86) integrae apud eum leguntur, praeterea de singulis uerbis disputauit, ubi periculum corruptelae uix timendum erat. in uniuersum tamen pro dubia intercessorum auctoritate sponderi non potest.

Sed Gellius medium locum inter illa duo genera scriptorum obtinet. nam praeter uerba etiam res curauit eaque oblique iterauit. nunc ut ad prius fragmentorum genus nos conuertamus, ante omnia hoc tenendum est minimam eorum ipsorum partem ex illis uetustis historicis excerptam esse.[2]) atque Pompeius quidem Festus Verrii Flacci exemplorum horrea, quae hic illic suis additamentis auxit, expilauit, sed plurima per duas tresue manus propagata esse uel constat uel probabile est, priusquam ad illos peruenirent. fistulae

---

simulat, eos tamen omnino non uidit; neque enim dubium est, quin ex Plinii naturali historia eorum miracula sumpserit, quam nihilo minus in eodem capite etiam citare ausus est.

1) A. Nitzschner *De locis Sallustianis, qui apud scriptores et grammaticos ueteres leguntur* (Diss. Gotting. 1884).

2) Patet idem etiam de alterius generis reliquiis dici posse. multa enim in adnotatione nostra exempla attulimus, ex quibus appareat non raro scriptores testes ab aliis adhibitos tamquam a se inspectos laudasse. quamquam quod supra de priore genere dixi, hic non tam late pertinet. noli tamen ex ea re, quod uno alteroue loco aliquis auctor ipse adhibitus esse uideatur, idem etiam de ceteris adfirmare. ut Plutarchus cum in uita Poplicolae ipsum Valerium Poplicolam secutus esset, in uit. Flamin. c. 18 Valerii testimonium ex Liuio (39, 43, 1) deprompsit (De fontibus Plutarch. p. 4. 82). Similiter Gellius in noctibus Atticis Ateii Capitonis coniectaneorum libros solos VIII et IX ante se habuit, cum quae ex aliis libris insereret, aut aliorum diligentiae deberet aut excerptis suis ante congestis (uid. Hertzii Gelliana p. 204 sqq.), similiaque multa apud Nonium obseruata sunt.

tamen pleraeque obrutae sunt. uelut Charisius multarum partium operis sui testes nominauit Plinii dubii sermonis libros, tum Palaemonem, Cominianum, qui ex solo Charisio nobis notus est, Statilium Maximum, Iulium Romanum, quem ei proximum fuisse ueri simile est, ut Plinium antiquissimum; per quos tamen materia eius principalis propagata sit usque ad Iulium Romanum uel Charisium, per quos aliunde haec amplificata, ignoramus. quae difficultas ne Diomede quidem comparato soluitur. nam quamquam diuersos auctores primarios adhibuerunt, eorum doctrina maximam partem consentit, ut traditio illorum grammaticorum pauca mutasse uideatur. in ea re potius differunt, quod Diomedes materiam ab aliis subministratam aptius disposuit et ordinauit, Charisius ampliores particulas ab illis mutuatus est. quo factum est, ut in uerbis exemplorum transferendis hic maiore diligentia usus sit quam ille. Priscianus denique ubi Apollonium Dyscolum et Herodianum cum grammaticis Latinis contaminauit, praeter Charisium maxime Flauium Caprum citauit cohortemque a Charisio diuersam.

In Nonii stuporem et leuitatem nolo nunc ea qua dignus est indignatione inuehi. res nota est exemplisque etiam in hoc capite et in eo quod de Sisenna sequetur confirmabitur, illud nunc occupo, ex sua scientia et lectione pauca eum addidisse omninoque se continuisse intra Hadriani aetatis scriptores excerpendos[1]), grammaticos et scholiastas, tum Gellium, Apuleium, Gadullium (Gallicanum, semel), qua quidem in opera grauissima eius socordiae testimonia atque etiam fraudis, qua Gellii usum obscurauit (Hertz l. s. p. 98 sqq. 131 sqq. uid. infra de Sisenna), manufesta sunt, sed etiam exempla iam ab aliis collecta et explicata, cum ea saepe male intellegeret (Hertz l. s. p. 87 sqq.) et inscite truncaret, eisdem uitiis infecit. opportune igitur accidit, quod cum plerisque capitibus certos quosdam auctores substrueret, saepe ad doctos diligentesque delatus est. diuersitas autem ueteris lectionis etiam nunc diuersitatem recentium collectaneorum indicat. uelut Sisennae historiae ab eo, cuius diligentia Nonius in capitibus I et II usus est, dedita opera excerptae sunt, exque eis soli libri III et IV, in cetera dispersa earum fragmenta per alios riuulos peruenerunt; praelatus est Sallustius.

Vt Nonius sic etiam Macrobius in Saturnalibus a Gellii noctibus exorsus, etsi uterque eius nomen suppressit, aliena horrea ita compilauit, ut quam plurimas et grauissimas auctoritates ostentaret

1) L. Mueller *Aduers. Non.* p. 249 sqq. Hertz *Gell.* p. 85—146.

suoque iudicio seposito etiam diuersas non mutatas, ut inter se repugnarent, coniungeret, argumenta igitur et sententiae auctorum intactae manserunt, uerba tamen pari latinitatis colore induta sunt, praeter Gellium, cuius sermonis proprietatem cum omnino imitatus esset, ea opera supersedere poterat.[1])

Denique plurima fragmenta a scholiastis seruata sunt, apud quos eorum fides multis periculis obnoxia fuit; nam primum commentaria saepe angustiis spatii, si in margine adnotabantur, aptanda erant, tum tamquam communia bona non sub certis nominibus propagabantur et libere mutabantur. itaque etiam Seruius seueritatem Thilonis expertus est, qua locis quibusdam scriptorum etiam nunc superstitum cum eo comparatis ne res quidem nedum uerba eum tenuisse iudicauit (Praefat. p. XXXI sq.), quamquam Sallustii quidam minus misere habiti sunt (Nitzschner l. s. p. 58 sqq.).

In lubrico igitur campo haec fragmenta edentes uersamur summaque cautione opus est in eis constituendis, quoniam ne ueteres quidem scriptores, quibus ea debemus, recte omnia intellexerunt. sed ne nimis inique uel anxie sensisse uidear, aliquot corruptionis exempla componam. agmen Nonius ducat, qui quae Claudii quattuor fragmenta ex Gellio 17, 2 excerpserat, falso sub Coelii nomine quattuor diuersis locis per opus suum diuisit (Claud. fr. 13. 22. 23. 24. uid. adn. ad fr. 22).[2]) tum librorum inscriptiones saepe ab omnibus fere auctoribus parum adcurate adlatae sunt, Catonis origines a Cicerone oratorie dicuntur historiae, Pisonis annales a Plinio modo annales modo commentarii, Licinii Macri annales a Nonio modo sic modo rerum Romanarum libri. maxime uero historiarum et annalium inscriptiones inter se commutari solent, uelut Gellius uarie citat Antiatis libros, Priscianus Pisonis, Nonius Cassii Heminae, Cicero Fannii (fr. 7 c. adn.). eiusdem leuitatis in librorum numeris ueteres scriptores incusandi sunt. nam ut apertissimos quosque errores hic proponam, apud Nonium de eis locis Sisennae, quos in altero capite coaceruauit, quadraginta ex libris III et IV sumpti sunt, quinque ex aliis (unus bis), de his duo ex Gellio (12, 15), qui unum

1) Vid. G. Wissowa *De M. Saturnaliorum fontibus capita tria.* Dissertatio Vratisl. 1880 p. 12 sqq. Indicem rerum a Gellio petitarum Ianus in editione sua II p. 655 confecit; uid. Wissowa p. 3.

2) Nunc posteaquam, ut adsolet, diligenter et curiose M. Hertz in Gellianis p. 85—146 in eam rem inquisiuit, nemo dubitabit, quin Nonio primarius fons fuerit Gellius, quamuis sedulo ille Gellii usum celare studuerit (Hertz l. s. p. 98 sqq. 131 sqq.). itaque ipse de hac quaestione multum quondam tractata disputare supersedeo.

sexto historiarum attribuerat, alterum incertum cui, at uero Nonius illum (fr. 126) quinto, hunc (fr. 127) semel primo, aliquot paginis post item nulli (Hertz l. s. p. 109 sqq.); praeterea fr. 128 libri sexti ex Gellio mutuatus est, hoc recte; de fr. 125 eiusdem libri nihil comperimus nec quidquam de fr. 6 l. I, fr. 9 l. II, fr. 130 l. IX, fr. 131 l. XXIII, dubitationem tamen et ipsi numeri nusquam alibi citati (fr. 130. 132) praeter sextum librum mouent et inscriptio '*ab urbe condita*' (fr. 3), denique diuersitas originis fr. 3. 6. 9 a fragmentis libr. III et IV etiam eo discrimine significatur, quod illa absolutis sententiis constant, haec saepissime etiam concisis. haec igitur exempla discernant, ubi suadente argumento numeri ueri similiter mutari possint (fr. 3. 6), ubi ne sic quidem. deinde Priscianus Catonis originum fragmentum 58 in libro instit. quarto (p. 129 H.) ex secundo, in libro VII (p. 337 H.) ex primo desumptum esse dicit[1]), aliasque discrepantias habes adnotatas in commentario critico ad Cn. Gellii fr. 26 (inter Charisium et Priscianum) et ad Cat. fr. 24 (inter Festum et Donatum), fr. 78 (inter Festum et Seruium).

Denique, ut studio abbreuiandi exempla usque ad necessaria uerba resecta esse omittam, haud raro seu ipsorum antiquorum scriptorum seu librariorum neglegentia et leuitate etiam ipsa fragmentorum uerba mutata sunt, ita ut aliquot locis[2]) apud Nonium uel ea uox, propter quam exemplum illud ab eius auctore adlatum erat, alia uoce remoueretur, cf. Claud. fr. 35. Sisenn. 63. 70. 119. 122. 126 (quo loco praeter lemma etiam alia Sisennae uerba in-

---

1) Infra in reliquiis disponendis hoc fr. in librum secundum recepimus. nam et argumentum melius in eum quadrat quam in primum et ueri similius est Priscianum posteriore loco errasse quam priore. libro enim IV tria frustula Catoniana coniuncta protulit sic: *Cato Censorius in I originum: — in II: — ibidem: —*. eademque iterauit in libro VII sic: *Cato in I originum: — idem in eodem: — idem in eodem: —* quo loco uides, quam facile errare potuerit in scribendo Priscianus, cum priore numerum II falso interpositum esse uix sit credibile.

2) Haud ignoro idem etiam aliis locis accidisse, sed nunc in exemplis eligendis consilio me intra huius uoluminis fines continui. — In Cassii fr. 35 (cf. adn.) apud Non. p. 514 scriptura *humanitus* seruanda est, etsi seu Nonius seu librarius id esse testimonio uoluit formae *humaniter*. exempla enim formae *humaniter* et *humanitus* sub uno lemmate confusa sunt. Ribbeck (Comic. lat.[2] p. 105 n. 165) lemma *humaniter* in *humanitus* mutans etiam in eo Turpilii Pedionis fragmento quod Cassiano coniunctum est, in quo nunc est *humaniter,* corrigit *humanitus.* nec in Sisennae fr. 53, etsi lemma postulabat *fluuios,* ausus sum mutare. cf. comment. a. h. l.

mutauit), Caton. fr. 28. 29 cum commentariis. quid? quod ab eodem Nonio idem fragmentum uno loco aliter atque altero laudatur (Cass. fr. 35 c. comm.), a Prisciano eadem Coelii uerba (fr. 37) uno loco ad genetiui *alius* formam firmandam adferuntur (p. 303), altero (p. 266) eadem ad *alii* formam ('*alii*' *pro* '*alius*' *dixit* cf. comm. a. h. l.), denique Caton. fr. 114 uarie a Charisio et Seruio propagatum est, fr. 1 item a Seruio et (a Sergio) in explic. in Donatum.

His igitur adumbratis si nostro ingenio fragmenta illa temptare et coniecturis emendare studuerimus, uix nos nimiae audaciae et temeritatis insimules. at uero quam periculosae plenum opus aleae hoc esset, satis opinor apparuit, praesertim cum multa a grammaticis frustula ita ex orationis tenore decerpta essent, ut non argumenta aut sententiarum structurae curarentur sed solae uerborum proprietates notarentur. itaque praeter has quaeuis uerba quouis loco omittebantur, incohata enuntiata sine apodosi desinebant, etiam bina ternaue uerba abscisa sufficiebant. Sisennae quidem fragmenta maximam partem apud Nonium truncata sunt, sed paene omnium scriptorum fragmenta, quae per grammaticorum manus ad nos peruenerunt, eandem sortem experta sunt. plurima igitur sunt exempla etiam ex Festo, Gellio, Charisio, Prisciano in promptu, quae enumerare superuacaneum est. nam satis multae causae mihi esse explicatae uidentur, cur coniecturas ex contextu excluserim, nisi ubi certissimae mihi uiderentur, alias, quas in scriptoris alicuius continua uerba sine dubitatione recepissem, infra in commentario diductis litteris exprimendas curauerim, ut facilius sub oculos caderent.

DE SCRIPTORVM VITIS ET SCRIPTIS

Q. FABIVS PICTOR[1])

Princeps Pictorum cognomen inuenit C. Fabius, Marci filius (Plin. 35, 19), inde, quod parietes aedis Salutis, quam C. Iunius consul bello Samnitium altero a. 302. 452 dedicauerat, pinxit anno urbis conditae CCCCL (Cic. Tusc. 1, 2, 4. Valer. Max. 8, 14, 6. Plin. l. s.).[2]) eius duos nouimus filios, unum Gaium consulem anni 269. 485, alterum Numerium consulem a. 266. 488, quem eodem anno primum de Sarsinatibus, deinde de Sallentinis Messapiisque triumphasse acta triumphalia Capitolina testantur (C. I. L. I² p. 46). horum alteruter uel si quis tertius eorum fuit frater, pater aut, si rationem a Du Rieu p. 152 initam sequeris, auus fuisse uidetur Q. Fabii Pictoris, historici omnium Romanorum antiquissimi, quem cognatione cum Cunctatore coniunctum fuisse Plutarchus (Fab. 18), nobilissimum uirum Cicero (l. s.), senatorem Polybius (3, 9, 4) dicit. Hunc historicum certo nobis est traditum ab Orosio et Eutropio uel, si eorum fontem communem quaeris, a Liuio, bello interfuisse, quod a. 225. 529 a L. Aemilio Papo C. Atilio Regulo coss. cum Gallis gestum est (fr. 23 c. adn.), deinde a Plinio (fr. 24), rem eum gessisse contra Ligustinos, de quibus a. 233. 521 (a Q. Fabio Maximo) et 223. 531 (a P. Furio Philo) triumphatum est (act. triumph. Cap. p. 47), ita ut ducis munere fungeretur, qui praesidio Romano a Ligustinis obsesso auxilia adduceret. tum enim hirun-

---

1) De Fabio hi uiri docti peculiares commentationes scripserunt: Moller *De Fabio Pictore* Altorf. 1689. H. K. Whitte *De Q. F. P. ceterisque Fabiis historicis disputatio* Hafn. 1832. E. Baumgart *De Q. F. P. antiquissimo Romanorum historico part. I* Vratisl. 1842 (altera non prodiit). sed hos tres nunc omisi. W. Harless *De Fabiis et Aufidiis rerum Romanorum scriptoribus* Bonn. 1853. — De gente Fabia uid. G. N. Du Rieu *Disputatio de gente Fabia,* Lugd. Bat. 1856, Haakhium in *Pauly Realencycl.* III p. 366—401. VI 2 p. 2899—2926, Muenzerum *R. E.* VI c. 1739 sqq. et de hoc Pictore potissimum Haakhium VI 2 p. 2899 sqq. Muenzerum c. 1835 sqq. Gutschmid *Kl. Schr.* V p. 512—517.

2) Falso hunc confudit cum Q. Fabio historico Hieronymus ep. 35 ad Heliod. I p. 340 Vall.: *nobilem uirum Q. Fabium miratur antiquitas, qui etiam Romanae scriptor historiae est; sed magis ex pictura quam ex litteris nomen inuenit.*

dinem a pullis ad se adlatam esse scripsit, ut lino ad pedem eius adligato nodis significaret, quoto die aduenieute auxilio eruptio fieri deberet. bello Hannibalico magis ingenio consilioque patriae profuisse uidetur, nam anno 216. 538 post cladem Cannensem Delphos ad oraculum eum esse missum Appianus Hannib. 27 rettulit: *Ἡ δὲ βουλὴ Κόιντον μὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς Δελφοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων.* de qua legatione pauca etiam Plutarchus Fab. 18, plura Liuius habet 22, 57, 5 et 23, 11, 1—6, cuius uerba, quoniam ad ipsum Fabium referenda esse multi post Fr. Lachmannum (De font. Liu. II p. 46) suspicati sunt, huc transcribam: *Hoc nefas* [duae Vestales stupri conpertae] *cum inter tot, ut fit, clades in prodigium uersum esset, decemuiri libros adire iussi sunt, et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus suppliciisque deos possent placare et quaenam futura finis tantis cladibus foret.*[1]) — *Dum haec* [in Campania, ubi Capua ad Hannibalem defecerat] *geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam redit responsumque ex scripto recitauit. diui diuaeque in eo erant, quibus quoque modo supplicaretur. tum 'si ita faxitis, Romani, uestrae res meliores facilioresque erunt, magisque ex sententia res publica uestra uobis procedet uictoriaque duelli populi Romani erit. Pythio Apollini re publica uestra bene gesta seruataque ⟨de⟩ lucris meritis donum mittitote deque praeda manubiis spoliisque honorem habetote, lasciuiam a uobis prohibetote'.*[2]) haec ubi ex

1) Iussu librorum Sibyllinorum Fabium in Graeciam missum esse quidam propter similem locum Liuianum (5, 13, 3 *quidnam eo die portenderent prodigio missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum*) arbitrati sunt. at in l. XXII accurate sciscitationes Sibyllae et Apollinis distinguuntur. illud tamen fieri potuit, ut Fabius potissimum, cum unus ex decemuiris sacris faciundis esset, ad oraculum mitteretur. suadet hoc scientia linguae Graecae, qua illi ut interpretes librorum Graecorum, etsi binis seruis adiuuabantur, ne ipsi quidem carere potuerunt, et Graeci ritus, quae in responso deferendo satis apparet, studiumque et cognitio rerum diuinarum, quae in fr. 16. quin etiam Diels in lepido suo libro *(Sibyllinische Blaetter)* p. 11. 104 sqq. his argumentis usus ab eodem Fabio duo oracula, quae illo fere tempore decemuiros ex libris Sibyllinis prompsisse Phlegon mirab. c. 10 tradidit quaeque ipse inseruit, composita esse suspicatus est. contra eum Wuellner *Prodig.* p. 101 sqq.

2) Diels p. 12 responsum Apollinis in hos uersus redegit: *Sic si faxitis, Romani, res meliores | uestrae escunt, mage procedet res publica uobis | ex sententia, erit uictoria uestra duelli. | ast lucris meritis de praeda donum et honorem | mittite Pythio. a uobis lasciuia abesto.* Dissensit Buresch *Wochenschr. f. kl. Philol.* 1890 c. 1253.

Graeco carmine interpretata recitauit, tum dixit se oraculo egressum extemplo iis omnibus diuis rem diuinam ture ac uino fecisse, iussumque a templi antistite, sicut coronatus laurea corona et oraculum adisset et rem diuinam fecisset, ita coronatum nauem ascendere nec ante deponere eam quam Romam peruenisset. se quaecumque imperata sint cum summa religione ac diligentia executum coronam Romae in aram Apollinis deposuisse. senatus decreuit, ut eae res diuinae supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent.

Denique Polybius eum senatorem fuisse et propter uitam et mores bene audisse nos certiores fecit (3, 9, 4): ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε καὶ τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν, et 1, 14, 2, quo loco de Fabio Philinoque agit: ἑκόντας μὲν οὖν ψεύσασθαι τοὺς ἄνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω, στοχαζόμενος ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν.[1])

Denique quasi hereditate studium artis et doctrinae accepisse uidetur. nam etiam Pictoris filius, N. Fabius Pictor (cos. 266. 488), consanguineum Q. F. Maximum Gurgitem a. 273. 481 ad Ptolomaeum legatum comitatus erat (Muenzer c. 1836), Cunctator filium mortuum ita laudauerat, ut oratione Thucydidem aequasse diceretur (uid. s. p. XXXIII sq.), unde explicatur, quod neque ille qui pinxit in fastis usquam commemoratur neque hic qui scripsit, atque ut illi ars laudi etiam a Romanis data est (Cic. Tusc. 1, 2, 4), ita hic de ciuibus publice doctrina et litteris mereri potuit; pestis quidem illa superstitionum urbem non solum post cladem Cannensem (uid. Polyb. 3, 112, 6. Diels l. s. p. 84 sq.) inuasisse uidetur, ut in ea sedanda etiam ciuilium artium grauitate et auxilio egeret. omnino igitur decemuiri militia soluti erant (Dion. 3, 62, 5), quo otio quem ad modum ceteri uti soliti sint, non est traditum, Q. Fabii Pictoris autem scientia non solum rerum a gente sua gestarum sed etiam

---

1) Inter proquaestores anni 219. 535 eum recenset Pighius annal. II p. 153, quem Vossius De hist. lat. p. 13, Lachmann De font. Liu. II 14 sq., Baumgart p. 2, Closset *Essai* p. 438 secuti sunt. sed a ueteribus nil de hoc magistratu relatum est. tum caue credas Lachmanno (l. s.) hunc Pictorem praetorem anni 189. 565 (Liu. 37, 47, 8; 50, 8; 51, 1) fuisse. fuit potius hic idem cum eo, qui teste Liuio (45, 44, 3) anno 167. 587, cum flamen Quirinalis esset, mortuus est et fortasse filius rerum scriptoris fuit, Muenzer l. s. c. 1841 sq.

diuinarum morumque, quorum deprauatio eum non fugit, ex fragmentis elucet (12. 15. 16. 20. 27. 28.).

Hunc uero Q. Fabium Pictorem primum res Romanas Romae enarrasse et quasi parentem historiae Romanae esse diserte et a Dionysio Halicarnassensi et a Liuio commemoratur. haec enim ille (1, 6, 2): *ὧν* (scriptorum Romanorum qui Graece res Romanas exposuere) *εἰσι πρεσβύτατοι Κόιντός τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους.* 7, 71, 1 (fr. 16): *παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων.* haec Liuius (1, 44, 2, fr. 10): *Adicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor.* 2, 40, 10 (fr. 17): *Apud Fabium, longe antiquissimum auctorem — inuenio* (cf. LXXXVIII sq.).

Res Romanas eum repetisse ab Euandro Aeneaque ex fragmentis 1. 3. 4, pertexuisse minimum ad pugnam ad Trasumennum commissam ex fr. 26 consequitur. sed etiam ultra hoc tempus eum in scribendo progressum esse inde apparet, quod, si duos tantum belli Hannibalici annos descripsisset, neque Polybius eum ut praecipuum eius belli scriptorem Romanum impugnasset neque Appianus l. s. s., ubi de missione eius Delphica loquitur, *συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων* appellasset. denique etiam in libris XXV et XXIX Liuius Fabium etsi non addito nomine citauit, significasse tamen uidetur, ut usque ad finem eius belli eum in scribendo peruenisse statuere possis.[1])

Qua autem ratione has res persecutus esset, loco memorabili exposuit Dionysius 1, 6: *ὧν* (Hieronymi Cardiani, Timaei, Antigoni, Polybii, Sileni, aliorum) *ἕκαστος ὀλίγα καὶ οὐδὲ ἀκριβῶς αὐτῷ διεσπουδασμένα ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς ἀνέγραψεν. ὁμοίας δὲ τούτοις καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόιντός τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους. τούτων δε τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν.* est sumptus ex prooemio (c. 1—8), quo cur hanc potissimum materiam (ab urbe condita usque ad bella Punica) artificiose scribendam elegerit, defendit. Romanorum enim uirtutes et dignas quae cognoscantur esse

1) Niebuhr *Vortr. ueb. roem. Gesch.* I 19. Mommsen *R. G.* II p. 273.

multisque utiles neque a quoquam Graece pro dignitate descriptas. nam Hieronymum τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν leuiter attigisse, Timaeum τὰ ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν in communibus historiis narrasse, bellum Pyrrhi speciali libro, simulque Antigonum, Polybium, Silenum innumerabilesque alios easdem res aggressos sua quemque ratione pauca parumque diligenter explorata (ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθείς) scripsisse, neque huic archaeologiae operi, quale sibi ipse proposuisset, Fabium Ciciumque satis fecisse, cum breuius describerent.

Iam uero, quoniam illum quae ante conditam condendamue urbem et post originem gesta erant, rhetorum Graecorum more latius fusiusque persecutum esse ex fragmentis (1—6) constat, in Dionysii ratiocinatione huius partis memoriae mentionem desideramus neque tamen causam omissae. nam omni ratione archaeologiae suae ab origine urbis repetendae se ipse priuasset. quod uero res ab urbe condita usque ad Fabii Cinciique aetatem uoce ἀρχαίων complectitur, et ipse opus suum usque ad id tempus (i. e. usque ad initium belli primi Punici, ad a. 266. 488, arch. 1, 8, 2) propagatum ἀρχαιολογίαν inscripsit (1, 4, 1) et Hieronymum, qui res ab Alexandri morte usque ad eum annum deduxerat, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν, Timaeum, qui usque ad a. 289. 465, τὰ ἀρχαῖα tractasse dicit; quod autem τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα addidit, origines urbis exclusit[1]), quas, si Graecorum κτίσεις meminerimus, usque ad reges expulsos proferre poterimus, certe usque ad Romuli mortem.[2])

Denique Dionysius, quia haec archaeologia κεφαλαιωδῶς a Fabio Cincioque absoluta esset, se habere professus est, cur eandem denuo retractaret. 'capitulatim' igitur illi res persecuti erant, i. e. ita, ut summas res litteris mandarent neque tamen inter se conecterent, simili ratione atque Cato in originibus, quem item et 'capitulatim' res persecutum esse Nepos (Cat. 3, 3) et orationes suas in-

1) Remouisse ita mihi uideor, quod Hullemanum De annal. max. p. 71 et Du Rieu p. 156 offendit in μετὰ praepositione, quorum ille Dionysii uerba mutauit in τά τε μετὰ τὴν κτίσιν, hic in τὰ κατὰ τὴν κ.

2) Nam etiam ea quae de rebus a regibus post Romulum gestis ex Fabio tradita sunt, plerumque pertinent ad res chronologicas aut numeros, atque prolixam illam Postumii ludorum descriptionem (fr. 16 a Fabio, cum suae aetatis res explicaret, insertam falso ad illud tempus a Dionysio relatam esse cum magna probabilitatis specie suspicatus est Kiessling De Dion. p. 14.

seruisse atque res quasdam ut Caedicii uirtutem fusius narrasse fragmenta docent.[1])

Sed Fabius exempla Graeca habuit, quibus hanc inaequalitatem narrationis excusaret uel defenderet, Ctesiam, qui copiose primorum regum Persarum ultimique res pertexuit, exiliter eorum, qui inter eos fuerunt, Hellanicum, qui quae inter migrationem Doricam et bella Persarum item exiliter, quae ante illam fabulis tradita erant et quibus ipse interfuit, copiose (Wachsmuth *Einleit.* p. 368. 511), Philochorum (a. 261 mortuum) omninoque Atthidographos, quorum ieiunitatis odium Dionysium 1, 8, 3 (cf. c. 7, 3) profiteri non mirabimur, eidem tamen huius rhetoris Graeci iudicium, qui ipse res Romanas aequaliter molesteque multis commentis auxit et amplificauit, in iustiorem modum redigemus neque Fabium Cinciumque quasdam res, quibus materia suppeteret, copiose et ornate, alias, quibus deficeret, paucis uerbis transegisse negabimus.[2])

Dionysius tamen, quamquam Fabii Cinciique scribendi ratio ei displicebat, eorum historia carere noluit. nam postquam quibus causis commotus archaeologiam adgressus esset, disseruit, etiam

---

1) Vis breuitatis et propter breuitatem uituperandi in hoc uocabulo non inest, quae ut summas res etiam breuiter percursas esse significaretur addenda fuit. usurpatum illud est etiam ab Aristotele (rhet. 3, 14 *οὐδὲν δεῖ προοιμίου ἀλλ' ἢ ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς, ἵνα ἔχῃ ὥσπερ σῶμα κεφαλήν*), frequentius ab historicis, Thucydide (6, 91, 6 *πολλὰ παρεὶς τὰ μέγιστα κεφαλαιώσω*) maximeque a Polybio, qui 1, 13, 1 bellum primum Punicum, tum Libycum, Hispaniense, Illyricum, Gallicum *ἐπὶ βραχὺ καὶ κεφαλαιωδῶς* praemissurum se esse praefatur (cf. c. 13, 7 *οὐ γὰρ ἱστορεῖν ὑπὲρ αὐτῶν προτιθέμεθα, μνησθῆναι δὲ κεφαλαιωδῶς προαιρούμεθα*, c. 13, 8 *διόπερ ἐπὶ κεφαλαίων ψαύοντες κατὰ τὸ συνεχὲς τῶν προειρημένων πειρασόμεθα.* 2, 1, 4 *νυνὶ δὲ τὰ συνεχῆ τούτοις πειρασόμεθα δηλοῦν, κεφαλαιωδῶς ἑκάστων ἐπιψαύοντες κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν*) et 1, 5, 4: *κἂν δέῃ τοῖς χρόνοις βραχὺ προσαναδραμόντας κεφαλαιώδη τῶν μεταξὺ πράξεων ποιήσασθαι τὴν ἀνάμνησιν.* itaque Dionysius Thucydidem uituperauit (de Thuc. 10, 7), quod pentecontaetiam *κεφαλαιωδῶς καὶ ἐπιτροχάδην* uix quingentis uersibus narrasset, omnia, quae ante se accurate (*ἀκριβῶς*) de Romana memoria Graece composita essent (etiam ab Hieronymo, Polybio ceterisque) *ἐπιτομὰς πάνυ βραχείας* (1, 5, 4) dicit, iudicium suum de rerum scriptoribus, qui ante Thucydidem fuissent, quo duo capita expleuit, *κεφαλαιωδῶς* se propositurum esse praefatur (23, 1. cf. 25, 1). etiam *κεφάλαια*, quo uocabulo saepe utitur, apud eum sunt summae rerum (uid. Kruegeri indic. p. 492 s. u.). Imitati sunt Graecos Latini uocabulo *capitulatim* (uid. infra de Catone).

2) Similiter Ennius, qui duodeuiginti libris res Romanas complexus est, tribus primis libris res regum scripserat, sexto iam ad Pyrrhum peruenerat (Vahlen, Enn.[2] praef. p. CLXXIV).

diligenter (ἀκριβῶς) per duos et uiginti annos se in opere suo componendo uersatum esse c. 7 ostendit. nimirum antea tribus locis eisdem uerbis in leuitatem et neglegentiam eorum inuectus erat, qui fortuito materiam congessissent (c. 1, 4. 4, 2. 6, 1). contra se exorsum ab illis Graece scriptis historiis (Hieronymi, Timaei, Antigoni, Polybii, Sileni, Fabii Cinciique ὡς ἐπισεσυρκότων τὴν γραφήν) primum Latinum sermonem eiusque litterarum cognitionem didicisse, tum alia ex consuetudine nobilium uirorum, alia ex libris, quos ipsi Romani laudarent, percepisse; itaque neminem sibi crimini dare posse, quod quas res apud illos non inuenisset, ipse subito scripsisset. capita igitur narrationis suae Fabii (Cinciique) historias haberi uoluit, quae ad ea supplenda et conectenda addita, ex optimis testibus Romanis repetita. sed apponam ipsa eius uerba[1]): *καὶ τὰ μὲν παρὰ τῶν λογιωτάτων ἀνδρῶν, οἷς εἰς ὁμιλίαν ἦλθον, διδαχῇ παραλαβών, τὰ δ' ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων συνέγραψαν Πόρκιός τε Κάτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς καὶ Λικίνιος Μάκερ Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι καὶ Καλπούρνιοι καὶ ἕτεροι συχνοὶ πρὸς τούτοις ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς, ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν*[2]) (*εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι*) *τότε ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ.*

Vsum uero esse Fabium Pictorem lingua Graeca aperte dicit Dionysius 1, 6, 1 (l. p. LXXII exscripto), Fabiique Pictoris Graecos annales commemorat Cicero (fr. 3). contempto autem patrio sermone unum ex nobilibus Romanis sui populi res gestas Graece enarrasse, nemo mirabitur, qui titulis marmori aeriue incisis, quos ex illa aetate habemus, collatis, quam non apta tum fuerit lingua Romana ad historiam considerauit, neque quisquam Naeuios et Liuios mihi obiciet, qui iam ante Fabium floruerint, si meminerit apud omnes populos longe antiquiorem curam, ut cum Isidoro (orig. 1, 37, 2) loquar, fuisse carminum quam prosae: 'Omnia enim prius uersibus condebantur, prosae autem studium sero uiguit', et eadem fere aetate Ekkehardum Vraugiensem, Ottonem Freisingensem, Ragewinum, alios sermone Latino usos esse constat res patrias scribentes, qua uersi-

---

1) maxime propter Pluessium De Cinc. p. 11 et in Fleckeis. ann. CIII p. 283, qui hic Fabii Cinciique mentionem iniectam esse negauit. neglexit enim uerba ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν (εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι) aut ea ad Fabium Cinciumque, de quibus cap. antecedente egerat Dionysius, referenda esse non uidit.

2) sic c. 6, 1 etiam Hieronymi et Timaei historias dixerat.

bus eaedem exponi sunt coeptae, et postea Fridericum Magnum aliosque homines nobili loco natos res franco-gallice pedestri oratione enarrasse, cum Gleimii, Ramleri, Kleistii, alii poetae, quae ille egregie gesserat, summa cum laude carminibus et hymnis persequerentur.[1]) quam ob rem ad Niebuhrii (H. R. II p. 9. Praelectt. I p. 19)[2]) sententiam non confugiemus, Fabium in Graecorum potissimum hominum usum scripsisse rati, ut melius et intellegentius de popularibus suis existimarent[3]), illud mihi et ex eis quae supra de Fabii Pictoris indole et doctrina exposui et ex totius nobilitatis eruditione Graeca[4]) consequi uidetur, illum a se impetrare non potuisse, ut Latine cum Graecae historiae, qualis tum florerent, principibus doctoque scriptorum grege, qui Hannibalem sequerentur et blandirentur, in certamen descenderet, etiam Romae autem habebat cur multos se inuenturum esse speraret, qui opus suum aequis animis legerent resque a Fabia gente gestas Corneliorumque recenti gloria obscuratas denuo cognoscerent admirarenturque.[5]) ignobiles autem in tali opera non curabat. Catone hercle opus erat, qui omnibus ciuibus Romanis ad hanc cognitionem aditum patefaceret. ipsa tamen arte et ratione historiam scribendi illum eosque qui successerunt Fabius superasse uidebatur. quin etiam ipse

---

1) Vid. C. Peter H. R. I p. 544 sq. Schwegler I p. 76. Ribbeck *Roem. Dichtung* I p. 33. — Etiam Leibnizius 'Annales imperii occidentis Brunsuicenses' Latine scripsit, etsi linguae patriae uirtutes et agnouit et laudauit, quod eam ad inquisitionem et disputationem nondum habilem esse putabat.

2) Adsensi sunt Bernhardy Roem. Literaturgesch.[4] p. 641. Mommsen Chron.[2] p. 134 (*'Ihr aeltester Geschichtschreiber Fabius, welcher, fuer Griechen griechisch schreibend, nicht umhin konnte die Olympiadenzaehlung hier und da zu beruecksichtigen'*). Diels *Sibyll. Blaetter* p. 105 sq. Muenzer *R. E.* VI c. 1838, alii. dissenserunt Lewis I p. 85 sq. 91, E. Zarncke p. 4 sq., alii.

3) Fabium non esse lectitatum a Graecis Dionysius Halic. significauit, qui hac causa se adductum esse scripsit, ut rebus Romanis operam daret (1, 4, 2): *ἔτι γὰρ ἀγνοεῖται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀλίγου δεῖν πᾶσιν ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱστορία, καὶ δόξαι τινὲς οὐκ ἀληθεῖς ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαι τοὺς πολλοὺς ἐξηπατήκασιν (de originibus Romanis) κ. τ. λ.*

4) Hac forsitan etiam ad Eratosthenis de urbe condita computationem deductus sit. uid. adn. ad fr. 6.

5) Suae quidem gentis laudibus ultra ueritatem auctis, aliarum diminutis eum memoriam Romanam haud raro deprauasse supra p. XLIII sq. pluribus exemplis docuimus.

Dionysius eum in bellis Punicis scribendis elegantia Polybio non solum parem fuisse sed etiam magis sibi adrisisse indicauit.[1])

De libri inscriptione nihil certi constat. adfertur sola Latina annalium (a Cicerone fr. 3, a Plinio fr. 24. 27); nam quam ex uerbis Polybianis (3, 9, 3) Krause p. 44 sibi elicuisse uisus est *βίβλοι ὑπομνήσεως*, male intellecta illa esse iam Becker in antiq. I p. 41 n. 72 monuit. neque de rerum per libros distributione quidquam compertum habemus, cum nusquam ex certo quodam libro aliquod fragmentum decerptum esse indicatum sit.[2]) Idem quoniam ipsa eius uerba nulla ad nos peruenerunt, de genere scribendi profitendum est. nam neque quin quae Dionysius et Plutarchus ex eo rettulerunt, etiam suis commentis et artificiis rhetoricis exornauerint et infucauerint quisquam dubitabit[3]) neque quin ipse arte sua carere noluerit, si larga copia materiae suppeteret, ut in fabula Romae conditae; fines tamen discribi non possunt.

Cum illis uero quae supra transscripsimus uerbis Dionysii et Ciceronis prorsus discrepant, quae ipsis uerbis ex Fabii Pictoris annalibus decerpta seruauerunt Latina Seruius, Quintilianus, Nonius, ut hoc quidem certissimum sit, etiam Latine annales a Fabio Pictore quodam compositos esse. quaeritur, quis is Fabius Pictor fuerit. atque Becker quidem (Antiq. I p. 41) et cum eo Closset (p. 446 sq. 677 sq.), Nipperdey (Opusc. p. 399), Schwegler (I p. 76), Hertz (in Fleckeis. ann. 85 p. 47 et in progr. p. 2), alii Q. Fabium Pictorem, qui antea Graece scripsisset, postea annales suos in Latinum uertisse existumant, sed ipse adduci non possum, ut illa aetate, quod numquam apud Romanos Graecosue factum est, eundem hominem de eisdem rebus et Graece et Latine egisse credam. accedunt duae res. primum enim quae causa fuit, ut paucis annis posteaquam patrium sermonem spreuit, libros Graece conscriptos in eum transferret? num sermo antea horridus et rudis tam subito mutatus et excultus est, ut iam homini Graece docto ad historiam aptus esse uideretur? aut etiam hominum Graece nescientium desiderio et usui seruire nunc uoluit? deinde Cicero nusquam de Fabio Pictore ut

1) Plutarchus Cunctatoris laudationem filii cum Thucydidis orationibus comparare ausus est. uid. s. p. XXXIII sq.

2) Dionys. 1, 79, 4 (fr. 5[b]) ubi in libris manu scr. est *τῆς γραφῆς*, Kiessling *ἐν πρώτῃ γραφῇ* coniecerat et in textum receperat. postea tamen ipse (*Zur Kritik des Dion.* Basil. 1868 p. 5) praetulit Pluessii coniecturam *γέγραφε*, itemque Jacoby.

3) Cf. Becker Antiq. I p. 418. Schwegler I p. 56. Lewis I p. 237—241.

de historiae Latinae parente loquitur, quod non dubito quin fecisset, si Fabium Pictorem illum antiquum praeter Graecos annales etiam Latinos condidisse sciuisset, immo de orat. 2, 12, 51 et 53 primos rerum Romanarum scriptores enumerans bis post Catonem Fabium Pictorem ponit. ibi enim Catulum facit dicentem, summi esse oratoris historiam scribere, ut Graeci scripserint, si, ut Romani, nihil opus esse oratore, atque Antonium haec respondentem: *Atqui, ne nostros contemnas, Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio.* tum postquam quae supra p. III posuimus, de annalibus maximis disseruit, sic pergit: *Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio (modo enim huc ista sunt importata) et dum intellegatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse breuitatem. — Ceteri* [praeter Antipatrum] *non exornatores rerum sed tantum modo narratores fuerunt.* quo loco uidemus Ciceronem et de eis solis historicis agere qui Latine scripserunt, et Fabium Pictorem post Catonem fuisse existimare. quam sententiam egregie adiuuant ea quae in Bruto 16, 61 de Catone scribit. negat enim se quemquam habere antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putet, nisi quem Appi Caeci oratio et laudationes delectent, atque non solum orationes sed omnia, quae sermone pedestri composita essent, eum haec dicentem in animo habuisse inde apparet, quod paullo post (17, 66) etiam origines propter flores et lumina eloquentiae pluribus laudat. quae cum ita sint, ad hanc sententiam infringendam nihil ualebit, quod Cicero de legg. 1, 2, 6 alio ordine historicos Atticum exhibentem inducit, facileque inueniri potest, unde haec diuersitas explicetur. persuadere enim studet Atticus Ciceroni, ut historiae operam nauet, et demonstrare hoc litterarum genus, quod oratorium esse arbitratur, prorsus abesse litteris Romanis: *Nam post annales,* ait, *pontificum maximorum, quibus nihil potest esse ieiunius*[1]*), si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes?* ubi non interfuisse Attici

---

1) De hac scriptura uid. s. p. XV.

uidemus, ut temporum rationem sequeretur, sed gradationem quandam eum spectauisse, non solum Fabium sed etiam Catonem, cui Cicero palmam historiae Romanae antiquae tribueret, exiles fuisse iudicantem. denique decem annis post libros de oratore scriptos complures Fabios notos fuisse Ciceroni intellegimus ex hoc loco (de diuin. 1, 26, 55): *Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius,* de quo loco etiam infra disputabimus, ut quorundam opinionem, qui duos Gellios Fabiosque dictos esse negant, refellamus. sed satis demonstrasse nobis uidemur Ciceroni praeter Fabii Pictoris Graecos annales etiam Latinos notos fuisse, — atque hac causa adductum censemus eum scripsisse (fr. 3) *in Fabii Pictoris Graecis annalibus,* qui uerborum ordo sane mirus est, nisi illum consilio in Graecis, non in Latinis annalibus se haec inuenisse dicere uoluisse existimamus[1]), — Latinorum uero annalium scriptorem ex eius sententia aut aequalem Catoni aut eo inferiorem fuisse, superiorem Pisone, non fuisse eundem atque parentem historiae Romanae. Hactenus cum Mommseno, Dielsio, Schanzio Niebuhrii[2]) sententiam se-

1) Non duximus de quo supra ageremus dignum Numerii Fabii Pictoris phantasma, quod cum uiros doctos diu uexasset, feliciter ad inferos depulit Hertz (*Philol. klin. Streifzug* p. 32 sqq.). omnino enim ex Ciceronis uerbis (de diuin. 1, 21, 43. fr. 3), quibus solis (praeter uirum monetalem nepotem uel pronepotem historici, Muenzer c. 1836) eius mentio fit, Numerii praenomen remouit, cum mutatione lenissima, quoniam et *Numeri* et *nostri* siglum est *N* uel $\bar{N}$, *nostri* substitueret et scriberet: *Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in nostri Fabi Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut* et q. s. sed hac coniectura nimis premi Fabii patriam totius loci conexu diligenter explicato docuit Pluess (in Iahni annal. uol. 99 p. 239 sqq.) et ipse pro *innumerum,* quae est librorum scriptura (*in Numeri* coniecit Sigonius) proposuit *in ueterrumis Fabii Pictoris Graecis annalibus.* praeterea van den Bergh (*De antiq. annal. script. Rom.* p. 33) *inclusum* excogitauit, Dederich (*Quaestt. philol.* p. 3—5) *nimirum in,* cuius inuentum recepi, quamquam ne hoc quidem locum omnino sanatum esse fateor; *N* ut iteratam ultimam litteram praecedentis uoc. *in* delet Gutschmid V p. 513, *nimirum Fabi* ut additamentum interpolatoris Wachsmuth ap. Baderum p. 32 sq.

2) Praelectt. I p. 27: *In diese Zeit* [post Cassium Heminam] *faellt der Fabius Pictor, den Cicero de oratore erwaehnt. Er war ein gelehrter Schriftsteller; sein Werk,* res gestae *betitelt, scheint sehr ausfuehrlich gewesen zu sein, da er den gallischen Brand im vierten Buche erwaehnt; doch ist die Zahl der Buecher unbekannt. Kein bedeutendes Fragment ist daraus erhalten. Er hiess Servius oder wohl Sextus.* Vid. Mommsen H. R. I[9] p. 925 (*R. F.* II p. 378). Diels *Sibyll. Blätter* p. 9 sq. Schanz *R.*

cutus sum; longius in eo scriptore definiendo progessit Krause (p. 48. 132 sqq.), cui adsensi sunt Du Rieu (p. 201 sqq.), quamquam ut solet caute et dubitanter, Gutschmid Op. V p. 514 sq., Muenzer *R. E.* c. 1842 sqq. ille enim profectus ab his Ciceronis uerbis (Brut. 21, 81): *Sed uiuo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. nam et A. Albinus, is qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit* (a. 151. 603), *et litteratus et disertus fuit; et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fuluius* (cos. 135. 619) *et una Ser. Fabius Pictor*[1]*, et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus, Quintusque Fabius Labeo* (cos. 183. 571) *fuit ornatus eisdem fere laudibus,* quod et aetas[2]) conuenit cum Fabio Pictore, quem inter Catonem et Pisonem Cicero (l. s. s.) posuit, et quia homo et iuris et litterarum et antiquitatis peritus dicitur, hunc Seruium Fabium Pictorem Latinos annales condidisse existimauit. atque sunt sane, quae cum hac coniectura faciant, etsi perpauca de hac gentis Fabiae familia tradita sunt, praeterque eos quos iam recensuimus Fabios Pictores, nemo nobis est notus, ut optio angusta sit; hoc autem sic explicari potest, Pictores litteris et artibus seruire quam magistratus administrare maluisse.

Non minus incertum est, quae ratio intercesserit inter argumenta Graecorum Latinorumque annalium; nam quae ex Latinis seruata sunt fragmenta, tam exigua sunt, ut inde nihil effici possit. sed, si coniecturae locus est, cum omnes historici superiorum annales exscribere religioni non habuerint, tum inter Catonem et Pisonem alterum Fabium Pictorem ataui libros, quos sine dubio in tablino gentilicio repositos inueniebat et sancta quadam ueneratione colebat, aut uertisse[3]) (quem ad modum annales A. Albini ab homine nescimus quo Latine redditos esse accepimus) aut multa ex eis in suos transtulisse et quasi in suae aetatis usum iterum edi-

---

Literaturg. I 1³ p. 231. nunc etiam Soltau se ei addixit (*Berl. phil. Wochenschr.* 1891 c. 1358).

1) De praenomine, cum in gente Fabia inusitatum sit, dubitant Guilielmus et Niebuhr l. s., qui Sexti praenomen praeferunt, et Mommsen *R. F.* I 16. — '*Ser.*' cum ex antecedente praenomine Seruii Fuluii ortum sit, omnino delet Bader p. 35.

2) Quod certiora de hoc Seruio adfert Krause p. 132, eum quaestorem a. 156. 598 et praetorem a. 146. 608 fuisse, etiam hic Pighii coniecturis se decipi passus est.

3) Haec est Pluessii sententia (De Cinc. p. 43 mus. Heluet. VI (1866) p. 47. Fleckeis. ann. CIII p. 290).

disse probabile est eaque tantum modo, quae post illius Fabii aetatem usque ad suam facta essent, ipsum addidisse.[1])

Iam ut ad fontes Fabii, quantum fieri poterit, eruendos eiusque fidem examinandam pergamus, multum diuque exercuerunt uiros doctos haec Plutarchi (in uit. Romuli c. 3) uerba: *Τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγον μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκεν*, et c. 8 *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες*. magnam tamen habet haec res difficultatem, cum quae de Diocle Peparethio memoriae tradita sunt, aut incerta aut nulla sint. refert quidem Athenaeus 2, 22 p. 44: *Διοκλῆ τὸν Πεπαρήθιόν φησι Δημήτριος ὁ Σκήψιος μέχρι τέλους ψυχρὸν ὕδωρ πεπωκέναι.* sed, ut hic idem fuerit atque Plutarcheus, nihil inde lucramur, nisi eum antiquiorem fuisse Aristarcho et Cratete, quibus aequalem fuisse Demetrium Scepsium Strabo 13, 1, 55 p. 609 testatur, neque alio loco patria addita ab aliis eiusdem nominis distinguitur (uid. Mueller, Fr. hist. Graec. III p. 74 s.). quem uero locum apud Festum (p. 269) expiscatus esse sibi uisus est Krause (p. 32): *Diocles Peparethius ait Iliam Numitor[is A]lbani regis filiam gemellos edidisse* et q. s., esset is quidem magni momenti, sed uerba sunt non Festi sed Vrsini, cuius supplementis Mueller hic temere adsensus est. ex eis enim quae exscripsi solae litterae *is A* uncis a me inclusae in libro manu scripto conspiciuntur, ita ut, quamquam de Romulo et Remo sermonem esse diuinare possumus, auctoris tamen nomen addere non minus temerarium sit quam huic supplemento sine dubitatione credere.

Proinde in hac re solis Plutarchi uerbis nitendum est. atque primum quidem Schwegler[2]) suo iure iam refutauit A. G. Schlegeli

1) Similiter Niebuhr H. R. II 631 sq. Gutschmid V p. 514, Schanz *R. L.* I 1³ p. 233 sq.

2) I p. 412 sqq. idem enumerauit, qui praeter se Plutarchi auctoritatem contempserint (in his Niebuhrium H. R. I p. 222 sq.), qui ei se addixerint. nunc adde inter illos: G. Christ, *Griech. Nachrichten über Italien, Sitzungsber. d. Bayer. Akad.* 1905 p. 119 sqq. E. Schwartz *R. E.* V c. 797 sq. (contra cuius argumenta recte quaedam Christ p. 120 sq. monuit); inter hos Susemihl *Alex. Litter.* I p. 626 sq. Ribbeck *Die roem. Trag.* p. 72 (Naeuii tragoedias Lupulum et Romulum utrique communem fontem fuisse), Mommsen *R. F.* II p. 279 sq. Muenzer l. s. c. 1839; Gutschmid V p. 516 absurdum esse dicit et Dioclem post Fabium scripsisse et hunc famam Romanam ex Graeco mutuatum esse.

(Annal. Heidelberg. 1816 p. 836 sq.) et Dahlmanni (*Forschungen* II 1 p. 129) sententias, qui per Dioclem ea, quae Graeculi de rerum Romanarum primordiis concoxissent, in Fabii et ceterorum historicorum Romanorum annales fluxisse coniecerant. nam hae fabulae Romae iam ferebantur, antequam scriptores Graeci res Romanas suis libris inlustrare coeperunt. deinde etiam Lucius Cincius, qui fuit Fabii aequalis, Romuli et Remi res ita enarrauit, ut Dionysio (1, 79, 4) quidem Fabium secutus esse uideretur: *περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, γέγραφε.* Catonem et Pisonem mitto, sed ut Cincius Fabium, scriptorem aequalem, transscriberet, fieri uix potuit. ita, quoniam cum Fabio eum consensisse ex Dionysio constat, utrumque ex Diocle hausisse sequeretur. quod quis est qui probet? praesertim cum Diocles inter nobiles scriptores Graecos, qui de primordiis urbis egerunt, uix fuerit, certe non referatur a Dionysio (1, 72 sqq.) in eo numero quamuis amplo. porro quid Ennius? qui paucis annis Fabio minor fuit[1]) et eadem fere rettulit quae Fabius.[2]) num etiam hunc aut Fabio aut Diocle usum recoxisse quae Graecus aliquis finxerat arbitraris? ne plura, fabula famaque illa Romana translaticia et a Naeuio primum litteris formata etiam minutissimas quasque res amplexa esse et in eis illa aetate iam satis constans fuisse uidetur[3]), atque ex hac, ut ex perenni fonte, omnes illos Fabios, Cincios, Ennios quae de Roma condita exhibuerunt, hausisse statuendum est. error igitur subest, uerum tamen non Plutarchi sed eorum, qui eum interpretati sunt. illud enim ᾧ non ad Dioclem pertinet sed ad *λόγον*, id quod anteposito uocabulo *καὶ* ante *Φάβιος Πίκτωρ — ἐπηκολούθηκεν* ille satis confirmauit (ut iam *Berl. phil. Wochenschr.* 1906 c. 241 sq. exposui). proinde quaerere desinamus, uter utro prior fuerit, illud constat et Fabium et Cincium et eos,

---

1) Septimum enim et sexagesimum annum se egisse Ennius ipse testatur (est a. 173. 581), cum duodecimum annalem scriberet (Vahlen Enn.[2] p. 67. cxcvi sq.).

2) De duobus Seruii locis (ad Aen. 1, 273. 6, 777), qui repugnare uideantur, uide Schwegler I p. 407.

3) Iam anno 298. 456 ab Ogulniis aedilibus curulibus lupa illa aenea pueros geminos nutriens posita erat, Schwegler I p. 413 sq. Mommsen Op. hist. I p. 2 sqq., qui duobus exemplis (*Die Remuslegende* p. 1—21 et *Die Tatiuslegende* p. 22—35) huius famae capita partim bellis Samniticis partim ante Hannibalicum Romae uulgata fuisse pluribus docuit.

qui secuti sunt, scriptores famam uulgarem 'ἐν τοῖς πλείστοις' libris suis memoriae mandasse, ut eorum consensus nobis nunc mirus non esse uideatur. neque Pictor habuit, cur eam desereret, quoad ubertatem quandam materiae praebebat (nam etiam regum res initiaque libertatis rei p. amplexa erat), quamquam in rebus exornandis ingenii sui fecunditati non omnino pepercit atque somniorum fictionibus ea praeripuit, quae postea accidisse narrauit (fr. 3), ita ut Dionysius, qua erat ieiunitate, eius scriptioni fabulosae aliam, quae naturae legibus magis conueniret, opponeret. quod uero memoriam popularem in paucis rebus mutatam in annales suos transtulit, melius de ueritate meritus est, quam si Pisonis more in illa artem criticam exercuisset eamque suis inuentis permixtam et suo arbitrio conformatam posteris tradidisset. indignus igitur est Dionysii reprehensione, quod eum parum considerate et leuiter Tullium et Arruntem Tarquinios filios Prisci fuisse (4, 6. fr. 11[a]) et Arruntem ab uxore interfectum a Tanaquile matre sepultum esse (4, 30. fr. 11[b]) tradidit, id quod per naturae leges fieri non potuisse quiuis intelleget, qui temporum rationem inierit.

Atque haec quidem de fonte primae annalium partis, qua urbis originem enarrauerat Fabius. alteri parti, qua capitulatim res usque ad suam aetatem percurrit, praeter litterarum monumenta, in primis pontificum tabulas, quae sacerdotibus praesertim patebant, larga materia suppetebat in gentis Fabiae tablino (uid. infra p. LXXXVIII sqq.) in quo quaecunque ad eam familiam pertinebant, magna cum cura uidentur esse reposita. quid? quod uel ex eis temporibus, quae cladem Gallicam antecedebant, memoriam aliquam hisce priuatis monumentis seruatam esse indicio quodam doceri uidetur. tradit enim Liuius 2, 47, 11, posteaquam pugna a M. Fabio consule a. 480. 274 cum Tuscis commissa et Manlium collegam et Quintum fratrem occisos esse narrauit, haec: *Funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit, idem in utroque laudator, cum concedendo illis suas laudes ipse maximam partem earum ferret.* quam rem nisi a Liuio fictam esse arbitraris, ad quamnam auctoritatem rectius referemus quam ad Fabiorum tablinum? (uid. supra p. XLII sqq.).

Tertia denique parte quae aut ipse uiderat (etiam suam ipse personam induxerat, fr. 24) aut ex aliis qui interfuerant, audiuerat, copiose exposuit, idque ita, ut Dionysius eius fidem summis quas haberet laudibus persecutus sit (1, 6, 2): *οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε*, et (7, 71, 1): *Κοίντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμε-*

νος πίστεως ἑτέρας· παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος. eodemque iudicio etiam aequales hoc opus exceperant, praesertim cum cognatus Fabii Cunctatoris et senator esset. quam ob rem Polybius, etsi eum imprudentem mentitum esse ex uita et ratione se colligere concedit, ut suae historiae uiam aperiret, nimis populi sui rerumque a suis gestarum amore inductum a uero aberrasse pluribus disputauit (1, 14 sq. 3, 8 sq.) eodemque eum loco, quo Philinum Agrigentinum, qui cum Poenis sensisset, posuit. sed hunc per totam historiam pro Carthaginiensibus mentitum esse quemuis deprehendere dicit, de Fabio autem datis occasionibus (*ἐπ' αὐτῶν τῶν καιρῶν*) argumenta se prolaturum esse professus duobus tantum modo locis eum impugnauit. primo quidem (fr. 22) eum uituperat, quod extremo bello primo Carthaginienses omnibus miseriis confectos (*ἐξαδυνατοῦντας καὶ περικακοῦντας*) Eryce decessisse tradiderit: *ἀλλ' ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες ἱερὸν ἐποιήσαν τὸν στέφανον.* altero (fr. 25) recte Fabium dixisse negat, praeter Saguntinorum iniuriam etiam Hasdrubalis superbiam et regnandi cupiditatem causam fuisse belli Hannibalici. sed in hac quidem re iniuria uituperauit Fabium Polybius. quae enim ille narrauit, ea non finxit sed re uera ferebantur ea a parte Carthaginiensium Barcidis infesta de initio belli et, quamquam non omnia, magnam tamen partem uera sunt.[1]) itaque quamuis priore loco, si quidem illa fuit Fabii sententia, haud immerito reprehendendus sit, in uniuersum tamen nimis acerbe et inique de eo iudicasse uidetur Polybius, ut idem de Phylarcho et Timaeo[2]); nam uix credibile est eum, qua utitur iudicii seueritate, etiam plures res, quae dubiae essent, inuentas silentio praeteriturum fuisse. quare huius acerbitatis origo praeter aemulationem historiae uidetur repetenda esse ex inimicitiis, quae inter Scipionum et Fabiorum familias intercedebant[3]), atque id egisse Polybius, ut auctoritate annalium Pictoris in dubium uocata Fabiorum gloriam eis maxime auctam et celebratam circumscriberet et minueret.[4])

Restat aemulatio gentilis, qua memoriam multis nominibus corruptam esse neque Pictorem eo uitio immunem fuisse supra demonstrauimus. at etiam in hac re nobis est excusandus, ueteribus raro

1) Meltzer, *Gesch. d. Karth.* II p. 392 sqq.
2) Vid. *Wahrheit u. Kunst* p. 259. 226 sqq.
3) Vide supra p. XLVII sqq. et infra p. XCI sq.
4) Indicia eius usus in Polybii opere exstare infra p. XCIII ostendemus.

uituperandus uisus est. nam res amplificatas et detortas iam in commentariis familiae suae inuenerat exemplumque imitatus est pontificum (uid. s. p. XXI), non solus sed etiam ceteri scriptores gentium nobilium. patriae autem laudem eum ultra ueritatem auxisse ne Polybius quidem exceptis duobus locis ei exprobrare ausus est.

Antequam tamen ad eos scriptores, quibus Fabii Pictoris Graecae historiae in manibus fuerint, recensendos pergamus, hoc disserendum erit, quo iure quas infra posuimus reliquias, ad illas rettulerimus. sed de uerbis ex Polybio (fr. 21. 22. 25) et Dionysio (5^b. 6. 8. 9. 11. 14. 16) praeter Pluessium, qui in hac re nimis coniecturis indulsit[1]), nemo dubitabit, nec minus mihi esse certum uidetur Liuium (fr. 10. 13. 17. 18. 19. 26) Graecis annalibus Fabii usum esse, cum fr. 23 Fabium historicum, qui Gallorum bello a. 225. 529 interfuerit — consensu enim Orosii et Eutropii Liuii uerba nos legere discimus —, fr. 26 Fabium aequalem belli Hannibalici se auctorem habere diserte dicat, fr. 10 et 17 scriptorem antiquissimum, fr. 13 Pisone antiquiorem appellet (qui 10, 9, 12 etiam uetustior auctor quam Macer ac Tubero dicitur), fr. 18 in antiquissimis scriptoribus ponat, fr. 19 autem, ubi simpliciter eum Fabium dicit, alium eiusdem nominis intellexisse uix sit credibile. adde quod fr. 13 Tarquinii Superbi manubias Pometinas scriptorum Graeco-

1) Mirum enim in modum Polybii uerba quaedam torsit (*De Cinc.* p. 15), ut recentioris Fabii Pictoris Latinis annalibus eum usum esse demonstraret. sunt ea uerba haece (fr. 25): *τίνος δὴ χάριν ἐμνήσθην Φαβίου καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου γεγραμμένων; οὐχ ἕνεκα τῆς πιθανότητος τῶν εἰρημένων — ἀλλὰ τῆς τῶν ἀναλαμβανόντων τὰς ἐκείνου βίβλους ὑπομνήσεως, ἵνα μὴ πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν ἀλλὰ πρὸς τὰ πράγματα βλέπωσιν. ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε καὶ τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν.* ex eo enim quod qui magis titulum quam res respicerent eidem essent cum eis qui Fabio, cum illis rebus aequalis atque senator fuisset, summam fidem tribuerent, conclusit ex ipso libri titulo illos cognouisse *et bello Punico secundo scriptorem interfuisse et senatorium fuisse.* cum autem ut ita Fabii Graecae historiae inscriberentur fieri non potuisset, ut uero libris, quibus Fabii proaui annales Latine uersi inserti erant, fidem pararet, Fabium recentiorem haec in titulo posuisse ueri esset simile, a Polybio non Graecos annales Pictoris illius antiqui, sed Latinos Fabii recentioris in usum uocatos esse. at illa de titulo eorum annalium, qui ex aliis exscripti erant, opinio argumento caret atque etiam eis, quae p. 14 disputauit, ut Dionysio Fabii Graecas historias ignotas fuisse demonstraret, uereor ut multis persuaserit.

rum more aestimat talentis.[1]) Porro Plinius fr. 24 ipsum Fabium de re quadam, quae bello Ligustino ipsi acciderit, loquentem inducit, nec est, cur altero loco (fr. 27), ubi Fabii Pictoris annales laudat, alium usurpatum esse dicamus.[2]) plures Fabios notos fuisse Ciceroni iam supra demonstrauimus, quam ob rem fr. 3 se ex Graecis Fabii annalibus Aeneae somnium referre adiciendum esse duxit. de fr. 15 uix lis oriatur, quoniam Fabiorum auctoritatem praeposuit Cicero et eandem rem eodem modo etiam Dionysius, qui paulo post Q. Fabium citat, exposuit (cf. adnot.). idem dicendum est de Plutarcho (fr. 5ª. 7), qui in eis, quae priore loco ex Fabio Pictore suo sumpsit, consentit cum eis, quae Dionysius secundum Pictorem antiquissimum pertexuit, unde etiam alter locus ad Graecos annales trahitur, et de Solino (fr. 6 adn.), qui de anno Romae conditae sententiam Q. Fabii etiam ab aliis traditam profert. restant fr. 28, quod Valesius ex Polybio in Suidae thesauros congestum esse recte iudicauit, fr. 20, quod Strabo seruauit, qui eos tantum modo scriptores qui Graece scripserunt adhibuit, fr. 4, quod Eusebius ex Diodoro, fr. 6 adn., quod idem (et Syncellus) ex Dionysio sumpsit, denique fr. 1.[3]) 2.[4])

1) Et Graecos et Latinos Fabii annales Liuium 'respexisse' Harless p. 9 suspicatus est, Latinis, non Graecis usum esse Nissen *Untersuch.* p. 41 et Pluess *De Cinc.* p. 15. Liuium tamen consilio et ratione mentitum pro recentiore uetustissimum illum auctorem inseruisse certis argumentis non probauerunt. an etiam pro argenti libris, quibus Piso manubias Pometinas aestimauerat, Fabio 'antiquiori' quemquam talentum computationem substituisse (1, 55, 7 sq.) putamus? (cf. Luterbacher Philol. 57 p. 510. J. Bader *De Diodori rerum Romanarum auctoribus,* Diss. Lips. 1890, qui omnino Fabii Pictoris annales Latine scriptos exstitisse negauit p. 32—42). alia quaestio est, num illum ipsum omnibus locis, quibus eum appellat, ante se habuerit, de qua uide infra p. xc.

2) Etiam hic Harless p. 9 apud Plinium Latinos auctores intellegendos esse arbitratus est, quod Fabius in indicibus Plinianis numquam non in eorum scriptorum numero conspiceretur, qui Latino sermone usi essent. sed opinione prorsus falsa ducitur, nam non sermone librorum sed origine hominum secreuit Plinius homines. cf. ut alios omittam, ind. libr. XII, ubi in Romanis auctoribus est: *Sextius Niger qui Graece de medicina scripsit.* ind. lib. XVIII: *item L. Tarutius, qui Graece de astris scripsit.* ind. l. XXXIII: *Iulius Bassus, qui de medicina Graece scripsit.*

3) Krause p. 63 hoc fragmentum *Fabii grammatici* esse putauit, deceptus corrupta uerborum Victorini scriptura. etiam quod Lersch (*Sprachphilos.* III p. 145) scripsit *Graeci* pro *grammatici* probari nequit, quia etiam Demetrius et Hermocrates Graeci fuerunt. uid. adn. ad Cinc. fr. 1.

4) Primus indicauit hoc fr. M. Haupt (Opusc. uol. III p. 330 sq.) la-

3b (unum Seruii fr.). fr. 12[1]) in hoc numero exstare uoluimus, quod ad aliquem Fabium referenda erant, et ut nihil pro Latinis annalibus faciebat, ita nihil impediebat, quominus Graecis tribueremus. asterisco tamen haec distinximus.

Sed ut redeamus, unde deuertimus, Dionysius (1, 79, 4) hunc Fabium secutos esse in Romuli Remique rebus usque ad Numitoris recognitionem Amuliique caedem (c. 83) enarrandis L. Cincium, Porcium Catonem, Calpurnium Pisonem, ceterorum scriptorum maiorem partem existumauit. at de Cincio quidem est cur uehementer dubitemus, cum Fabio aequalis fuerit, de ceteris iudicium certe ambiguum est; nam popularis fama, quam Fabius uulgauerat, cum eius nomine quasi coaluerat, ut Graeci scriptores eam illius celebri auctoritate confirmare soliti sint. itaque a probabilitate non abhorret iam Dionysium, cum sua aetate fieri animaduertisset, ut popularis fama pro Fabiana ueniret, consensum inter Fabium eosque scriptores, qui ei successerant, ex illius usu repetiuisse.[2])

Ex eis autem qui aetatem tulerunt scriptoribus Cicero, cum libros de oratore componeret, Latinos tantum Fabii Pictoris annales cognouerat (u. s. p. LXXVII sqq.), tum uero decem annis post, cum de diuinatione, fortasse Attici amici studiis, qui etiam de Fabia gente scripsit (Vol. II p. XXIX), deductus primus Fabiorum historiae meminit et bis Graecos annales citauit (fr. 3. 15).[3]).

---

tens in adnotatione Isidori Areual. III p. 566 (= Otto p. 143). inuenerat autem Areualus in Isidori codicibus ecclesiae Toletanae charactere Gotico exaratis, neque tamen in contextum Isidori recepit, cum omnino nihil cohaererent cum Isidori uerborum sententia, quibuscum consarcinata erant: *Satyriasis iuge desiderium Veneris cum extensione naturalium locorum: dicta passio a satyris.* patet igitur casu quodam in uacuum exemplaris alicuius originum marginem ea esse delata et postea, ut fieri adsolet, in ipsas origines intrusa. neque tamen ideo auctoritate carent. quae enim ex Alexandro Polyhistore excerpta illic prolata sunt, ita conueniunt cum eius ratione et consilio, quo res Graecas et Romanas consociare studebat, ut ex antiquo aliquo fonte illa uerba fluxisse statuendum sit. ceterum quae de re indagari poterant, proposuit Haupt l. s.

1) Apud Arnobium omnium auctorum qui adferuntur ordo omnino perturbatus est.

2) Vid. libellum meum 'De origine gentis Romanae' (*Lpz. Ges. d. Wiss. Berichte* LXVI p. 95 sq.). — De Polybii usu Fabii uid. infra p. XCII sq. Coelium de primis belli Hannibalici annis Fabium secutum esse infra, ubi de illo agemus, exponemus.

3) Seeck *Kalendertafel* p. 106 num eos in manibus habuerit, dubitat.

Plurima autem fragmenta Liuio debemus, antiquitatis admiratori, cum sex locis, ut eos, qui ex eo descripti sunt, excludamus, auctoris nomen adscripserit[1]), aliis significauerit, plerisque reticuerit. ut quod 2, 18, 5 apud 'ueterrimos auctores' T. Larcium dictatorem primum et Sp. Cassium magistrum equitum creatos se inuenisse scribit, aliis locis, quibus Fabium potissimum antiquissimum scriptorem fuisse dicit, comparatis eum hunc in animo habuisse probabile est.[2]) deinde uero etiam haec Fabii uestigia apud Liuium in prima decade esse uidentur, quod, ubicunque fere ad res a Fabiis gestas transit, et pluribus et amplioribus quasi exsultans utitur uerbis[3]), maxime in altero libro, ubi bellum Veiens narrat, totus color eius narrationis is est, ut iam Niebuhr (h. R. II p. 224) eam ad gentis Fabiae commentarios domesticos rettulerit, quae sententia hac re confirmatur, quod Liuius in his capitibus (c. 47, 11) duarum M. Fabii consulis laudationum mentionem fecit (cf. supr. p. LXXXIII). sed etiam in ceteris libris, uelut in explicanda discordia, quae inter Papirium Cursorem et Fabium Rullianum intercessit, ita cum Rulliano Liuius facit (8, 30—35), ut, praesertim cum c. 30, 9 (fr. 18) Fabium Pictorem testem citet, haec quoque capita ad eius auctoritatem redire uideantur. quin etiam totum paene caput tricesimum in fragmentis posuimus, cum, postquam alios bis cum hoste signa collata tradidisse, quosdam annales totam rem praetermisisse commemorauit, addat *apud antiquissimos scriptores unam hanc pugnam inueniri,* scriptorem autem antiquissimum ipsum Fabium esse etiam ex seqq. appareat.[4]) simili studio exornauit Q. Fabii Maximi iter

1) Omisi 3, 4, 1, ubi in codicibus quibusdam falso ex margine in tenorem orationis Fabiorum nomen inrepsit, quod a Sigonio explosum est.

2) Vid. s. p. LIV. Non sunt confundendi cum his locis ei, quibus annales priscos uel ueteres Licinio Macro opponit (3, 7, 10. 4, 7, 20. 7, 9, 5, cf. 4, 23, 2). hic enim omnes annales, quos Liuius legerit, Macro antiquiores intellegendi sunt.

3) Vid. s. p. XLVI. Mommsen *R. F.* I p. 97 n. 65: *Merkwuerdig und ein weiterer deutlicher Beweis dafür, dass Livius in der ersten Dekade hauptsaechlich von Fabius abhaengt, ist die Hervorhebung der Aedilitaeten des Fabischen Geschlechts.* Nitzsch *Roem. Anal.* p. 78 sqq. 267 sqq. eidem sententiae adstipulatus etiam indolem rationemque Pictoris per Liuii historias perspexisse sibi uisus est.

4) Appendicis uerba ipsa haec sunt (c. 30, 7—9): *auctores habeo bis cum hoste signa conlata dictatore absente, bis rem egregie gestam. apud antiquissimos scriptores una haec pugna inuenitur, in quibusdam annalibus tota res praetermissa est. magister equitum, ut ex tanta caede, multis*

trans Ciminiam siluam factum (9, 36—37) eidemque soli adsignat laudem uictoriae ad Sutrium reportatae (c. 35), quam Diodorus (20, 35) cum collega communicauit, et ad Lautulas non Romanos uictos, id quod etiam Diodorus (9, 72) concessit atque Liuius 'apud quosdam' inuenerat, sed ancipiti proelio dimicatum, tum uero praeclare a Fabiis, Q. dictatore et C. magistro equitum, Samnites uictos esse narrauit (9, 23). denique toto libro decimo primas agunt Fabii.[1]) neque tamen Liuius in describendis Fabiorum rebus sibi constabat. nam Pictoris auctoritatem propter antiquitatem ceteris praeferendam esse existimabat et eius gentis uirtutes summa admiratione persequebatur fruebaturque hac exoptata materia, sed idem diuersam famam de eis cognouerat, qua occupatus multas res aliter atque Fabius narrauit (quas Lachmannus magnam partem collegit de font. Liu. I p. 52 sqq. passim) atque, ut haec exempla afferam, 8, 40, 1 et 10, 17, 11, quas res in quibusdam annalibus Fabiis tributas inuenisse se dicit, eas idem in tenore narrationis neglectas aliorum laudi dederat, denique 9, 28, quae Diodorus 19, 101 (uid. p. XLV) ad Q. Fabii dictatoris gloriam traxit, a Poetelio dictatore in Samnio gesta esse scripsit.[2]) quin etiam octauum librum sic claudit (c. 40, 4): *nec facile est aut rem rei aut auctorem auctori praeferre. uitiatam memoriam funebribus laudationibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa.* qua querella Liuium Fabiam potissimum gentem dixisse paene certum, Pictorem ueri simile est.

---

potitus spoliis congesta in ingentem aceruum hostilia arma subdito igne concremauit, seu uotum id deorum cuipiam fuit, seu credere libet Fabio auctori eo factum, ne suae gloriae fructum dictator caperet nomenque ibi scriberet aut spolia in triumpho ferret. ubi, si fastu gentili Fabiano Rulliani laudem maxime auctam esse consideramus, nos legentes offendit, Pictorem aperte confessum esse Papirii dictatoris inuidia motum illum spolia concremasse. errore potius Liuium aut eius auctorem, qui diuersas famas collegerat, duas mutasse putauerim Pictoremque, ut Rullianum defenderet, uotum praetendisse.

1) Cf. G. Klinger *De decimi Liuii libri fontibus* (Dissert. Lips. 1884).

2) Nitzsch *R. Annal.* p. 50—61. 77—82 (cf. p. 267—300) ex libris II et III, in quorum fontes data opera accuratius inquisiuit, haec secundum Fabium pertexta esse statuit: 2, c. 1—21, 33—41, 44—51, alia cum aliis scriptoribus contaminata. quamquam uero id mihi persuasit in his partibus uetustiores auctores adhibitos esse a Liuio quam a Dionysio in eis, quae his Liuianis respondent, tamen has totas paucis rebus exceptis ex illo sumptas esse uix adfirmare ausim.

etiam magis Fabiorum inconstantia in rei p. administrandae ratione offendimur. nam Liuius postquam eius gentis superbiam saepe cum indignatione quadam castigauit, mutatos subito M. Fabii popularitate animos populi esse quasi dedita opera dicit dicitque[1]) cladique Cremerensi gentilium uirtutibus descriptis hac clausula praefatur (c. 47, 12): *inde populares iam esse Fabii nec hoc ulla re nisi salubri rei publicae arte.* eadem arte inimicitias explicuit, quas Fabii et Claudii inter se gerebant, quas iam Pictor descripserat (uid. supra p. L sqq.). atqui Licinius Macer in historia sua id egit, ut nobilitati obtrectaret, popularem autem causam inlustraret atque celebraret, Liuiumque in contentione patrum et plebis narranda multa ex eo mutuatum esse infra pluribus exponemus itemque ueri simile esse in ea Fabios, quibuscum Licinii quondam etiam affinitate coniuncti fuerant, principes moderatae factionis senatorum fuisse, Claudios implacabilis plebique infestae, ut haec eorum odio incensa etiam uinci ab hostibus mallet. citat autem illum Liuius septies in prima decade unoque loco, ut famam quandam Fabiis iniquam refutet (10, 9, 10. fr. 19), quam etiam paulo post significat (c. 11, 9). itaque per Licinium multa ex Pictoris historia in suum opus transtulisse uidetur[2]), quaedam uero ex hac ipsa, eamque extremo demum libro octauo fastu eius gentili offensus seposuisse, comprobaturque ea opinio Diodori memoria comparata.

In altera decade non neglectum esse Fabium a Liuio inde intellegitur, quod Orosius et Eutropius (fr. 23) eisdem fere uerbis Fabium historicum de bellis Gallicis laudant. de tertia in eorum sententiam inclino, qui Polybium et Coelium Antipatrum a Liuio contaminatos quaeque ex illo originem non ducunt, maximam partem ad hunc referenda esse censent. multa igitur Fabiana etiam in hac apud Liuium exstare sequitur, quoniam in Coelii auctoribus antiquissimus ille ponendus est. in dubitatione tamen etiam ipsum Liuius inspexit. nam 22, 7, 4 (fr. 26) se in numero eorum definiendo, qui ad lacum Trasumennum interfecti sint, *Fabium, aequa-*

---

1) 2, 42, 8: *Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus unoque uelut tenore omnes expertos tribuniciis certaminibus habitum.* deinde eis, quae sequuntur, talia inspersit: *Fabium nomen, Fabia gens maxime enituit* (c. 45, 16), *inter primores genus Fabium insigne spectaculo exemploque ciuibus erat* (c. 46, 4), similia.

2) Necessitudinem quandam inter Pictorem, Licinium, Liuium intercedere recte Soltau *Liu.* p. 119 sqq. perspexit, ultra uerum tamen progressus, quod p. 8 Fabium, Cincium, Catonem, Acilium, Gellium, Tuditanum Liuio ne notos quidem fuisse ponit.

lem temporibus huiusce belli, potissimum auctorem habere profitetur.[1]) quae uerba similiaque primae decadis si comparaueris, etiam duobus aliis locis a Liuio eundem significari cum quadam probabilitatis specie conicies. prior hic est (25, 11, 20): *Ceterum defectio Tarentinorum utrum priore anno an hoc* (212. 542) *facta sit, in diuersum auctores trahunt. plures propioresque aetate memoriae rerum hoc anno factum tradunt.* quo loco cum Polybio, a quo Tarentum iam a. 213. 541 defecisse existumabat narratum esse (8, 26 sqq.), auctorem antiquiorem opponat, non potest in animo habere Coelium, qui Polybio fere fuerit aequalis, sed solum Fabium, cuius auctoritatem 22, 7, 4 de eadem causa aliis praetulerat. praeterea Liuius Fabium significasse uidetur 29, 14, 5: *Eo accessit* (*a.* 204. 550) *consultatio de matre Idaea accipienda. — haud paruae rei iudicium senatum tenebat, qui uir optimus in ciuitate esset. — P. Scipionem Cn. f. eius, qui in Hispania ceciderat, adulescentem nondum quaestorium iudicauerunt in tota ciuitate uirum bonorum optimum esse. id quibus uirtutibus inducti ita iudicarint, sicut traditum a proximis memoriae temporum illorum scriptoribus libens posteris traderem, ita meas opiniones coniectando rem uetustate obrutam non interponam.*[2])

1) In ipsa pugna describenda eum quae Polybio inspergeret, ex Coelio deprompsisse infra exponemus. nam Fabii auctoritas ad solum hominum caesorum numerum pertinet, id quod cuiuis, qui non praeoccupatus animo ad hunc locum interpretandum accesserit, facile apparebit. Cf. C. Peter l. s. p. 55.

2) Reticere nolo et Diodorum (34, 33) et Dionem (fr. 57, 61) uirtutes addidisse Scipionis inter se congruentes. haec enim ille: *ἐκρίθη τῶν μὲν ἀνδρῶν ἄριστος Πόπλιος Νασικᾶς, τῶν δὲ γυναικῶν Οὐαλερία. οὐ μόνον γὰρ τῇ πρὸς θεοὺς εὐσεβείᾳ διαφέρειν ἔδοξεν ἀλλὰ καὶ πολιτικὸς ὑπῆρξε καὶ συνετὸς ἐν τῷ τὴν γνώμην ἀποφαίνεσθαι.* Dionis uerba haec sunt: *ὅτι τοῦ Πυθίου κελεύσαντος τοῖς Ῥωμαίοις τῷ ἀρίστῳ τῶν πολιτῶν ἐπιτρέψαι τὴν θεὸν ἐκ Πεσσινοῦντος κομιζομένην ἐς τὸ ἄστυ, Πούπλιον Σκιπίωνα, παῖδα τοῦ Γναίου τοῦ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ τελευτήσαντος ὄντα, ἁπάντων προέκριναν καὶ προετίμησαν, αἴτιον δὲ ὅτι ἄλλως τε . . . καὶ εὐσεβὴς καὶ δίκαιος ἐνομίζετο.* has tamen uirtutes quiuis ipse nullo auctore fingere potuit neque opus erit hanc ob causam, quod neque Diodoro neque Dioni Fabius ignotus fuisse uidetur, illo loco Liuiano Fabium significatum esse negare. — Nescio an etiam quae de Pleminii causa Liuius rettulit (29, 6—9. 16, 4—22), ad eundem Fabium redeant. totus enim Liuius ibi facit cum Q. Fabio, qui aduersariorum Scipionis princeps fuit (c. 19). uid. in primis c. 16, 5: *nec tam Plemini scelus quam Scipionis in eo aut ambitio aut neglegentia iras hominum inritauit.* His igitur duobus locis, et silentio illo de P. Scipionis uirtutibus et hoc crimine,

Tum ex Romanis Fabium Pictorem laudauit Plinius bis in naturalis historiae libro X et XIV (fr. 24 et 27) et in indice libri XV, in quo ipsa tamen Fabii uerba delituerunt.[1]) num alia ex eo sumpserit, ignoramus. utique nomen eius in indicibus librorum X et XIV propter eos locos, quibus in ipsis libris Fabii auctoritatem adscripsit, additum esse ex ordine quo auctores enumerantur colligitur, neque operae esse pretium uidetur alia Fabii uestigia in eis quaerere.

Hic tamen postremus scriptor Romanus ipsum in manibus habuisse, si habuit[2]), et exscripsisse uidetur. nam Arnobium (fr. 12), Marium Victorinum (fr. 1), Solinum (adn. fr. 6), Seruium (auctum fr. 3^b), Isidorum (uel quisquis fr. 2 in margine adnotauit) quae ex eo referunt, alius auctoris diligentia usos esse, per se admodum ueri simile est; praesertim cum plerique Fabii auctoritatem cum aliis consociauerint, ut aequo animo spondere possis, non omnes aut plures sed nouissimum quemque ab eis inspectum, aliorum nomina inde sumpta esse (*Gesch. Litt.* II 257 sq.).

Sequuntur scriptores Graeci, quorum primus Polybius Fabio usus est. eius iniquum iudicium iam supra (p. LXXXIV) explorauimus

---

gentium Fabiae et Corneliae inuidia significari uidetur, unde Liuium animo occupatum ad Pictoris historias accessisse confirmatur.

1) Seposuimus hunc Plinii locum, quamquam Fabius citatur (8, 81): *Euanthes inter auctores Graeciae non spretus scribit Arcadas tradere ex gente Anthi cuiusdam sorte familiae lectum ad stagnum quoddam regionis eius duci uestituque in quercu suspenso tranare atque abire in deserta transfigurarique in lupum et cum ceteris eiusdem generis congregari per annos nouem. quo in tempore si homine se abstinuerit, reuerti ad idem stagnum et, cum tranauerit, effigiem recipere ad pristinum habitum addito nouem annorum senio. id quoque Fabius eandem recipere uestem. mirum est quo procedat Graeca credulitas! nullum tam inpudens mendacium est, ut teste careat.* apparet enim non Pictorem dici sed Graecum aliquem scriptorem. Brunn *De indic. Plin.* p. 21 Fabium Procilium intellegit, qui in indice eius libri altero loco ponitur et 8, 4 de Pompei triumpho laudatur. is autem fuit Romanus neque in eum quadrat, quod deinde de Graecorum credulitate exclamat Plinius. ego cum Sillgio, qui nomen *Fabius* pluribus nominibus offendere adnotauit, mendum inesse suspicatus eram et latere fortasse aut uerbum aliquod *subicit* uel *subdit* uel tale quid (*traditum* Vrlichs Fleckeis. ann. LXXV p. 338 sq.), aut *fabulosius,* quod Pellicerius coniecit, Detlefsen in contextum recepit, aut *fabula eius* (Hertz in progr. p. 12), nunc mihi maxime adrisit Mayhoffii *e fabulis* (in ed. Ianii altera).

2) Muenzer *Quell. d. Plin.* p. 179 sq. 183. 189 sqq. ad Varronem Plinii doctrinam etiam hic redire admodum probabiliter demonstrauit.

quatenus probari possit, nunc quaeritur, num existimandum sit Polybium infra dignitatem suam duxisse eius scriptoris auctoritati se subicere, in quem tam grauiter inuectus erat. atqui hoc certis argumentis euinci potest, Phylarchum, Agidis et Cleomenis admiratorem, quamuis multis opprobriis a Polybio Achaeo, qui Arati studiosus erat, oneratum tamen spretum non esse atque in eius auctoribus fuisse (cf. mus. Rhen. XXII p. 81 cum not. 53), idemque de Timaeo poterit demonstrari. deinde quaedam nobis occurrunt Fabii certa uestigia in Polybii historiis, ubi auctoris nomen frustra requirimus: 2 c. 24 numeros militum Romanorum ad bellum Gallicum a. 225. 529 conscriptorum ex eo sumptos esse dudum consentitur (uid. adn. ad fr. 23), epitomas, quibus memoriam Romanam ab initio usque ad bellum Pyrrhi (1, 5 sq.) et bellorum Gallorum (2, 18—20) percurrit, ab eo pendere B. Niese (Herm. XIII p. 410) docuit; 3, 84, 7 eundem Romanorum (fortasse etiam Poenorum, uid. adnot. ad fr. 26) numerum ad lacum Trasumenum caesum esse scripsit, quem Fabius (fr. 26), cum alios alium numeros rettulisse ex Liuio compertum habeamus; denique etiam quod a. 225. 529 ab L. Aemilio consule quadraginta milia Gallorum caesa esse et Polybius (2, 31, 1) et Eutropius (3, 5) Orosiusque (4, 13, 10) memoriae prodiderunt, aut uterque, et Polybius et Liuius, Fabii auctoritate nituntur aut Liuius Polybium exscripsit.[1]) quae cum ita sint, quia nusquam alius de his rebus primarii fontis uestigia apud Polybium apparent[2]) et uix probari potest, omnia ab ipso ex ore eorum, qui interfuerunt, excepta et conquisita esse: ut Phylarchi et Timaei, sic etiam Fabii, quamuis acerbe reprehensi, materiam alienis coloribus purgatam suo iudicio et ingenio infecisse uidetur.

D i o n y s i u s in primordiis urbis enarrandis complura se ex Fabio

---

1) De Nitzschii et Boettcheri (*Kritische Untersuch. ueber die Quellen des Livius im XXI. u. XXII. Buch* in Fleckeis. suppl. V p. 351—443) opinionibus uide infra d. uit. et scr. Coel. Ant. Polybii belli Punici primi descriptionem Fr. Reuss in Philol. LX p. 102—148 inter Fabium et Philinum diuisit illique has partes adsignauit: 1, 20—24, 7. 25, 5—30, 4. 32—34. 36—37, 4. 39, 2—6. 40—41, 1. 49—51; fundamenta tamen eius debiliora sunt quam opinatur; neque enim omnia, quae Eutropius et Orosius prodiderunt (p. 129), sine dubio pro Fabianis aestimanda sunt. sed in summa sententiae consentimus, etiam cum Gortzitza in progr. Strassb. pruss. 1883). vid. etiam Meltzer *Gesch. d. Karth.* II 557 sqq.

2) Etiam 3, 22, 2, ubi Brutum et Horatium consules fuisse ait duodetriginta annis postquam Xerxes in Graeciam transiisset, Fabii temporum rationem eum sequi animaduertit Mommsen Chronol. p. 128.

hausisse ipse professus est, num multa alia mutuatus sit, cum Kiesslingio (De Dion. font. p. 7 sqq.) dubito, cum ille et in eis quae post urbem conditam facta sunt, per omnes aequaliter partes ei non satis copiosus et prolixus fuerit et omnino ingenio eius Fabii narrandi genus uix placuerit. sic enim loquitur de hac historia, Fabium aut aperte dicens aut in animo habens (cf. adn. ad fr. 5[a] et 7): *οἱ δὲ πλεῖστοι μυθολογοῦσι τοῦ δαίμονος εἴδωλον* (1, 77, 2); *μέχρι μὲν δὴ τούτων οἱ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων τὰ αὐτὰ ἢ μικρὸν παραλλάττοντες οἱ μὲν ἐπὶ τὸ μυθωδέστερον, οἱ δ' ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθείᾳ ἐοικὸς μᾶλλον ἀποφαίνουσι* (1, 79, 1); *ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν τήν τε ἀπόθεσιν τὴν τῶν βρεφῶν οὐχ ὡς ἐκελεύσθη τοῖς ὑπηρέταις γενομένην ἀπίθανον εἶναί φασι* (1, 84, 1); 2, 56, 2 *οἱ μὲν οὖν μυθωδέστερα τὰ περὶ αὐτοῦ ποιοῦντες — φασὶν —. οἱ δὲ τὰ πιθανώτερα γράφοντες πρὸς τῶν ἰδίων ὁπλιτῶν λέγουσιν αὐτὸν (Romulum) ἀποθανεῖν.*[1]) quam ob rem initio quidem utramque et Fabii, ad quem eius uetustate et auctoritate ducebatur, et Pisonis, quo ipsius animus et studium inclinabat, narrationes, quas de rebus Romuli et Remi exhibuerant, coniunxit (1, 71—78), tum, quia nimis inter se diuergebant, hac re desperata eas seiunctas, unam post alteram, utramque sub sua auctoritate, libris suis inseruit (2, 38—40), postremo magis magisque se Pisonibus addixit et raro Fabium inspexit, quem, posteaquam liberae rei publicae res tractare coepit, si unum locum excipis (fr. 16 cf. adnot. fr. 15), cum nimis breuiter plerasque res indicaret potius quam enarraret, prorsus uidetur abiecisse. aperte enim hic recentiores et uberiores auctores secutus est. qua de causa etiam in eis capitibus (9, 1 sqq.), quibus bellum a Fabiis contra Veientes susceptum narratur[2]), ea ipsa ueteris coloris uestigia, quae Liuius retinuit, desiderari recte Nitzsch ostendit *R. Annal.* p. 78 sqq.

Diodorum Siculum[3]) cum ceteris historicis Romanis omnino discrepare, hoc certum statutumque est. nam ut res intestinas cer-

---

1) Cf. Diodor. 7, 5, 4 *περὶ δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης Φάβιος — ἄλλως μεμυθολόγηκε.*

2) Quod Niebuhr (H. R. II p. 224) adsentiente Schweglero (II p. 745) hoc bellum et a Liuio et a Dionysio ex Fabiae gentis commentariis domesticis haustum esse coniecit, scriptores illos diuersos confudit, qui distinguendi sunt.

3) Vsus sum Drachmanni excerptis *Diodors Roem. Annalen bis 302 a. Chr.* (1912).

taminaque plebis patrumque paene omnia ab eo neglecta esse omittam (cf. E. Schwartz *R. E.* V c. 692), multa antiquitatis indicia prae se fert. quid? quod loco quodam auctor quo usus est haud ambigue usque ad bellum Hannibalicum retrahitur. nam quo loco a. 315. 439 Luceriam coloniam deductam esse narrat (19, 72, 3—9), eam non solum illo bello Samnitico sed etiam postea maximo usui fuisse addit: *ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς μετὰ ταῦτα γενομένους [πολέμους] ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διετέλεσαν ὁρμητηρίῳ χρώμενοι κατὰ τῶν πλησίον ἐθνῶν.* atqui populis in Apuliam etiam Hannibalis aetate a Romanis erat bellum inferendum, non erat Diodori[1]), quem sua inconsiderate ex auctore suo exscripsisse I. Kaerstius (Fleckeis. suppl. XIII p. 764) uidit, alii confirmauerunt, in primis C. Wachsmuth (*Einleit.* p. 94)[2]), qui eundem, quae Posidonius de Liguris feminae constantia et patientia ex Charmoleo hospite Massiliensi se audisse scripserat (Strabo III 4, 17 p. 165 = Fr. Hist. Gr. III p. 275 fr. 53), sua aetate (*καθ' ἡμᾶς*) factum esse nominibus omissis repetiit (4, 20, 2) et quae de amicitia inter Haeduos Romanosque iuncta Strabo ex Posidonio (4, 3, 2 p. 192), oscitanter eam *μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων* durasse (5, 25, 1).[3]) neque ad illum solum locum haec auctoritas pertinet. nam omnem historiam Romanam usque ad bellum Pyrrhi, quo ad Hieronymum Cardianum transiit, recte ita pertexuit, ut ambos consules coniunctis uiribus res gessisse sumeret atque, si ab eo more discessissent, hoc necessitate factum esse tradendum esse censeret (20, 35, 2 *διόπερ ἠναγκάσθησαν οἱ ὕπατοι διαιρεῖν τὰς δυνάμεις*), id quod Liuium omnino nescisse atque etiam miratum esse, cur quibusdam annis ab auctoribus suis commemoratum esset, supra uidimus.[4]) denique res ipsae, quamuis multis lacunis discretae sint, eo tenore procedunt, ut optime omnes inter se congruant neque grauiores suspiciones dubitationesque de ueritate moueant. itaque I. Kaerst alterum Samnitium bellum per annos persecutus eius auctoritatem longe Liuianae praeferendam

---

1) Vid. Nissen *Ital. Landesk.* II p. 843 sq., ubi tamen a. 49. 705 alieno loco meminit.

2) Vid. etiam Muellenhoff *Deutsch. Altert.* II p. 303 sqq.

3) Simili incuria Diodorum Polybii iudicia transtulisse Wachsmuth l. s. animaduertit. quamquam ne alii quidem scriptores, ut Liuius, Plinius mai., eodem crimine uacant. Vid. *Die Scriptt. hist. Aug.* p. 28.

4) Cf. I. Kaerst *Die roem. Nachrichten Diodors und die consularische Provinzenverteilung in der aelteren Zeit d. roem. Republik* in Phil. XXXVIII p. 306—339.

esse docuit[1]), Ben. autem Niese historiam suam Romanam, quantum fieri potuit, usque ad illud bellum in fundamentis eius superstruxit. atqui etsi aliis quibusdam partibus Diodori bibliothecam suam componentis per complura capita subesse Posidonium, aliis Polybium dudum intellectum est[2]), fidem tamen eius multi augendo superiecerunt, minuerunt etiam tenuitatem ingenii industriaeque, quoniam omnia, quae intra illos fines inuenirent, continuo ad unam illam auctoritatem referebant. somniasse quidem saepe Diodorum in scribendo modo ipsi ostendimus, eum tamen, cum primarium suum auctorem excerperet, hic illic aliena testimonia inseruisse mox confirmabimus.

Nam de Romanis scriptoribus unum nominauit (Q.) Fabium (Pictorem), idque in fragmento a Syncello seruato (4 = Diodor. 7, 5, 4): *περὶ δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης* [Albae Longae] *Φάβιος ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας ἄλλως μεμυθολόγηκε· φησὶ γὰρ κτλ.*, postquam errorem *ἐνίων τῶν συγγραφέων* refutauit, quo Romulum ex filia Aeneae natum esse scripserant atque Ascanium urbis a se conditae nomen ex flumine Alba, quod postea Tiberis appellatum esset, mutuatum esse commemorauit (uid. Mommsen *R. F.* II p. 268). hoc igitur loco Diodoro eum non ignotum fuisse patet. quod uero in prima decade indicia eius alia non perlucent, hoc ita non in altera eum in usum non uocatum esse demonstratur, ut huic sententiae fauere uideatur. tacere enim solet Diodorus eos ipsos auctores, quos exscripsit. itaque quod Niebuhr ei Fabium subesse diuinauit (H. R. II p. 630. III 264 sq.), comparata Liuii ubertate et loquacitate atque Diodori ieiunitate et simplicitate, qua quaedam illius offensiones tollerentur, chronologiaque utriusque eo deductus, certis argumentis stabiliuit Mommsen[3]) persuasitque plerisque uiris doctis ad scriptorem minimum bello Hannibalico aequalem Diodori memoriam reuocandam esse. nolo nunc narrationem capitulatim recensere bello maxime altero Samnitium Fabiorum admirationem spirantem.[4]) illud tamen etiam Mommsen concessit (l. s. II

1) *Kritische Untersuchungen zur Geschichte des zweiten Samniterkrieges* in Fleckeiseni suppl. XIII p. 723—769.

2) in libris XXVIII—XXXIV, uid. Nissen *Untersuch.* p. 110 sqq. Volquardsen *Untersuch. ueb. d. Quellen des Diodor* p. 26 sqq.

3) *Fabius u. Diodor* in *R. F.* II p. 221—290 et *Die gallische Katastrophe* ibid. p. 297—381.

4) Indicem rerum Romanarum Diodori E. Schwartz *R. E.* V c. 691 sqq. composuit, textum A. B. Drachmann typis excussit.

p. 241. 265 sqq. 275) Diodorum Fabii siue alius eiusdem aetatis auctoris historiam exscribentem alios inspexisse et cum primario contulisse suntque alia praeter exempla ab eo adlata in promptu.[1]) iam uero ipse Diodorus sermonis Latini scientia gloriatur atque in operis sui prooemio haec praedicauit (1, 4, 4): *Ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες καὶ διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς Ῥωμαίων διαλέκτου περιπεποιημένοι πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων.* Latino igitur auctore eum usum esse conicias et commentariis ueteribus apud Romanos seruatis, ex quibus si res omnes ab eis gestas sumpsisse uideri uult, nihil aliud dicere potuit quam tabulas pontificum in tablino repositas. quas Diodorum requisiuisse atque manibus triuisse quis credet, praesertim cum iam diu in publicum editae multo commodius usurpari possent? itaque eo confugimus, ut etiam hunc locum ex fonte suo Diodorum exscripsisse nobis persuadeamus[2]), quem quidem etiam aliis ueteribus testimoniis et documentis se iactasse constat, ut Demetrii Phalerei commentario ex Polybio ad uerbum translato (31, 10, Nissen *Untersuch.* p. 111 sq.). neque tamen quidquam ad definiendam linguam auctoris hinc consequitur, immo quoniam Diodorum mendacii et ostentationis hac in re conuicimus, parum ueri simile nobis uidebitur eum Latinos quam Graecos annales pro fundamento habere maluisse. qua de causa quod E. Meyer (mus. Rhen. 37 p. 610 sqq.)[3]) ex formis nominum fastorum eius (*Φιδηνάτης* ex ablatiuo *Fidenate*, *Στρούκτων* ex *Structo*) Latinitatem auctoris perspici argumentatus est, nouum subsidium eorum opinioni succreuit, qui fastos a Diodoro cum narratione conglutinatos esse censuerunt. redire quidem eos ad tabulas publice scriptas luculenter Mommsen (l. s. II p. 225 n.) ostendit, in quibus nomen gentile, si in binis continuis uersibus adferendum erat, semel in priore ponebatur, insequenti eius locus uacuus relinquebatur. nam pro tribunis militaribus M. Furio, L. Furio, C. Aemilio 14, 97 nominauit M. Furium, C. Aemilium, numerauit tres, 15, 2 errore intellecto,

1) C. Peter *Kritik der Quell.* p. 116 sqq. Kaerst in Fleckeis. suppl. l. s. p. 767 sq.

2) Sic etiam Wachsmuth et Cichorius in studiis Lipsiensibus IX p. 225.

3) Hist. antiq. V p. 139 Cassium Heminam Diodori auctorem fuisse suspicatus est.

ut numerum expleret, ex C. Aemilio effecit Gaium et Aemilium. at res ipsas Latine ab auctore Diodori scriptas esse nec Harless (l. s. p. 3—6) nec Pluess (Fleckeis. ann. IC p. 241. CIII p. 290) nec E. Meyer l. s. demonstrauit.[1]) eo maioris momenti illud eius mendacium ideo est, quod ueteris illius scriptoris testimonium seruauit, cui priusquam annales maximi editi essent, ut historiam scribere possent, ipsum tablinum adeundum fuit.

Num Strabo[2]) praeter eum locum, ubi addito nomine Fabium citauit, eo usus sit (fr. 22), pro certo adfirmari non potest. quae tamen de origine urbis (5, 3, 2 p. 228 sq.) exponit, potuerunt ea manare ex Fabio, repraesentant certe memoriam Romanam, non Graecam, atque cum Strabo sermonis Latini haud ita gnarus fuisse uideatur neque frequenter scriptores Latinos legerit, de quibus iudicium prorsus peruersum ferat (3, 4, 19 p. 166), Fabii Graecos annales eum praetulisse non abhorret a ueri similitudine.[3])

Ex Plutarchi uitis huc pertinent Romuli, Fabii, Marcelli uitae; nam in ceteris Plutarcho annales Fabianos materiam suppeditare non potuisse ex eorum indole, quam supra adumbrauimus, apparet.[4]) atque in Romulo quidem, cuius fons primarius fuit Varro, bis Fabium citat et quae de Romuli et Remi initiis narrauit, ipse se ex eo mutuatum esse testatur, sed etiam aliis locis eius uestigia conspiciuntur, ut in Tarpeiae proditione (cf. adn. ad fr. 8). in Fabii atque Marcelli uitis Plutarchum paucis exceptis plurima ex Pictoris Graecis annalibus hausisse eosque accuratissime secutum esse, ut saepe ipsa uerba retineret, euincere conatus est M. Buchholz (*Quibus fontibus Plutarchus in uitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit* Gryphisw. 1865). multa sane insunt in Fabii uita, quae pro eius

1) Contra Mommsen Graeci sermonis illius tenax est, *R. F.* II p. 273 sq.

2) Misi Nicolaum Damascenum (fr. 5^b in adn.). nam siue cum Corayo et L. Dindorfio (Iahn. ann. 99 p. 111 sqq. et hist. gr. min. I p. IV) librariorum culpa illud factum esse existimamus, ut Dionysii uerba inter eius excerpta intruderentur, siue, quod tamen mihi minus placet, cum Valesio, Muellero (Fr. H. Gr. III p. 410), Ritschelio (Opusc. I p. 532) Nicolaum hoc loco Dionysiana ad uerbum in libros suos transtulisse, Fabio certe non est usus.

3) Quamquam non ignoro apud Fabium filiae precibus exoratum Amulium Siluiam non occidi, sed uinciri iussisse, apud Strabonem propter fratrem Amulium (χαριζόμενος ἀδελφῷ) Siluiae uitae pepercisse. hoc tamen Strabonis errori tribui potest.

4) Cf. *Quellen des Plut. in den Biographien der Römer* p. 146—162. 171. 51—57. 74—80.

gentili facere uideantur, in primis mirus consensus in aliis cum Liuio, in aliis cum Polybio, et inclinatio animi ad eum; sed quoniam fundamentum, quo haec sententia nitebatur, communem Liuio et Polybio fontem fuisse Fabium, subtractum est, ad alium fontem refugiendum est, quem, nisi uiam ab aliis uitis prorsus diuersam in hisce uitis conscribendis Plutarchum ingressum atque etiam Latino aliquo auctore usum esse statuimus, ut certo indagaremus, nondum nobis contigit; uita Claudii Marcelli huc non pertinet, quae etsi copia auctorum citatorum a Fabiana diuersa est, erroribus, quibus illi corrupti sunt, difficultatem augent.

Appiano haud ignotos fuisse Fabii annales inde colligimus (uid. Niebuhr Praelectt. II p. 61), quod, ubi legationis eius Delphicae mentionem facit (Hannib. 27), eum συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων appellat; plerumque uero eum pendere in bello Hannibalico scribendo ex auctoribus Graecis, Sosilo, Chaerea eorumque similibus, mihi persuasit C. Peter (*Liv. u. Polyb.* p. 65 sqq. 76); de uetere memoria Romana res dubia est.

Cassium Dionem in eis partibus quibus potuit Fabio usum esse primario auctore se inuenisse postquam Niebuhr praedicauit (H. R. II p. 13. 191 n. 367), causis certis R. Wilmans (*De font. et auctor. Dion. Cass.* Berol. 1835 p. 3—6) demonstrasse sibi uisus est. is tamen breuiter hanc rem transegit, in qua diligentiore disputatione opus est, ea quidem pauca argumenta, quae protulit, iam diluit Du Rieu p. 164 sq.[1]) ceterum uix potuisse Dionem Fabio uti in eis describendis quae post Romulum uel reges usque ad bella Punica facta sunt, satis confirmatur eo iudicio, quod Dionysius de hac annalium Fabianorum parte fecit, qua de causa eum sua ex Liuio et Dionysio contaminasse A. Schmidt (in ed. Zonarae Dd. VI p. XXIX) et Mommsen (*R. F.* II p. 116) suspicati sunt. bellum autem Hannibalicum in similem modum enarrauerat atque Appianus, quam ob rem de hoc Dionis historiarum fonte idem est statuendum quod de Appiani.[2]) denique de primordiis urbis quae Zonaras et Tzetzes (ad Lycophr. 1232 fr. 2, 4 p. 5 Boiss.) ex Dione excerpserunt, con-

1) Etiam diligentius eam H. Haupt (Phil. 39, 541—548) tractare coepit, ex cuius disputatione hoc apparet exscriptum non esse Fabium a Dione, sed quae ex eo propter similitudinem uidebantur, per alios auctores, qui qui fuerint nescimus, ad eum transisse.

2) Maxime in Hannibalis indole ac natura depingenda Dio (fr. 54 B.) ita ei fauet, uix ut scripserit talia Fabium secutus, quem Polybius Poenorum irae, studii Romanorum insimulet. — Cf. H. Haupt l. s. p. 547 sq.

cinunt illa quidem cum fama uulgari uel Fabiana, sed ad Plutarchum redeunt.[1])

Itaque usque ad Augusti aetatem Fabii annales seruatos esse uidimus, ultra quod tempus, quo Liuii splendor iam omnes Latinos annales obscurabat, ut Fabius in hominum manibus esset et lectitaretur atque etiam Appiano Dionique notus esset[2]), in primis Graeco annalium sermone factum esse uidetur, quo Graecos scriptores, cum et libros a Romano scriptos et suum sermonem haberent, allectos esse credibile est.

---

1) Cf. C. Peter *Liv. u. Pol.* p. 67 sqq. 76. A. Baumgartner *Ueber die Quellen des Cassius Dio fuer die aeltere roem. Geschichte* (1880).

2) Syncellus et Eusebius (adn. fr. 6) quae ex Fabio de anno urbis natali adferunt, ex Dionysio sumpserunt. — Ineditum Vaticanum Arnimii (Herm. XXVII p. 118—130) a Fabio non pendere, ut ipse coniecerat, E. Wendling Herm. XXVIII p. 335 sqq. demonstrauit.

L. CINCIVS ALIMENTVS[1])

Q. Fabii Pictoris quasi umbra est L. Cincius Alimentus, genere ortus plebeio ille quidem sed antiquo et nobilissimo. de eo certissimum testimonium habemus apud Liuium, qui 21, 38, 3 (fr. 7) ubi ad L. Cincii Alimenti auctoritatem prouocat, eum captum se ab Hannibale scribere dicit. Punicis bellis eum floruisse cum Fabio adfirmat Dionysius (1, 6, 2) additque alio quodam loco (1, 74, 1, fr. 4) eum senatorii ordinis (*τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου*) fuisse. itaque quoniam hunc historicum in senatu fuisse uidemus, praesertim cum praeter hunc unum alium Cincium Alimentum, fortasse Lucii fratrem[2]), cui praenomen fuit Marco, qui tribunus plebis a. 204. 550 a senatu cum aliis legatis in Siciliam missus, ne P. Scipio in Africam proficisceretur, frustra impediuit (Liu. 29, 20, 11), tum legem de donis et muneribus tulit, postea a. 193. 561 Pisarum praefectus fuit (Liu. 34, 56, 1), rem publicam capessiuisse cognouerimus, quin haud diuersus ille sit non dubitabimus[3]) ab eo L. Cincio Alimento, quem idem Liuius (26, 23, 1) a. 211. 543 praetorem creatum esse tradidit.[4]) itaque insequenti anno ex patrum decreto in locum P. Cornelii Lentuli propraetoris missus ad obtinendam Siciliam

---

1) H. Liebaldt *Historicorum Rom. reliquiae denuo collectae et illustratae* (specimen de Cinciis) Halis 1833. M. Hertz *De Luciis Cinciis scripsit, Cinciorum fragmenta edidit* Berol. 1842. Th. Mommsen in chronol. Rom. 315—319. Th. Pluess *De Cinciis rerum Romanarum scriptoribus* Bonn. 1865. idemque *Ein neuer roem. Geschichtschreiber* in mus. Heluet. n. VI (1866) p. 36—64. L. Cohn *L. C. Alim. und die historische Kritik N. J.* V (1900) p. 323—340. 640 sq. Schanz I 1³ p. 234—237. Wissowa *R. E.* III c. 2555 sq. Cichorius *R. E.* III c. 2556 sq.

2) Liebaldt p. 8. Muenzer *R. E.* III c. 2557.

3) Pighii (Annal. II p. 142), quem secutus est Clinton Fast. Hell. III p. 41, sententiam, qui hunc historicum praetoris filium fuisse coniecerat, iam Liebaldt p. 7 confutauit. uid. etiam Hertz l. s. c. 8.

4) Quae de quaestura prouinciali, tribunatu, aedilitate pleb. Pighius (Ann. II p. 142. 171. 178) protulit, repetierunt Liebaldt p. 5, Lachmann D. f. L. II p. 16, Krause p. 64, ex hac praetura et lege Villia annali computata sunt.

Cannenses milites accepit duarum instar legionum (Liu. 26, 28, 3; 11), annoque exeunte cum M. Valerius Laeuinus consul litteris excitus Romam rediret, prouinciae exercituique ab eo iussus praefuit (27, 5, 1) mansitque in insula imperio prorogato etiam in a. 209. 545, cum a M. Valerio pro consule eam partem, qua regnum Hieronis fuisset, tuendam accepisset (Liu. 27, 5, 1; 7, 12; 16). eo tamen tempore quas res ipse gessisset, quo in uniuersum fortuna Romanis in insula adrisit, Liuius uel nesciuit uel tacuit, strenue autem a. 208. 546 cum classe ex Sicilia a consulibus eius anni arcessitus Locros oppugnauit, ubi tum cardo belli uertebatur, neque prius desperauit quam clade utriusque consulis coactus (27, 26, 3 sq. 28, 13—17), qua infelicitate ita non eius dignitas est inminuta, ut, cum Crispinus consul graui uulnere ne comitiorum causa Romam ueniret, impeditus a senatu petiisset, ut ad se mitteret 'uiros prudentes', cum quibus quae uellet de re publica loqueretur, mitteret is L. Cincium Alimentum, qui paucis ante diebus redierat, Sex. Iulium Caesarem, L. Licinium Pollionem (27, 29, 1—6). postea uero nusquam horum legatorum fit mentio, atque L. Cincii omnino euanescit memoria.

Iam quaeritur, quo tempore, utrum ante praeturam an post, captus sit. atque Niebuhr quidem (H. R. I p. 282) initio belli Hannibalici in Poenorum manus Cincium incidisse dicit. sed cum Romani tum captiuos aut redimere nollent aut sicut eos qui fugerant ignominia notarent, id fieri potuisse recte negant Lachmann De f. L. II p. 16 et Liebaldt p. 7. quae enim causa fuit Romanis, ut hunc potissimum, qui nondum ad rem p. accesserat, redimerent? deinde, ut hoc factum esse largiamur, si Cannensi exercitui sub ignominia in Sicilia militanti is qui ipse in Poenorum potestate fuerat, praeficiebatur, nonne omnia disciplinae uincula soluebantur? itaque, quoniam per Liuium liberum de tempore arbitrium est, rectius Cincium post a. 208. 546 in Hannibalis potestatem uenisse existimabimus.

Fortiter igitur L. Cincius bello Hannibalico interfuit ciuesque et re manuque et consilio adiuuit. postea idem quam uaria esset belli fortuna expertus a Poenis captus est, sed minus acerbe tractatus atque etiam cum ipso Hannibale congressus et Graeco sermone, cuius utrumque gnarum fuisse constat, de belli rebus esse collocutus uidetur. fortasse hac ipsa re quod multa audiuerat ex Hannibale, adductus est, ut uel in captiuitate uel post bellum confectum in patriam reuersus historiae scribendae operam daret. gens quidem eius etsi plebeia, tamen nobilitate insignis erat sepulcrumque eius prope portam Romanam statua columnisque ornatum diu celebratum

est (Fest. p. 57. 262). haud indigna igitur ei esse uideri potuit aemulatione Fabiae.

De ipsis annalibus quae pauca dici possunt, prodita ea sunt a Dionysio Halicarnasensi atque iam supra cum de Fabio ageremus, quoniam uno loco excepto ille semper Cincium consociauit cum Fabio, a nobis exposita et explicata (p. LXXXI sqq.). Graece igitur, ut nobilitatis Romanae iudicio satisfaceret neque Graecorum arte inferior esse uideretur, patrii sermonis asperitate spreta quam Latine scribere maluit[1]), rerum cognitionem aut fabulis famaeque aut annalibus maximis aut suis oculis memoriaeque debebat[2]), easque inde ab Aeneae aduentu usque ad suam aetatem ita persecutus est, ut et urbis originem et eas res, quibus ipse interfuerat, copiose et accurate enarraret, capitulatim percurreret ea quae inter haec tempora facta sunt.

Inscriptio annalium aut liber quidam certus nusquam adfertur, fragmenta perpauca eaque magnam partem dubia ad nos peruenerunt, iudicia de eo a nullo uetere scriptore prolata sunt[3]), neque Polybius aut Cicero mentionem eius iniecerunt. uidetur igitur scriptor plebeius patricii gloria obscuratus nec multum lectitatus esse, unde, ni iam tum habuissent sua fata libelli, historiae palmam Fabio tribuendam esse concluderemus. nunc de librorum Cincianorum indole ac fide propter reliquiarum paucitatem et tenuitatem iudicium cohibendum est.

Sed Niebuhr (H. R. I p. 282), quem secuti sunt Lachmann (D. f. L. I p. 16), aliique atque etiam post Hertzium Closset (*Ess.* p. 448 sq.),

1) Non inprobo omnino causas, quibus Hertz p. 12 Cincium commotum Graece scripsisse suspicatur. is enim uel edocendo Hannibali libros suos eum destinasse uel Graecorum potissimum eruditioni arbitratur, ut eos digniore de Romanorum historia sententia imbueret. subest enim aliquantum ueritatis, etsi neque in usum Hannibalis Graece scripsit sed contra eius admiratores, Sosylum, Silenum aliosque, neque in usum Graecorum sed nobilium Romanorum linguae artisque Graecae peritorum et iudicum. uid. supra p. LXXV sq.

2) Quod Dionysius 1, 79, 4 Cincio Fabium fuisse fontem adseuerat, hac in re eius auctoritatem pro nihilo habendam esse supra p. LXXXII docuimus; illud eius consilium forsitan fuerit, ut post editum Pictoris opus hominum doctorum, qui patricii Fabiique non essent, fauorem ad partes suas traheret (Blum *Einleitung in Roms alte Geschichte* p. 67).

3) Apud Liuium 21, 38, 3 (fr. 7), ubi antea uulgabatur *Cincius — maximus me auctor moueret,* nunc ex optimis libris scriptura *Cincius — maxime auctor moueret* restituta est.

nuper L. Cohn p. 325 sqq. C. Neumanni praelectiones secutus, eximiis eum celebrauit laudibus, cum huic scriptori acuti ingenii, summae adsiduitatis, antiquitatis Romanae egregie perito, qui etiam monumentis indagandis et perscrutandis res Romanas inlustrasset, summam fidem et auctoritatem esse habendam scriberet. ille tamen deceptus est reliquiis librorum quorundam Cincianorum ad antiquitatem et res grammaticas pertinentibus, quos libros non huic sed alteri L. Cincio[1]) aetatis multo recentioris tribuendos esse[2]) primus monuit Longolius (*Notitia Hermundurorum* II p. 3 — 14 ed. Ernest., cuius tamen argumenta futilia sunt. uid. Liebaldt p. 13. Hertz p. 28), tum efficere studuerunt Zumpt (*Berl. Jahrb. f. wiss. Krit.* 1829 p. 94), Krause, Liebaldt, Merkel (Praef. Ouid. fast. p. LXXV sq.), Maduig (Opusc. acad. p. 105), denique euicit Hertz, cui plerique uiri docti adsensi sunt, Schwegler H. R. I p. 79, Wissowa et Cichorius *R. E.* III c. 2555 et 2556, Schanz I 1³ p. 234 sqq., alii.[3])

Sunt uero libri hice[4]):

1. de fastis liber (Macrob. sat. 1, 12, 12; 18; 30. Ioann. Lyd. de mens. 4, 22 p. 80 W.; 44 p. 79 Bk. 64 p. 118 W.[5]), 86 p. 135 W.[6]); 92 p. 108 Bk. 144 p. 164 W.).

2. de comitiis liber (Fest. s. u. patricios p. 241 M.).

3. de consulum potestate liber (Fest. s. u. praetor p. 241).

4. de officio iuris consulti libri minimum duo (Fest. s. u. nuncupata pecunia p. 173. Sanates p. 321. subici p. 347).

5. mystagogicon libri minimum duo (Fest. s. u. trientem p. 363).

6. de re militari libri minimum sex (Gell. 16, 4, 1; 2—4. 5. 6).

---

1) Praenomen Lucii additum est a Festo p. 218, quod incaute negauerant Longolius et Krause p. 71.

2) Etiam tres Cincios distinguit Egger *Lat. serm. uet. rel.* p. 34 sq. iam refutatus a M. Hertzio in *Neue Jen. Litteraturz.* 1844 n. 182 p. 727.

3) Ipse C. Neumanni auctoritati, cuius sententiam olim in praelectionibus Vratislauiae propositam in publicum L. Cohn edidit (uid. p. CI), me debere arbitratus denuo in hanc disputationem ingressus sum.

4) Secutus sum in plerisque Hertzium p. 32—59, quemadmodum etiam Bremer *Iurisprud. antehadr.* I p. 252—260 et Funaioli *Gramm. Rom. fr.* p. 371—382.

5) ex Wuenschii cura addita

6) Merkel p. LXXVI ex inscriptione Lydiana περὶ ἑορτῶν librum singularem *de feriis* elicuerat eidemque tribuerat etiam locum quendam Macrobii (sat. 1, 16, 28) coniectura temptatum. at uid. Hertz p. 35 sqq. Mercklin *Berl. Jahrb.* 1843. II p. 297.

7. de uerbis priscis liber (Fest. s. u. scenam p. 330. peremere p. 214. reconductae p. 277. rodus p. 265. — *Tuditantes p. 352. *gentilis p. 94. *natio p. 166. *naccae p. 166. *naucum p. 166. *nuptias p. 170. *noualem agrum p. 174. *Obstitum p. 193. *praecidanea porca p. 218. *refriua fabra p. 277. *Salias uirgines p. 329. *sinistrae aues p. 339. *uindiciae p. 376. — *Seru. ad Aen. 2, 225 (de uoce delubro, ubi *ut Cincius* ex Daniel. edit. additum est). *Arnob. 3, 38 (de Nouensilibus dis) cf. c. 39. *Charis. 1 p. 132 K.[1])

Facile apparebit hos libros ab eodem uiro erudito et litterato conscriptos esse. qui enim sunt libri de comitiis, de consulum potestate, de officio iuris consulti, mystagogicon, de uerbis priscis, a solo commemorati sunt Festo, ita ut numquam scriptorum discrimen faceret. deinde de re militari libros, quorum notitiam soli debemus Gellio, non ad Cincium Alimentum, ueterem illum praetorem, quae fuit sententia Liebaldti p. 16, sed ad grammaticum recentioris aetatis pertinere ex alio eiusdem Gellii loco consequitur, ubi summas rerum grammaticarum auctoritates enumeraturus Aelium, Cincium, Santram ponit[2]) consociatque eosdem scriptores quos haud raro etiam apud Festum consociatos habes.[3]) denique etiam inter Cincium Festi et Macrobii cognatio quaedam intercedit, id quod recte perspexit Hertz p. 71, cum in uerbis Pauli p. 103 *Iunium mensem dictum putant a Iunone. iidem ipsum dicebant Iunonium et Iunonalem* agnosceret uestigia eiusdem doctrinae Cincianae, quae exposita est a Macrobio 1, 12, 30. quae cum ita sint, siqua certa temporis quo unus ex his libris compositus sit, indicia inueniri possunt, eadem cadunt in ceteros.

1) De Cincio, quem Plinius inter auctores libri XXXVI in indice enumerat, res omnino incerta est. — Praeterea Mommsen C. I. L. I p. 26 ap. Macrobium in sat. 3, 2, 11 pro Tito substituit Cincii nomen. — Omisi *Cincii Alimenti historiam de Gorgia Leontino,* quia sola nititur Fulgentii (s. u. silicernius p. 560. 390 G.) auctoritate, quae nulla est. Ad eundem librum Krause p. 75 locum Arnobii 3, 38, ubi de dis Nouensilibus agitur, rettulit, quam incredibilem neglegentiam Hertz p. 57 notauit. — Quae asterisco significaui, sunt fragmenta incertae sedis.

2) 7, 15, 5: *ne si Aelii quidem, Cincii et Santrae dicendum ita censuissent, obsecuturum se fuisse ait* (amicus quidam Gellii) *contra perpetuam Latinae linguae consuetudinem.* cf. Charis. p. 132 K., ubi Cincii auctoritas grammatica Varroni et Ciceroni aequatur.

3) Cincius et Santra p. 173. Cincius et Aelius p. 166 (etiam cum Ateio Capitone). 174. 193 (etiam cum Cloatio). 277. 329. Santra, Aelius, Cincius p. 170 (hic etiam cum Cornificio ut ab Arnobio, et cum Curiatio ut a Festo p. 166).

Omnia autem horum librorum argumenta a belli Hannibalici aetate aliena esse primo obtutu uidebuntur. nam quamquam intra gentes patricias in usum adolescentis aetatis tablinorum materiam 'commentariis' antiquitus comprehensam esse constat (uid. s. p. XXXV sqq.), cuius quidem generis tria prima opera uno quodque libro exhaustum fuisse suspiceris, ut Cincios plebeios fuisse omittam, trahuntur tamen etiam haec eis, quae supra exposuimus, in ceterorum communionem. septuaginta fere annis posteaquam Appius Caecus primus solutam orationem exercuit (Isid. orig. 1, 37, 2), quemquam Romanum docte et litterate disputasse de uerbis priscis quorum uis 'olim' usurpata esset (Fest. p. 376)! quid? quod ipsas reliquias percurrentibus nobis complura uerba occurrunt, quibus non solum scriptores bello Punico aequales sed etiam recentiores, Ennius, Accius, Lucilius, Lucretius usi sunt[1]), quae a Cincio illo Alimento ut uerba prisca, quorum uis euanesceret, explicata esse nemini, opinor, uidebuntur (Zumpt l. s. p. 94. Hertz p. 62. 70). deinde quamuis genus scribendi reliquiarum, quae ad uerbum seruatae sunt, simplex ac ieiunum sit neque usquam circumscriptus uerborum ambitus appareat, tamen nusquam inest obsoleta illa et horrida belli Punici antiquitas, immo omnia spirant grammaticorum Latinorum et sermonem et doctrinam, qua ductus 'imperite' quosdam Aprilem mensem a Venere duxisse iudicauit, cum ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum caelestium laus celebraretur (Macr. 1, 12, 12). itaque multis eis locis, quibus cum aliis coniunctus citatur, grammaticos habet comites omnesque Aelio Philologo inferiores et cum eo glossematorum scriptoribus opponitur (Fest. p. 166), a Lydo autem (de mens. 4, 64 p. 118 W.) post mythicos, physicos, philosophos 'Ῥωμαῖος σοφιστής appellatur[2]), non historicus ut Sallustius (Lyd. de mens. 1, 37 p. 17 W.) uel Samocus, qui 'περὶ ποικίλων ζητημάτων διελέχθη' (de mag. 3, 32 p. 226 Bk. 121 W.).

Accuratius autem ut huius Cincii grammatici aetatem circumscribamus, 'imperitorum' illorum sententia, quam de Aprili reprehendit, fuit Fuluii Nobilioris (cos. 189. 565) et qui eum secutus est

1) Vid. Fest. s. u. scenam p. 330. s. u. rodus p. 265. Tuditantes p. 352 (locis Ennii et Lucretii 2, 1142 adde Lucret. 3, 394).

2) Latiore ui haec uox utitur magistri, qua etiam in lexicis quibusdam (Brandstätter *De not. πολιτικός et σοφιστής usu rhetor.* p. 228, cf. σοφιστεύειν τὰ ῥητορικά Philod. ap. eundem p. 225), uel grammatici, unde Varro a Lydo διδασκαλικώτατος dicitur (Lyd. de mens. 1, 37 p. 17 W.).

Iunii Gracchani, C. Gracchi amici (Funaioli p. 15 sq. 120)[1], Aelius autem, cuius consuetudine et magisterio Varro et Cicero usi sunt, initio saeculi septimi ab u. c. natus post a. 90. 664 mortuus est; denique sententias illorum apud Macrob. 1, 12, 15 post eum et Varronem claudit Verrius Flaccus, qui exactae aetatis sub Tiberio decessit, neque quisquam scriptor, quibuscum a Festo uel Gellio uel Macrobio uel Arnobio citatur, illo inferior fuit, quamquam de ordine agminis saepe uariatur, ut nihil hinc ad eius locum definiendum redundet, nisi eum paulo post Varronem ante Verrium scripsisse uideri.[2])

Restant duae res, quae quibusdam haud exigui momenti esse uisae sunt. primum enim Cincius apud Gellium (16, 4, 1) fetialem ex populi Romani sententia populo Hermundulo bellum indicentem facit, unde cum haec Hermundulorum mentio tamquam infesti populi exempli ante Tiberii expeditiones annis 4. 757 et insequenti factas 'a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque finis praeterfluit' (Vellei. 2, 106, 2), uix apta esset, Mommsen in chronol. p. 318 n. 10 libros de re militari post hos annos conscriptos esse existimauit. at nusquam tum Hermundulis uel Hermunduris, quos cum Semnonibus trans Albim incoluisse et ex uerbis Velleianis et ex Strabone (7, 1, 3 p. 290) compertum habemus, inlatum esse bellum neque exceptis duobus illis locis omnino eorum mentionem iniectam esse inuenimus. quam ob rem magno opere dubitamus, num re uera illo tempore Hermundulorum nomen in omnium ore ita fuerit, ut hoc potissimum nomine ad populum infestum significandum apte uteretur Cincius, et hoc unum satis esse uideatur ad illam de Cincii aetate opinionem euertendam.

---

1) Merkel Ouid. fast. p. LXXVI. Hertz p. 67.

2) Vid. Fest. p. 339: *Varro — ait —. idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius.* Gell. 7, 15, 5 (uid. p. CIV not. 4). Charis. p. 132: *licet Varro et Tullius et Cincius — huius Sarapis et huius Isis dixerint;* in Arnobii indice (3, 38) sex ueterum grammaticorum ultimum locum Cincius obtinet, in iteratione, qua redarguuntur, paenultimum (ante Manilium). Quod a Varrone de l. l. 6, 33 exscriptam esse Cincii de mense Aprili sententiam apud Macrob. 1, 12, 12 Hertz p. 74 sq. suspicatus ante annum 46. 708, quo de lingua Latina scribere coepit Varro, Cincii librum de fastis compositum esse coniecit, ut alia omittam, Cincius falsae opinionis auctores per 'quosdam' significauit, Varro ipsos nominauit, tum Cincius in carminibus Saliaribus tantum modo Veneris laudem celebrari negauit, Varro se numquam eius nomen in antiquis litteris inuenisse testatur. utroque igitur loco scriptorem, cui successerat, suppleuit.

Deinde quae Festus p. 363 refert ex Cincio: *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Ioui donum scripsit T. Quintius dictator, quom per nouem dies totidem urbes et decimam Praenestem cepisset. id significare ait Cincius in mystagogicon l. II duas libras pondo et trientem,* eadem ita redire compluribus uiris doctis, ut Niebuhrio H. R. II p. 662, Mommseno Chronol. p. 317 n. 7, apud Liuium uidentur, ut a Liuio haec ex ipso Cincio hausta esse arbitrentur. haec enim Liuius 6, 29, 8: *T. Quinctius* [Cincinnatus a. 380. 374] *semel acie uictor, binis castris hostium, nouem oppidis ui captis, Praeneste in deditionem accepto Romam reuertit triumphansque signum Praeneste deuectum Iouis imperatoris in Capitolium tulit. dedicatum est inter cellam Iouis ac Mineruae tabulaque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit: 'Iuppiter atque diui omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius dictator oppida nouem caperet.'* ubi ex summa qua erat monumentorum incuria sane est ueri simillimum Liuium ipsum hunc titulum, praesertim cum tum iam euanuisset *(incisa fuit)*[1], non uidisse, nec mirabimur alteram tituli partem, qua ob illas res feliciter gestas trientem tertium pondo coronam auream se dedisse Quinctius addiderat (uid. Mueller ad Fest. p. 362 et Hertz p. 44), neglegentia Liuii omissam esse.

Sed subiungam etiam alterum locum Liuii, quo comparato utriusque difficultates multum tractatae spero remotae erunt. est hice (7, 3): *Nec tamen ludorum primum initium procurandis religionibus datum aut religione animos aut corpora morbis leuauit; quin etiam, cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso inrigatus inpedisset, id uero uelut auersis iam diis aspernantibusque placamina irae terrorem ingentem fecit. itaque C. Genucio L. Aemilio Mamerco iterum consulibus cum piaculorum magis conquisitio animos quam corpora morbi adficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam. ea religione adductus senatus dictatorem claui figendi causa dici iussit. dictus L. Manlius Imperiosus L. Pinarium magistrum equitum dixit. lex uetusta est, priscis litteris uerbisque scripta, ut qui praetor maximus sit idibus Septembribus clauum pangat. fixa fuit dextro lateri aedis Iouis optimi maximi, ex qua parte Miner-*

1) Si re uera Cicero Verr. 4, 58, 129 T. Quinctio Cincinnato et T. Quinctio Flaminino confusis hoc signum Praenestinum in animo habet, quod falso ex Macedonia aduectum esse dixit, iam anno 70. 684 titulus ille deletus erat. at uid. Boeckhium in C. inscr. Gr. II p. 976.

uae templum est. eum clauum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Mineruae templo dicatam legem, quia numerus Mineruae inuentum sit. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae conparere diligens talium monumentorum auctor Cincius adfirmat. Horatius consul ea lege templum Iouis optimi maximi dedicauit anno post reges exactos, a consulibus postea ad dictatores, quia maius imperium erat, sollemne claui figendi translatum est. intermisso deinde more digna etiam per se uisa res, propter quam dictator crearetur. qua de causa creatus L. Manlius, perinde ac rei gerendae ac non soluendae religionis gratia creatus esset, bellum Hernicum adfectans dilectu acerbo iuuentutem agitauit, tandemque omnibus in eum tribunis plebis coortis, seu ui seu uerecundia uictus, dictatura abiit.

At qui attento animo hoc Liuii caput considerauerint, in eo sine dubio offendent, quod quae Liuius ex Cincio ad rem explicandam inseruit, pugnant cum eis quae explicanda erant. nam in orationis tenore cum pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam esse seniores meminissent, ea religione adductum senatum dictatorem claui figendi causa dici iussisse narrauerat: nunc per singulos annos idibus Septembribus ab eo qui praetor maximus i. e. uel dictator uel consul uel interrex esset, clauum fixum esse ex Cincio refert, ut haec esset nota numeri annorum. ergo solis idibus Septembribus, quo die templum Iouis Capitolini dedicatum erat (Plut. Poplic. 14), clauus eam uim habebat, ut fixus pestilentiam sedaret, ceteris anni mensibus hoc remedium nullum erat? expectandae erant idus Septembres? contra, si is antiquo tempore mos erat, ut propter notam numeri annorum quotannis idibus Septembribus clauus pangeretur, quid clauus ad pestilentiam? si quotannis clauus figebatur, quid opus erat seniorum memoria, cum praesertim lex in aede Iouis fixa centum quadraginta sex annis ante sancta esset (Mommsen Chron. p. 177 sq.)? ne multa, duas res inter se diuersissimas temere miscuit Liuius. hoc uero ita esse expediendum uidetur: primo antiquum aliquem scriptorem historicum, cui orationis tenorem debet, secutus hoc unum ad pestilentiam sedandam clauum fixum esse narrauerat, quae superstitio uere Romana est, cum etiam Plinii maioris aetate (nat. hist. 28, 63) clauum ferreum defigere in quo loco primum caput fixerit conruens morbo comitiali, absolutorium eius mali dictum sit (Preller *Roem. Mythol.* I³ p. 260). sic sublatis uerbis *lex uetusta est — propter quam dictator crearetur*

omnia bene fluunt neque quidquam discrepantiae superest. tum demum, cum haec iam essent scripta, casu aliquo, quae esset Cinci de clauo sententia, comperisse uidetur et eius auctoritate commotus[1]) eam inseruisse. in hac tamen re aut tanta leuitate et festinatione uersatus est, ut quam diuersas res consociaret, non perspiceret, aut eo tempore addidit, quo libro absoluto et edito plura inmutari in eius potestate positum non esset, atque satis habuit uerba *intermisso deinde more digna etiam per se uisa res, propter quam dictator crearetur*, adnexuisse, ut conciliaret Cincianam sententiam cum ea quam antea exposuerat, minime tamen ille feliciter. nam et, si a Cincio stamus, ut mos claui propter numerum annorum figendi tum intermitteretur, fieri non potuisse, iam supra Mommsenum secuti negauimus, et, si haec coniungimus cum superiore sententia, non uideo, cur Liuius, quoniam pestilentiae sedandae causa etiam eo anno, cuius antea mentionem fecerat, a dictatore clauum fixum esse narrauerat, tunc praeter morem, ut 'propter rem' dictator diceretur, factum esse addiderit.[2])

Neque uero hoc uno loco uestigia operae Liuianae post pertextum tenorem narrationis insertae apparent.[3]) simillimus est 29, 22, 10, quo ipse secum discrepans quaedam de Pleminio ex Clodio Licino, consulari historico (cos. a. 4, 757), parum apte addidit (Reliq. II p. CVII. 77), notus ille 4, 20, 5—11, quo, postquam modo in c. 19 A. Cornelium Cossum tribunum militum Tolumnio interfecto secunda spolia opima Iouis Feretrii templo intulisse narrauit, hoc ita excusauit, ut omnes ante se auctores se secutum esse adnotaret, erroremque de titulo spoliis inscripto ab Augusto doctus correxit, quo ille consul ea cepisset; nihilo setius postea c. 32, 4 denuo apud eum idem, cum tribunus militum esset, spolia templo infert.[4])

---

1) Quae nunc Cincii sententiae auctoritas tribuenda sit, examinare non est huius loci. hoc constat, aut duabus de causis clauos fixos esse, et quotannis idibus Septembribus ut annus notaretur, et cum pestilentia in urbem inuasisset ut sedaretur, aut Cincii sententiam ex more illo antiquo, quo defigebatur morbus, ex exemplo Volsiniensi falso explicato ortam esse. in quam morum priscorum interpretationem peruersam non soli antiquarii Romani inciderunt.

2) Vngeri coniectura '*tempore*' pro '*more*' substituentis (Philol. XXXII [1872] p. 532—540) difficultas non tollitur.

3) Vid. *Wahrheit u. Kunst* p. 442 sq.

4) Vid. Soltau Herm. XXVI p. 409 sq. XXIX p. 611 sqq., ubi similia additamenta in decade tertia et prima indicauit. — Paulo diuersa sunt quae in adnot. ad Coel. fr. 21 et ad Val. Ant. fr. 45 obseruaui.

Hinc igitur etiam tabulam illam a T. Quinctio Cincinnato fixam, de qua Liuius 6, 29, 8 rettulerat, coniectura recte ad Cincii auctoritatem reuocatam esse confirmatur. consentiunt enim loci, etiam cum Liuius suum ipse conspectum abnuit[1]) et utrumque monumentum in eadem parte templi Iouis Capitolini uisum esse addit.

Nunc redeamus ad Hermundulos. eisdem enim uerbis, quibus Cincius (apud Gellium 16, 4) fetialem hostibus bellum indicentem fecit, apud Liuium 1, 32, 13 sub Anco Marcio contra Priscos Latinos fetialis utitur:

Gellius:

'*Quod populus Hermundulus hominesque populi Hermunduli aduersus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum iussit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum dico facioque.*'

Liuius:

'*Quod populi Priscorum Latinorum hominesque Prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritium fecerunt deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum Priscis Latinis iussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit consensit consciuit, ut bellum cum Priscis Latinis fieret, ob eam rem ego populusque Romanus populis Priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis bellum indico facioque.*'

pars haec est ritus, quo omnia bella indicebantur, descriptionis, quam Liuius ita instituit, ut initio non ad certum aliquod pertineat, sed populum, quicumque fuit, nominare iubeat[2]), tum quoniam ab Aequicolis illud ius Ancum sumpsisse narrauit, ad eius bellum transferat. fontem igitur ei commentarium fuisse elucet, quo generatim mores Romani descripti erant, eumque Priscis Latinis interpositis ad historiae eius regis ieiunitatem explendam a Liuio usurpatum, auctorem autem eundem, cuius diligentiam talium monumentorum admiratur, Cincium. hunc igitur ipsas formulas litteris mandasse omissis no-

---

1) *fixa fuit;* cf. 10, 2, 14 *rostra nauium spoliaque Laconum in aede Iunonis ueteris fixa multi superstites sunt qui uiderunt Patauii.*

2) c. 32, 6: *cuiuscumque sunt nominat;* 8: *haec paucis uerbis carminis concipiendique iuris iurandi mutatis peragit;* 10: *populum illum quicumque est nominat.*

minibus sequitur neque Hermundulorum nomen siue a Gellio insertum (sic Lachmann De font. L. I p. 30) siue ab alio aliquo post a. 4. 757 ad Cincii aetatem definiendam aliquid ualere.[1])

Nunc quiuis concedet primi loci Liuiani (7, 3) ipsum argumentum esse libri antiquarii uel grammatici, non annalium, tum omnino abhorrere a tali monumentorum Tuscorum laudatione ueteres historicos, qui cum quae ante pedes essent monumenta et inscriptiones neglegerent, quis aetatis Hannibalicae scriptorem peruestigasse ea credat ad res Romanas inlustrandas? 'diligentem uero talium monumentorum' Cincium recentiorem fuisse atque, ut sui populi instituta moresque accuratius perspiceret, etiam aliarum ciuitatum res cognouisse ex eius fragmentis uidemus. ut apud Festum s. u. nuptias p. 170 (fr. 25 H. 23 F.) citat legem Praenestinam, apud Macrobium 1, 12, 30 (fr. 4 H. 9 F.) fastos Aricinos Praenestinosque, apud Festum s. u. subici p. 347 (fr. 10 H. 14 F.) ad Atheniensium uel Athamantis exemplum prouocat, Romanorum etiam carmina Saliaria perscrutatus est (Macr. 1, 12, 12. fr. 1 H. 6 F.); denique quam Cincius apud Liuium de clauo annali sententiam, eandem Festus (in Pauli epit. p. 56) profert: *Clauus annalis appellabatur qui figebatur in parietibus sacrarum aedium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum* (uid. Mommsen Chronol. p. 177).

Hac igitur locorum Liuii coniuncta auctoritate efficitur Cincium ab eo propter diligentiam monumentorum laudatum grammaticum fuisse[2]) eundemque et aliis locis ab eodem et a Festo, Gellio aliisque grammaticis antiquariisque adhibitum esse, neque habemus, ut ullum eorum, quos supra enumeraui, locorum hinc excludamus. quae quidem sententia nunc etiam confirmatur eo consensu, quo Cincius ille Liuianus bis etiam locum monumenti sui curiose indicauit[3]) et hic Festi mystagogicon libros minimum duos composuit.[4])

---

1) C. Goettling in programmate Ienensi a. 1856 nomen Hermundurorum populi ab ipso Cincio fictum esse lusit, 'ut belli causa, quam populus quicumque ab Romanis sibi meruisset, notaretur ipso uocabulo', i. e. '*Ἑρμοῦ δούλοις (Mercurii* uel *rapinae seruis)*.

2) Inuerso argumentationis ordine Hertzius (p. 19. 39), cum non is esset Liuii mos, ut suae aetatis grammaticos et antiquarios laudaret, inuito animo hoc fr. Alimento tribuit persuasitque multis ut Beckero Antiq. I p. 42, Schweglero I p. 79, aliis.

3) 7, 3, 5: *dextro lateri aedis Iouis optimi maximi, ex qua parte Mineruae templum est.* 6, 29, 9: *inter cellam Iouis ac Mineruae.*

4) Vid. Cic. in Verr. 4, 59, 132: *ii qui hospites ad ea quae uisenda sunt solent ducere et unumquidque ostendere, quos illi (Syracusani) mystagogas uocant.*

Ne a Lucio quidem Cincio Alimento dubitatio se abstinuit. hoc quidem stat hunc aequalem Fabii Pictoris in historia Romana uersatum captumque ab Hannibale neque eius auctoritatem diminuendam esse; illud quaeritur, num eum Liuius ipse in manibus habuerit. subest enim etiam difficultas quaedam huic loco, quo, cum inter auctores non constaret, 'quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint', et eorum numeros qui plurimum, et eorum qui minimum edidissent, rettulit, tum Cincii fr. septimum laudata eius auctoritate inseruit, idque usque eo cum argumento proposito cohaeret, quod 'adducta' esse nonaginta milia militum perhibet; nam a quouis suppletur 'in Italiam', quod ipse Liuius, ut dubitationem suam defenderet, adiecit '*in Italiam magis adfluxisse ueri simile est*'. sic uero omnino ei causa non fuit, cur ad Hannibalis testimonium prouocaret; neque enim quidquam numerus militum post Rhodanum traiectum amissorum ad quaestionem eius soluendam adfert. parum considerate igitur Alimentum in adnotationem suam transtulit eundemque errorem commisit quem in libro septimo (uid. p. CVIII), qua similitudine etiam origo aequari uidetur, ut etiam hanc Alimenti cognitionem eum recentioris illius Cincii libro alicui debere suspicemur.[1])

Vt uero tandem disputationem ad finem perducamus, etiam in hac editione, ne prioris numeros turbarem, fr. 1 et 2 locis suis retinui uncisque ea inclusisse satis habui. pertinere enim ea ad grammaticum cum multi tum Cichorius *R. E.* III c. 2557 censuerunt, etsi et Marius Victorinus et Seruius de historico cogitauerunt, ut etiam nunc ea Alimento Funaioli adsignauerit (p. 2. 7).[2]) Continetur igitur certa huius ueteris Alimenti memoria unius Dionysii archaeologia[3]), qui excepto libro duodecimo semper (fr. 3. 4. 5) L. Cincium

1) Quoniam numerus militum, quos in Italiam adduxit, ex ipsius Hannibalis testimonio, quod tabulae Laciniensi incidit, fuit 26000 militum (Polyb. 3, 56, 4), quem antea etiam Liuius secutus erat, Cincius 64000 addidisset; at ille postea eodem Hannibale nititur, quem ad modum in omnibus Polybius; hic autem ad Pyrenaeum saltum eum accessisse scripsit cum octoginta milibus et usque ad Rhodanum duxisse undesexaginta (3, 35), unde triginta tria a Rhodano usque in Italiam amissa esse efficitur, qui numerus cum Hannibalis testimonio Cinciano paene consentit. itaque Liuius falsa sua opinione, qua non ante Italiam Gallos Liguresque adfluere potuisse putauerat, deceptus rem miscuisse uidetur. Vid. Lachmannum De f. L. II p. 80 sqq., qui iam similiter Liuii neglegentiam detexerat, et Pluessium De Cinc. p. 5 sqq.

2) Etiam Wissowa *R. E.* III c. 2556.

3) Taceo de somniis, quibus quidam uel a Polybio uel a Diodoro Alimentum in usum uocatum esse suspicati sunt.

una cum Fabio laudauit atque 1, 6, 4 horum aetatis Hannibalicae scriptorum simillimam indolem pluribus ita exposuit (cf. s. p. LXXII), ut Dionysium nisi hominem uanum et mendacem fuisse aut commenticia et ficta scripsisse statuas, ipsos annales Graece compositos ante oculos habuisse necesse sit. nihilo setius Mommsen (Chronol. p. 135. 191. 318. cf. Hist. Rom. I⁹ p. 925) et Pluess (Mus. Helu. p. 46 et Fleckeis. annal. CIII p. 290 sq.) ne haec quidem ueteris illius Cincii ipsius testimonia esse existumauerunt sed grammatici, qui proaui annales suis additamentis haud exiguis auctos suaque doctrina inlustratos et in Latinum sermonem uersos denuo edidisset.[1]) elicuerunt hanc sententiam ex Cincii anno urbis natali (fr. 4), quem ita explicare studuerunt, ut ad Augusti temporum rationem referrent huiusque gratia eum excogitatum esse censerent.[2]) ego tamen mihi persuadere non possum Dionysium Halicarnasensem, qui a. 7. 747 archaeologiam in publicum edidit, ita non manum eius qui paullo ante opus suum, agnouisse, ut quae Latine scripta legeret, pro Alimenti testimoniis, quem Graeco sermone usum esse ipse adfirmat, haberet. sic aut Dionysius summae leuitatis aut Cincius antiquarius fraudis essent accusandi.[3]) deinde Mommsen et Pluess quamuis scite atque acute de causa, cur hic annus urbis natalis a Cincio antiquario fictus esset, disputarint, tamen ab ea opinione profecti sunt, ut Cincii recentioris eum esse ponerent Dionysiumque, cuius uerbis sine dubio Q. Fabii Pictoris aequalis dicitur, aut falsum esse aut fallere uoluisse, neque struxerunt fundamenta, quibus sententia illa fulcienda erat. nam apud Dionysium Cincii recentioris nos uerba legere neuter antea ostendit.

1) Quae eius rei exempla adfert Pluess (De Cinc. p. 43 sq. Mus. Helu. p. 47) Claudii, Fabii, Postumii aliter comparata aut admodum dubia sunt.

2) De hac re consentit Pluess cum Mommseno, dein uero ubi ad rem accuratius definiendam pergit, ab eo discessit. sed in has res altius inquirere nunc alienum est. aliter sed non magis credibiliter annum Cincianum Trieber (Herm. XXVII p. 321 sqq.) explicuit.

3) Pluess De Cinc. p. 35 agens de anno urbis natali negat ille quidem eius modi computos in L. Cincium Alimentum eiusque aetatem cadere, sed concedit Dionysium de uetere Cincio loqui, id quod ordine, quo Cincius, Fabius, alii de hac re auctores percenserentur, satis declaratum sit. contra Cincio illi recentiori inputare fraudem uidetur Mommsen, qui in h. Rom. l. s. haec adnotauit: *Das dem L. Cincius Alimentus, einem Zeitgenossen des Fabius beigelegte, ebenfalls griechische Geschichtswerk scheint untergeschoben und ein Machwerk aus augusteischer Zeit.*

denique quod Pluess p. 35 Kiesslingium (De Dion. font. p. 15) secutus in uerbis *Λεύκιος Κίγκιος ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου* aliquid sibi indagasse uisus est, quod recentiorem proderet Cincium, cum hic proaui 'senatorii' auctoritate commenta tamquam sua uenditare uoluisset, id uix cuiquam probabit. (cf. supra p. LXXXV sq.) nam hoc loco, quo primum ad eius testimonium prouocauit, erat, cur praeturae eius memor dignitate senatoria contra Q. Fabii et Porcii Catonis auctoritates illud stabiliret.[1])

Atque haec quidem de Cincii fragmentis, quae in libris Dionysii integris ad nos peruenerunt. ex excerptis tamen Escorialensibus *περὶ ἐπιβουλῶν κατὰ βασιλέων γεγονυιῶν* nouum (fr. 6) accessit, quod dubitationem quandam mouit. nam de Spurio Maelio postquam eadem quae Liuius narrauit Dionysius, prorsus aliam memoriam adnexuit, qua Seruilius non cum magister equitum esset, a dictatore cum equitibus contra Maelium missus fugientem cultroque uitam tuentem, sed priuatus a senatu iussus per insidias trucidauisset. nolumus quaerere, quae fides ei narrationi sit habenda, quam Schwegler (III p. 130—139) iure defendit (uid. etiam Niebuhr II p. 472), nobis nunc res est cum Cincii laudatione. hisce enim uerbis Dionysius ad hanc memoriam transit: *οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατά μοι δοκοῦντες γράφειν περὶ τῆς Μαιλίου τελευτῆς οὕτω παραδεδώκασι. λεγέσθω δὲ καὶ ὁ δοκῶν ἧττον εἶναί μοι πιθανὸς λόγος, ᾧ κέχρηνται Κίγκιος καὶ Καλπούρνιος, ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* ubi Kiessling l. s. p. 15 in uerbis *ἐπιχώριοι συγγραφεῖς* offendit, cum eorundem scriptorum iam antea a Dionysio identidem facta sit mentio neque hic oppositi sint externis scriptoribus, ita ut ante haec uerba *καὶ ἄλλοι* et, cum Dionysius semper comitem adiunxisset Fabium, ante *Κίγκιος*: *Φάβιος καὶ* interponeret totumque locum sic scriberet: *ᾧ κέχρηνται Φάβιος καὶ Κίγκιος καὶ Καλπούρνιος καὶ ἄλλοι ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* Pluess autem p. 27 sqq., cum rerum scriptor uno loco Calpurnius Piso, aliis Piso adiecto aut praenomine aut cognomine a Dionysio nominatus esset, hoc loco non Calpurnium rerum scriptorem sed Calpurnium quendam grammaticum intellegendum esse censuit atque et ob hanc uicinitatem et ob ipsum loci argumentum nos de Cincio illo uetere, apud quem prisca

---

1) Alimenti sane cognomen nusquam Dionysius addidit, sed ne Fabii quidem nisi uno loco (1, 79, 4), idque ut etiam hac re principem eum rerum scriptorem fuisse significaret, auctorem etiam L. Cincii et Pisonis Calpurnii. ceterum Graeci rhetores binis nominibus contenti esse solebant.

liberae rei publicae tempora non tam prolixe exposita fuissent, cogitare uetuit, ut nihil mutaret.[1]) at narratio cum ea quae antecedit comparata satis breuis atque concisa est, Cincius autem et 2, 38, 3 et 39, 2 cum 'Fabio' consociatus (fr. 5) a Dionysio hoc uno nomine appellatur et 2, 79, 4 (fr. 3) duobus, quia etiam ceteri rerum scriptores quibuscum enumeratur ut etiam idem Calpurnius omnes binis nominibus ornati sunt; Kiesslingius autem non librarios sed epitomatorem correxisse mihi uidetur, quem parum religiose uerba auctorum suo arbitrio alia inmutasse, alia praetermisisse, pauca addidisse constat, nisi Dionysium in superiore fama, quae fide dignior ei uisa erat, ad Graecos auctores prouocasse putas, quorum nomina non excerpta essent. moti sane hi Romani plebeii sanguinis communione illi famae optimatium superbiam et scelus uelanti esse aduersati propiusque ad ueritatem accessisse uidentur.

Sed omnino non miror, quod subito Alimenti memoria ex obscuritate exsuscitata post Dionysium in eam retrusa est. casui enim in his rebus multa tribuenda sunt. ille autem se clarorum uirorum auxilio et consilio in eligendis auctoribus adiutum esse ipse profitetur (1, 7, 3), nec Cincium grammaticum eiusdem fere aetatis gentilis sui famae propagandae curiosum fuisse abnuerim. facile igitur fieri potuit, ut etiam Dionysius ueteris Alimenti libros in manus suas sumeret et in primo archaeologiae libro prioreque parte alterius, etsi eum cum Fabio maxime consentire animaduertisset, hanc auctoritatem binis nominibus expressam iactaret, tum uero operae suae ut superuacaneae pertaesus hunc abiceret et in Fabiana redintegranda acquiesceret, quamuis acerbe eius leuitatem rationis chronologicae reprehenderet, neque nisi in duodecimo libro, quod sciamus, ad illum Pisonis consensu probatum rediret. ut autem hic sic etiam qui post eum res uetustas Romanas scripserunt, nobilioris historici auctoritate satis habuerunt eas confirmare.

---

1) Hic aperte Pluess secum ipse pugnat, quod p. 28 dubitari posse negat, quin alium reliquis locis, alium hoc loco Cincium laudet Dionysius, idem tamen p. 34 sine ulla dubitatione fr. 4, qui est unus ex tribus reliquis locis, diserte ad Cincii antiquarii auctoritatem refert, cuius fragmenti causam uix potes discernere a ceteris duobus (3 et 5).

CORNELIORVM SCIPIONVM HISTORIA

Fabiam gentem in historia scribenda principatum ita obtinuisse, ut et suae laudi exaggerandae quam maxime prospiceret et aemulis haud raro inique obtrectaret, supra (p. XLVII) uidimus. nec fortuna ei defuit. neque enim quisquam de ceterorum optimatium numero Fabii Pictoris auctoritatem aequauit. quamquam ne hae quidem gentes famae hominum et suae aetatis et posteritatis incuriosae fuerunt, immo ut res, quibus in uita publica floruerant, in sermonem memoriamque illorum peruenirent retinerenturque, arte quadam et ratione usae sunt. quod quidem non singulorum quorundam gentilium proprium fuit sed totius gentis, qua ut mos ipsa stemmata in alis pingendi sic etiam res gestas litteris siue priuatis siue publicis mandandi per genera propagatus est. uestigia tamen eius pauca supersunt. nec id mirum. adrogantia enim uel modestia aliorum, aliorum malignitas uel sollertia ingenii memoriae inuidit. Pictor quidem, cum bello Hannibalico eius gens a Corneliis Scipionibus rerum gestarum splendore enitentibus obscurari coepta esset, remotis cum multis tum Cornelia noua uia scripturae publicatae ueterum suorum gloriam restituendam suscepit. quid autem Cornelii? Africani uirtus supra modum humanitatis in ore uulgi miraculis extollebatur. quorum fidem ab ipso auctam esse Liuius credidit (26, 19, 8); in historia tamen Cunctatoris gloria mansit, quoniam ille in publicum certamen cum Fabiis descendere dedignatus intra priuatos parietes ueritatem latere maluit. nam res in Hispania prospere gestas, ita ut etiam consilia sua aperiret, accurate persecutus hoc unum aliis gentilibus concessit, ut ea in epistulae ad Philippum Macedonum regem missae formam redigeret, Graecae scilicet, hanc tamen in tabulario gentili seruaret, in quo eam Polybius inuenit consiliaque descripsit, quibus ipse Africanus ductus esset, ut uanitatem eorum redargueret, qui omnem eius uirtutem ad deos fortunamque referrent (uid. fr. 1).

Vtrum tamen eam epistulam ad Philippum uere scripserit an

finxerit, dubitari potest.[1]) causa quidem uidetur fuisse haec: anno 190. 564 cum P. Scipio cum L. fratre consule Amphissae de itinere per Macedoniam Thraciamque faciendo colloqueretur, Publium omnia in Philippi uoluntate uerti fratri exposuisse et postea per legatum comperisse omnia ad id iter ab eo iam parata esse, commeatus, pontes, uias, Liuius 37, 7 narrauit, de quo colloquio quae Polybius ediderat, haec perierunt, at quae Africanus Aetolis deprecantibus benigne responderat, his uerbis rettulit (21, 2, 10): *ἔτι δὲ πρᾳότερον καὶ φιλανθρωπότερον ὁμιλήσαντος τοῦ Ποπλίου καὶ προφερομένου τάς τε κατὰ τὴν Ἰβηρίαν καὶ τὴν Λιβύην πράξεις καὶ διασαφοῦντος, τίνα τρόπον κέχρηται τοῖς κατ' ἐκείνους τοὺς τόπους αὐτῷ πιστεύσασι, καὶ τέλος οἰομένου δεῖν ἐγχειρίζειν σφᾶς αὐτῷ καὶ πιστεύειν, τὰς μὲν ἀρχὰς ἅπαντες οἱ παρόντες εὐέλπιδες ἐγενήθησαν κτλ.*, quibuscum Liuius cap. sup. consenserat. aperte igitur ille auctor epistulam significauit, cuius iam in libro decimo meminerat, eratque cur idem etiam Philippo proponeret aut se proposuisse fingeret.

Similiter res se habet de aliis litteris in eadem expeditione ab illis fratribus ad regem Prusiam datis, quibus ei persuaserant, ne cum Antiocho foedus faceret. nam ut in illis suo, ita in his exemplis alienis usi sunt, regum Romanis beneficiis auctorum; illas tamen se ipsum inspexisse Polybius professus erat, horum argumentum non minus accurate exposuit[2]), de fonte tamen tacuit, etsi ex eodem eas haustas esse consentaneum est.

Ceterum ille Scipio in Ennii laudibus acquieuit poetaeque sua merita defendenda reliquit, ut post eum Aemilianus Africanus minor Polybio historico, amico etiam C. Laelio interprete usus.

At illius filium P. Cornelium Scipionem Africanum non solum eloquentiae sed etiam historiae operam nauasse Cicero in Bruto 19, 77 memoriae prodidit: *Ipsum Scipionem* [superiorem Africanum] *accepimus non infantem fuisse. filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptauit, si corpore ualuisset, in primis habitus esset disertus. indicant cum oratiunculae tum historia quaedam Graeca scripta dulcissime.* ubi 'Graecam' non ob res sed ob sermonem dictam esse historiam cum per se probabile

1) Imitatio Graeca etiam hic subest. epistulam Antigoni ad Scepsios missam Wilamowitzius commemorauit (*Kult. d. Gegenw.*[3] p. 154). multarum etiam ad nos talium litterarum fictarum notitia peruenit. uid. Susemihl II p. 593 sqq.

2) 21, 9 et ex eo Liuius 37, 25, 8—14.

sit, tum et ipsius Ciceronis et Liuii testimoniis confirmatur. ille enim (de diuin. 1, 21, 43, fr. 3) Fabii Pictoris Graecos annales, hic (35, 14, 5, fr. 5) Graecos Acilianos libros laudauit, quorum utrumque, et Fabium et Acilium, res Romanas enarrasse constat.

De historia uero eius praeter locum illum nihil accepimus, neque operae pretium est de eius argumento coniecturas proferre praeter Mommseni[1]), qui bellum regis Antiochi ea scriptum esse ueri simile esse censuit. cum certiore probabilitate genus scribendi 'dulcissimum' Xenophontis simile fuisse iudicabimus, ad cuius studium etiam filium deduxit. apud Polybium nullum eius historiae uestigium conspicuum est, id quod mirum est, nisi forte cognitio litterarum illarum ad illum redit. ipsum Scipionem Liuius 40, 42, 13 augurem a. 180. 574 in locum Sp. Postumii Albini cooptatum esse tradidit, Cicero identidem (Cat. mai. 11, 35. de offic. 1, 33, 121. pro Arch. 7, 10) ut imbecillitatem et infirmitatem naturae queritur, ita summis laudibus effert doctrinam eius uberrimam atque, nisi ualetudo tenuis fuisset, futurum fuisse existimat, ut alterum existeret lumen ciuitatis. eloquentem eum fuisse etiam Velleius 1, 10, 3 commemorauit. denique accedat elogium ex Scipionum sepulcro effossum, quod quominus ad hunc referatur, nihil obstat (Mommsen C. I. L. I n. 33 p. 19, Buecheler in antholog. lat. II 8, 7):

Quei apice insigne dial[is fl]aminis gesistei[2]),
Mors perfe[cit] tua, ut essent omnia breuia,
honos fama uirtusque, gloria atque ingenium,
quibus sei in longa licu[i]set tibe utier uita,
facile facteis superases gloriam maiorum.
quare lubens te in gremiu, Scipio, recip[i]t
terra, Publi, prognatum Publio, Corneli.

Imitatus est socerum P. Cornelius Scipio Nasica Corculum a Catone apud Ciceronem (Cat. 14, 50) propter studium et pontificii et ciuilis iuris laudatus, eloquens habitus (Brut. 20, 79), cos. a. 162. 592, 155. 599, cens. 159. 595, pontifex maximus a. 150. 604 factus, a. 147. 607 princeps senatus, multum igitur in rebus publicis uersatus. idem tamen etiam laudi suae consuluit. res enim in Thermopylis ante pugnam Pydnensem gestas ita conformauit, ut cum

1) *R. F.* II p. 513 sqq., contra quem Ed. Meyer mus. Rhen. XXXVI (1881) p. 120—126 disputauit.

2) Haec flamonii commemoratio postea adiecta est. uid. Buecheleri adnot.

adulescens Macedones circumueniret, omnia eius et consilio et uirtute facta esse uiderentur, quae quidem item epistula item ad regem aliquem scripta persecutus est, Masinissam, ut Soltauio (Herm. XXXI p. 155—160) Muenzeroque (*R. E.* IV c. 1498) placuit. unus tamen Plutarchus, quod sciamus, notitiam eius habuit et in uita Aemilii Pauli seruauit; Polybius eius fidem propter ostentationem minoris aestimasse libellumque tacuisse uidetur (Nissen *Untersuch.* p. 267 sqq.); nam tablino Cornelio eam traditam esse certum est, dubium quis inde ante Plutarchum eruerit atque uulgauerit.

C. ACILIVS[1])

Tam incerta omnia sunt de hoc C. Acilio, ut fundamenta huius commentarioli in coniectura ponenda sint. in Liuii enim periocha LIII C. Iulii senatoris mentio fit, qui Graece res Romanas scripserit (*C. Iulius senator Graece res Romanas scribit*), ubi, cum de C. Iulio historico nihil memoriae proditum sit, at C. Acilium et Graece annales composuisse et Liuio haud ignotum fuisse (Liu. 25, 39, 12. 35, 14, 5) constet, comparato Cicerone de off. 3, 32, 115 (*C. Acilius, qui Graece scripsit historiam*) leni mutatione M. Hertz (De Cinc. p. 12) praeclare C. Acilii nomen restituit.[2]) iam quas antea Liuius res exposuerat: *Q. Caecilius Metellus pro consule Celtiberos cecidit, et a Q. Fabio pro consule magna pars Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepta est,* incidunt eae in a. 142. 612, itaque tempus, quo C. Acilius scripsit, quodam modo definitum est, neque quisquam, praesertim cum Gai praenomen in Acilia gente non usurpata sit, facile negabit hunc eundem esse atque C. Acilium senatorem, quem quattuordecim annis antea (155. 599) philosophos Graecos, ita ut ipse sua sponte interpretis munere fungeretur, in senatum introduxisse Gellius (6, 14, 9) narrat. haec enim ille (ex quo sua habet Macrobius sat. 1, 5, 15): *Erant isti philosophi Carneades ex academia, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus; — sed in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore.* de eadem re dicit Plutarchus (Cat. 22): Ἐπεὶ δὲ προὔβαινεν ἡ δόξα τῶν φιλοσόφων ἐν τῇ πόλει καὶ τοὺς πρώτους λόγους αὐτῶν πρὸς τὴν σύγκλητον ἀνὴρ ἐπιφανὴς σπουδάσας αὐτὸς καὶ δεηθεὶς ἡρμήνευσε, Γάιος Ἀκίλιος, ἔγνω [Cato] μετ' εὐπρεπείας ἀποδιοπομπήσασθαι τοὺς φιλοσόφους ἅπαντας ἐκ τῆς πόλεως.

Quae autem consanguinitatis ratio intercesserit inter hunc et M'. Acilium Glabrionem, qui consul Antiochum in Thermopylis fu-

1) L. Cantarelli disputatio '*Gli annali greci di C. Acilio e Q. Claudio Quadrigario*' in *Rivista di filol.* XII p. 1—23.

2) Ratiocinatio, qua haec coniectura inpugnata est, in debilibus Pighii argumentis corruptaque Liuii (32, 29, 3) scriptura, ubi nunc Atinii nomen ex cod. Bambergensi restitutum est, fundata erat.

gauit — quocum saepe falso confusus est —, nescimus; plebeia gens fuit Acilia, parsque quaedam intra bina nomina se continuit, etiam posteaquam aliae cognomen sibi sumpserunt. illud constare uidetur, C. Acilium, senatorem, uirum nobilem, cum et philosophiae studio et linguae Graecae usu ita praeter ceteros excelleret, ut operam suam illis philosophis offerret eique hoc potissimum interprete in senatu a. 155. 599 uterentur (Plut. l. s.), procedente aetate ad historiam se conuertisse.[1] Exorsus autem est a rebus ante Romam conditam gestis (fr. 1. 2) atque minutis quidem rebus spretis memoriam usque ad suam aetatem deduxit. sermone usus est Graeco ex more eorum, qui tum scribebant, nobilium Romanorum atque exemplorum Graecorum non solum linguam imitatus sed etiam sententiam Graecorum, qui originem urbis a patria sua repetebant, amplexus est (fr. 1).

Nouerunt autem hunc librum atque singulis locis citauerunt Cicero (fr. 3), Dionysius (6), Strabo (1), Plutarchus (2), denique paradoxographus quidam Vaticanus (fr. 2 A). Liuius (4. 5) non ipsum adhibuit sed Claudium 'qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum uertit', quem quin Quadrigarium fuisse censeamus nil obstat.[2] Num alii aut ei quos commemoraui scriptores aliis locis hoc fonte usi sint, incertum est; nam eo solo loco, quo Plutarchus Flamin. 21 cum Claudio Aciliano (fr. 5) consentit, non Acilium ante oculos habuit sed Polybium (cf. adn. ad Claud. fr. 64 A. *Quellen d. Plut.* p. 85. Nissen *Untersuch.* p. 169). forsitan plebeia auctoritas, quae etiam Glabrioni censuram petenti aduersa fuit (Liu. 37, 57, 12), eius historiam obscurauerit, certe uersio Claudii, qui etsi eius traditionem de quibusdam rebus in memoriam uulgatam inuexit, ipsius tamen laudi non profuit, quae praesertim studio gentili non propagaretur.

Fragmentorum numero primum addidimus ex coniectura Schwegleri (I p. 80). libri enim hoc Strabonis loco exhibent aut ὅ *γε κύλιος* (Paris. 1393. Ven. 377) aut ὁ *κεκύλιος* (Medic. XXVIII 5), ubi posteaquam alii alia coniecerunt, Cramer atque Meineke, nouissimi

---

1) Eodem tempore L. Acilius quidam iuris ciuilis prudentia ita floruit, ut sapiens appellaretur (Cic. Lael. 2, 6) eiusque duodecim tabularum interpretatio etiam a Cicerone propter auctoritatem suam laudaretur (de legg. 2, 23, 59).

2) Vid. Fleckeiseni annal. 125 p. 103—105. pluribus hanc meam sententiam aliis refutatis Cantarelli l. s. defendit. Vid. infra cap. de Claudio Quadr.

Strabonis editores, Fr. Lachmanno (De f. L. I p. 30 sq.) adsensi ὅ γε Κοίλιος in contextum receperunt, sed recte monuit Schwegler et a Coelio solum bellum Punicum enarratum esse, ut unde fr. illud sumptum esset, cerni non posset, et a Strabone neminem auctorem Latinum adhibitum esse, at ὅ γε Ἀκύλιος commendari et re quae hoc fragmento exponeretur, quoniam etiam fr. 2 Acilium ultra Romam conditam regressum esse probatur, et scriptura codicum, nam etiam 14, 1, 38 p. 646 per υ Strabo id nomen scripsit. denique fragmento 2 A nunc numerum auximus a G. Sieglino (*Philol. Wochenschr.* 1883 c. 1449) moniti, excerpto ex illo paradoxographo, qui ex cod. saec. XV primum ab E. Rohdio (in actis soc. phil. Lips. I p. 35—42) editus est, tum iteratus ab O. Kellero (Rer. nat. script. Gr. min. I p. 106—115), qui ab eo a cap. XXV 'paene ad uerbum' Nicolaum Damascenum (in paradoxogr.) exscriptum intellexit (praef. p. X). hinc explicatur, qua ratione Acilii nomen per tot saecula seruatum sit.[1])

---

1) Cassium Dionem eo usum esse iure Ad. Baumgartner (*Quellen des C. D.*) inprobauit (p. 58). — Breuiter hoc loco moneo uerba quaedam a Caesio Basso (VI p. 265 K.) inter Saturnii uersus exempla laudata sed a Vossio (de hist. Gr. p. 153 W.) et Krausio (p. 85) historico adscripta (*in Acilii Glabrionis tabula 'Fundit fugat prosternit maximas legiones'*) nunc recte inter fragmenta poetarum Romanorum legi (ap. Baehrens p. 56).

A. POSTVMIVS ALBINVS

Fabii Cinciique uestigia legit A. Postumius Albinus. is a puero, ut ait Polybius [1]), Graecae linguae disciplinaeque summo amore flagrabat, sed cum, ut erat homo admodum loquax et uaniloquus, nimius in eis esset inepteque modum excederet, omnibus fastidium mouebat effecitque, ut propter illum apud grauissimos quosque Romanos litterarum Graecarum studium male audiret. quid? quod cum Carneades, Diogenes, Critolaus philosophi Athenienses Romae essent, etiam tempore admodum importuno praetor cum eis iocatus est, ut eruditionis Graecae cognitionem prae se ferret; stabant enim tum illi legatione publica perfungentes in Capitolio ad senatum (Cic. acad. 2, 45, 137). itaque quamuis esset Latine disertus atque a Cicerone (Brut. 21, 81) in oratorum Latinorum numero cum laude quadam poneretur, tamen sermonem patrium nimis rudem minusque aptum esse arbitratus, quam quo historia conderetur carminaque componerentur, Graece et historiam et carmina scripsit, quod cur uere excusaret habebat, sed quod in historiae principio, si quid parum composite aut minus eleganter scriptum esset, ueniam postulauit, sub modestiae specie suberat artis rhetoricae ostentatio et iactatio. suo igitur iure scite eum cauillatus est M. Porcius Cato, quod mallet culpam deprecari quam culpa uacare. *nam petere,* inquit, *ueniam solemus, aut cum inprudentes errauimus aut cum compulsi peccauimus. tibi, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?* [2])

Nihilo minus et praetor fuit (a. 155. 599) et consul (a. 151. 603) annisque quinque post Corintho urbe diruta a senatu cum decem aliis missus est, qui Achaiam in prouinciae formam redigerent (Cic.

---

1) 40, 6. Polybium ad uerbum transscripsit Suidas s. u. *Αὖλος Ποστόμιος* I p. 859 Bhdy.

2) fr. 1. Gell. 11, 8, 4 ex libro Cornelii Nepotis de illustribus uiris XIII; ex Gellio Macrobius sat. praef. 14. cf. Polyb. 40, 6. Plut. Cat. 12. apophth. 29. Iordan dict. memor. 34 p. 102. Imitatus est has Postumii ineptias Fronto in epistula Graece ad Caesaris matrem scripta (p. 242 N.).

ad Att. 13, 30, 3; 32, 3), atque in hoc quidem munere, quo erat litterarum Graecarum studio, ita Graecorum beneuolentiam sibi conciliauit, ut ei statua in Isthmo collocaretur (Cic. l. s. 32, 3). contra bellica uirtute nusquam enituit. etiam consul id passus est, ut cum L. Licinio Lucullo collega, quoniam dilectum seuere agebant, a tribunis plebis in carcerem conicerentur (Liu. perioch. 48), bellum tamen a collega gestum est, et cum in Graecia res in discrimen uenisset, ualetudine simulata ab armis recessit (Pol. 40, 6, 11).

Sed eum iam iuuenem historias edidisse ex ioco illo Catonis patet, quippe qui mortuus sit quadragesimo sexto uitae Postumianae anno, duobus annis posteaquam ille consul factus erat. neque tamen res Romanas quas tractandas susceperat, pontificum Romanorum morem secutus simpliciter ex ordine exposuit, sed utpote Graecae doctrinae discipulus et admirator in historia scribenda praeceptis Graecae artis satis fecisse Polybio uidetur; nam cum ad seueritatem uel iniquitatem iudicii inclinaret, uix laude πραγματικῆς ἱστορίας eam dignatus esset, praesertim cum uaniloquentiam eius etiam ad res augendas pertinuisse non omisisset ei opprobrio uertere; nam discrimen illud Graecum eum primum per singulas partes, quasi ipse interfuisset, accurate ad senatum rettulisse litteris custodiuit (l. s.).[1]

Sed quod duo eaque incerta fragmenta ad nos peruenerunt, non mirabimur.[2] nam Catonis salibus Polybiique iudicio breui haec historia esse explosa uidetur nec uersione Latina in lectionem reuocata est, qua gens Postumia laudes suas denuo inlustrare uoluerat. quae praeter prooemii ineptias duo fragmenta supersunt, saeculo quarto litteris mandata sunt, unum a Macrobio, alterum a Seruio; nam etsi horum libris manu scriptis inscriptionem concessi, tamen magis mihi placet librarium aliquem nimis contrahentem auctoris sui uerba (quae talia fere fuisse existimauerim *Postumius annali primo, ubi exponit de aduentu Aeneae, et Lutatius conmunium historiarum*) neglegenter inscriptionem cum eis, quae qui excerpserat, fr. explicandi causa addiderat, confudisse, ut tandem in fr. 3

1) Ne hic Postumius cum aliis confundatur, is A. Postumius Albinus, qui a. 187. 567 fuit aedilis curulis, 185. 569 praetor, 180. 574 consul, 174. 580 censor, 171. 583 legatus in Cretam, 167. 587 in Macedoniam missus est, pater huius fuit.

2) Per aliquot annos fraus Iacobi Cortese (in *Rivista di filol.* XII [1884]) uiros doctos decepit, qua nota ignota de hoc Postumio miscuit, nunc detecta Ludouici Traube ingenii oculorumque acie (*Palaeograph. Forsch.* in comment. acad. Monac. classis tertiae XXIV p. 1904).

etiam ipsa inscriptio hac explicatione remoueretur (cf. Cass. fr. 32. 23), quam de aduentu Aeneae peculiarem librum siue ab hoc ab alio aliquo Postumio compositum esse.[1]) nam etiam annales Postumii ab origine urbis repetitos esse ex fr. 2 consequitur.

1) Ab A. Postumio Albino historico is 'Albinus' probe est distinguendus, qui inferiore aetate uersibus res Romanas descripsit, ex cuius libro primo rerum Romanarum tres uersus seruauit Priscianus 7, p. 304 H. (ap. Baehrens F. P. R. p. 406). uid. Schanz III p. 47. Tertius quidam de metris scripsit, Max. Victor. 6, p. 211 K.

M. PORCIVS CATO[1])

Adhuc de eis nobis scriptoribus agendum fuit, qui Graece res sui populi enarrauerint. accedimus ad eum, qui inrisis eis Romanis qui Graecum sermonem praeferrent Romano (uid. p. CXXIV) primus patrio pedestrique sermone memoriam Romanam describere ausus est, ad M. Porcium Catonem Censorium. is postquam de medicina, agri cultura, rhetorica, de re militari, de moribus, de iure ciuili libros edidit plurimasque orationes, quas habuit, litteris consignauit, idem senex historiae se dedidit originesque composuit. de quibus disputantibus nobis proficiscendum est a luculento Nepotis testimonio, quod habemus in uita Catonis c. 3:

Senex historias scribere instituit. earum sunt libri septem. primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque ciuitas orta sit Italica. ob quam rem omnes origines uidetur appellasse. in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. atque haec omnia capitulatim sunt dicta. reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Seruii Galbae, qui diripuit Lusitanos. atque horum bellorum duces non nominauit sed sine nominibus res notauit. in eisdem exposuit,

1) J. H. van Bolhuis *Diatribe litt. in M. Porcii C. C. quae supersunt scripta et fragmenta.* 1826. H. A. Lion *Catoniana s. M. P. C. C. quae supersunt operum fragmenta.* 1826. Wilms *M. P. C. C. uita et fragmenta.* Dortm. fasc. I 1839. II 1843. Wagener *M. P. C. originum fragmenta,* Diss. Bonn. 1849. Bormann *C. originum fragmenta.* 1858. H. Jordan *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant.* 1860. O. Ribbeck in mus. Heluet. n. I (1861) p. 7 sqq. (= *Reden u. Aufsätze* p. 236—258). A. v. Gutschmid *Kleine Schr.* V p. 518—526. Omisi eos qui de uita tantum modo Catonis egerunt, quam enarrare mihi non est uisum huius loci esse. sed tamen ut legentium commodo seruirem, uitae eius capita apposui: natus est Cicerone teste a. 234. 520, Liuio Plutarchoque a. 239. 515, 217. 537 prima stipendia meruit. 204. 550 quaestor fuit. 199. 555 aedilis pl. 198. 556 praetor (in Sardinia prouincia). 195. 559 consul in Hispania prouincia. 190. 564 legatus M.' Acilii Glabrionis contra Antiochum ad Thermopylas pugnauit. 184. 570 censor fuit. 149. 605 mortuus est.

quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut uiderentur admiranda. in quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina.

In quibus uerbis sunt sane, quae maximo opere miremur. horum bellorum duces nominatos non esse in libro historico a Catone sed res sine nominibus notatas! ob trium[1]) librorum argumentum septem inscriptos esse origines! uerum tamen in his ipsis rebus accidit, ut ab aliis scriptoribus Nepotis testimonia, quamuis per se incerta et dubia, confirmarentur. nam et Plinius in naturali historia (fr. 88) imperatorum nomina annalibus detraxisse Catonem scripsit[2]), et Festus (s. u. originum p. 198) originum inscriptionem reprehendit, quod non satis plenum titulum propositi sui uideatur amplexus, quando praegrauent ea, quae sint rerum gestarum populi Romani.

Hanc igitur ob causam cum non sit, cur de Nepotis fide et auctoritate dubitemus, quamquam singulorum librorum res Nepotem non satis accurate adumbrasse inueniemus, eius testimonio confidere eumque ducem in disputatione nostra sequi poterimus, qua quidem illud etiam magis firmari uidebimus.

'Senex' igitur 'historias scribere instituit', id est minimum sexagenarius (Varro ap. Censor. 14, 2), si Ciceronem de Catonis aetate sequeris, anno 174. 580, si Liuium et Plutarchum, qui minorem fidem habent, a. 179. 575 (Drumann V p. 98). sed etiam seniorem Catonem fuisse, cum secundum originum librum componeret, inde apparet, quod Ameriam annis DCCCLXIII ante Persei bellum conditam esse prodiderat (fr. 49). denique septimum originum librum sibi in manibus esse ipsum Catonem anno ante mortem Cicero de senectute (11, 38) profitentem facit (nam a. 150. 604 illud colloquium habitum esse uult 5, 14), idemque in Bruto (23, 89) quam orationem contra Galbam dixisset, eum in origines suas rettulisse certiores nos facit 'paucis antequam mortuus esset an diebus an mensibus'.

In hoc tanto testimoniorum consensu sine dubitatione duos locos spernemus, qui cum his pugnare uideantur. alter locus est Liuii 34, 5, 7, ubi posteaquam Cato nullo modo legem Oppiam abrogandam esse exposuit, L. Valerius, tribunus plebis, ut rogationem a se promulgatam defenderet, etiam haec contra Catonem dicit: *Nam*

---

1) Quoniam ut libri alter et tertius, ita etiam primus ad origines spectabat, nihil obstat, quominus ex tribus prioribus libris Nepotis sententia inscriptionem ductam esse existimemus.

2) Iniuria igitur Drumann hist. Rom. V p. 146 absurde haec tradita esse affirmat.

quid tandem noui matronae fecerunt, quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? numquam ante hoc tempus in publico adparuerunt? tuas aduersus te o r i g i n e s *reuoluam. accipe, quotiens id fecerint, et quidem semper bono publico. iam a principio regnante Romulo, cum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro signis conlatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum est?* tulerant autem ad plebem M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebis de Oppia lege abroganda a. 195. 559, ut, si re uera Valerius origines habuisset ante oculos, magnam originum partem iam tum a Catone, qui tum erat fere quadragenarius, absolutam et emissam esse necesse esset. at uero quis nescit Liuium orationes, etiam si potuisset, non ita ut dictae erant in libros suos transtulisse, sed suo ingenio et arti obsecutum aut totas finxisse aut si quas inuenerat apud auctores suos, retractasse atque in hac potissimum historiae parte haud raro temporis, quo eas dictas esse uolebat, oblitum esse?[1]) quam ob rem hic locus prae disertis Nepotis, Ciceronis, Plinii testimoniis neglegendus est. maiorem difficultatem praebet alter Plutarchi in uit. Cat. c. 20, ubi quam curam posuisset pater in Marco filio, qui ex priore uxore Licinia natus erat, educando erudiendoque postquam pluribus exposuit, prima litterarum elementa ipsum patrem tradidisse, docuisse equo uehi, armis uti, frigus caloremque tolerare, natare aduersus flumen rapidissimum, sic pergit: *καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχῃ τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι.* ubi quoniam c. 25 idem Plutarchus origines *ἱστορίας* appellat, post alios Wilms (II p. 9) et Mercklin (Philol. IV p. 424) origines significatas esse arbitrati ex filii institutione sensim origines ortas esse coniecerunt. iam uero hic Marcus filius a. 173. 581 sub Popillii Laenatis militia contra Ligures tirocinii rudimenta posuit (Drumann V p. 150) natusque esse uidetur a. 192. 562, unde, nisi decem fere annos aut plus in primo libro scribendo Catonem consumpsisse statuimus, aut inepte Plutarchum dixisse sequitur Catonem, ut filium primis imbueret litteris, g r a n d i b u s litteris origines exarasse aut alium librum in animo habuisse, non origines. hanc opinionem nunc plerique sequuntur, idque iure. quamuis enim multos errores in uitis enarrandis commiserit Plutarchus, hic apertae fraudis atque mendacii esset ac-

1) Vid. *Geschichtl. Litter.* II p. 299 sq. Soltau *Livius* p. 3. 15.

cusandus, cuius nemo adhuc eum coarguit. itaque quaeritur, quasnam *ἱστορίας* Plutarchus dicere uoluerit. atque erant quidem qui eius uerba ad '*Praecepta*' referrent: sed quomodo haece historiae scriptae grandibus litteris conueniebant cum libris de medicina et de rhetorica, qui illis praeceptis continebantur, quos ad adulescentem uel iuuenem datos esse consentaneum est? recte igitur et praecepta historiasque Plutarchi in pueri usum conditas et origines historiasque distinxit Drumann (V p. 143 sq.), in cuius sententia stabimus, nam plura de illis historiis, quarum memoria hoc solo loco Plutarcheo continetur, proferre hariolantis est. etiam errauit Iordan (p. XXI), quod a patre epitomen originum in pueri usum confectam esse coniecit. qui enim fieri potuit, ut Cato eo tempore, cum nondum ad senectutem peruenisset aliisque rebus occupatus ad ipsas origines scribendas adgressus non esset, eas in epitomen cogeret? summarium igitur illud fuit rerum a maioribus uel pace uel bello gestarum, quo filius puer et arte legendi instrueretur et cognitione illarum imbueretur, ut in uita publica quondam uteretur (cf. fr. 3), non epitome originum.

Sequuntur apud Cornelium uerba: 'Earum sunt libri septem'. ad quae uerbum ego non amplius adderem, nisi L. Lersch[1]), num iam a Catone historiae in septem libros distinctae essent, suspicionem mouisset. sed argumenta, quibus usus est, ut unum originum uolumen continentique scriptura expositum a C. Octauio Lampadione in septem libros diuisum esse demonstraret, inania sunt, atque etiam id, quo in primis nititur, loco Frontonis (epist. ad M. Caes. 1, 7 p. 20 Nab.), de quo agitur, rectius explicato dilabetur. felicem enim se praedicat, quod orationem quandam suam M. Caesar ipse descripserit, neque cuiquam id contigisse declamat: *Contigisse quid tale M. Porcio aut Quinto Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico? quid M. Tullio tale usu uenit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt* ⟨*a*⟩ *Lampadione aut Staberio aut .... ui aut Tirone aut Aelio* [euanuerunt duo uersus cum dimidio] . . . *aut Attico aut Nepote. mea oratio extabit M. Caesaris manu scripta. qui orationem spreuerit, litteras concupiscet, qui scripta contempserit, scribtorem reuerebitur.* quae uerba quamuis lacunis corrupta tamen non sunt tam obscura, ut non cernamus Frontonem agere de scriptorum quorundam libris, qui inlustrium grammaticorum manibus descripti sint.

1) *Museum der rhein.-westphael. Schulmaenner* III 1845, 3, p. 233—235.

nolumus nimiam uim tribuere ei rei, quod Th. Bergk (Opusc. I p. 602 sq.) eos grammaticos a Frontone allatos esse perspexit, qui scriptorum amici fuissent, Lampadio autem utique aliquanto post Catonem fuit: illud constat, errore inductum Lerschium, quod Cato primus scriptorum, Lampadio primus grammaticorum positus esset, Lampadio autem Naeuii bellum Punicum in septem libros diuisisset (Sueton. de inlustr. gram. 2, p. 101 Rf.), ex illo loco conclusisse eundem Lampadionem in totidem libros origines distinxisse. denique si qui a Varrone 'librum', non libros originum bis (fr. 43. 52) citari, tum a Gellio uno loco (fr. 86) 'originem' Catonis dixerint, oppono Varroni diserta Ciceronis Verriique, eius aequalium, testimonia, ut eius laudationem aut ipsius aut librariorum neglegentia (Wagener p. 7) turbatam esse appareat, Gellio ipsius ceteros locos uiginti fere, quibus aut origines aut accuratius unum certum earum librum appellat.

Inscriptio duobus locis (fr. 19. 88) exceptis ut a Nepote ita a ceteris scriptoribus traditur originum, ut quin sub ea totum opus publicatum sit, nemo dubitare possit. sed quaeritur, qua causa. quam quidem quaestionem difficillimam, quae nostrae aetatis uiros doctos multum exercuit, iam apud Romanos aliquid offensionis habuisse supra uidimus. sed ut eam soluamus, a singulorum librorum argumentis adumbrandis exordiendum erit. Nepos igitur sic pergit:

'Primus continet res gestas regum populi Romani', quibuscum uerbis quae fragmenta additis libri numeris seruata sunt et ad certam aliquam rem referri potuerunt (fr. 12. 22. 24, de fr. 25 non liquet), concinunt; pertinent enim usque ad res Tulli Hostilii et Tarquinii Superbi. praefatus tamen erat Graeco more clarorum uirorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere (fr. 2), et quanto usui esset memoria rerum gestarum (fr. 3), quas sententias facile copulamus ita, ut illum rerum suarum laudatorem[1]), quam ipse otii sui redderet rationem, hanc ut praeclarissimam commendasse censeamus. uidetur uero etiam in his sententiis imitatorem habuisse Sallustium, qui in bellorum Catilinarii et Iugurthini prooemiis, posteaquam cur scriptor quam actor rerum esse mallet explicauit, quam arduum esset res gestas scribere et quanta historiae praestantia esset disputauit. quid? quod nescio an praeter Posidonium etiam Catonem significauerit, cum de bello Iugurth. 4, 2 scriberet: *Cuius* [memoriae rerum gestarum] *de uir-*

---

1) Vid. p. CXL. CLI sq.

tute quia multi dixere, praetereundum puto.[1]) alii etiam alia Catoniana prooemio inseruerunt, in primis P. Scipionis Africani dictum quoddam, quo dicere eum solitum esse scripserat Cato, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus nec minus solum quam cum solus esset (Cicero de off. 3, 1, 1 cf. de rep. 1, 17, 27), atque Bormann quidem (p. 29 sq.) ipsum tenorem praefationis restituere conatus est, sed quamquam Catone non indigna eum excogitasse non nego, tamen aliena inuenta Catoni obtrudere nolui neque Rothio adsensus sum, qui cum de multis rebus tum de fontibus (fr. 118) in illa disputasse Catonem arbitratus est. omnia enim eius coniecturae desunt fundamenta.

Res ipsas Romanas ab aduentu Aeneae repetiisse uidetur pluribusque res ab eo gestas descripsit; supersunt de eis Seruii testimonia; sunt tamen admodum incerta. nam cum per diuersa loca, prout Vergilii interpretatio postulabat, famam Catonianam discerperet, summam quamque rem diligentius rettulit, cetera ex memoria sua leuiter adspersit. uere Catonis haec fuisse uidentur: Aeneas cum patre ad Italiam uenit (fr. 9); cum eius socii praedas agerent (fr. 10. 9), nihilo minus rex Latinus[2]) agros ei donauit (fr. 8) Lauiniamque in matrimonium dedit (fr. 11), propter quod Turnus iratus contra Latinum et Aeneam bella suscepit (fr. 11) duasque pugnas commisit, quarum priore Latinus periit (fr. 11. 10), altera, postquam ille a Mezentio auxilia impetrauit (fr. 9. 11), pariter rapti Aeneas et Turnus (fr. 11. 9); denique bello ad Ascanium et Mezentium translato (fr. 9. 10) Ascanius Mezentium interemit (fr. 9. 10) singulari certamine (fr. 9). sic explosis discrepantiis et obscuritatibus narratio in probabilitatem quandam reuocata est. nam apud Seruium fr. 11 Turnus iratus propter Lauiniam aduenae desponsam et Latino et Aeneae bellum intulit, antea (fr. 9. 10) hic ad litus appulsus contra Latinum Turnumque proelium commisit, quo Latinus occisus est; in fr. 11 ipso duo bella inter Turnum atque Latinum Aeneamque gesta mixta sunt. quamquam haec difficultas Vergilii commentatoribus tribuenda est, nam caret ea aliud scholium (ad 9, 742, uid. adn. ad fr. 10), quo cum Liuius et Cato citati sint, simul error Seruii explicatur; neque enim eorum diuersitatem diligenter obseruauerat. consensus quidem scholii '*cum Aeneae socii praedas age-*

1) Vid. *Wahrheit und Kunst* p. 339 sq.

2) Pluribus causam narrauerunt Liuius 1, 1, 6 sqq. Dionysius 1, 57 sqq. Origo c. 13, 1—3.

rent' cum Liuio 1, 1, 5 (cf. fr. 4. 8) '*cum* [Troiani] *praedam ex agris agerent*' uix fortuitus fuit.[1])

De secundi et tertii libri argumento haec sunt Nepotis uerba: unde quaeque ciuitas orta sit Italica.[2]) hoc igitur libros perlustrans primum animaduertit. sed quaeritur, qua ratione hanc materiae copiam digesserit. nam certa eum ductum esse ex fr. 73 elucet, quo quod aliqui populi postremo loco positi sint excusat, 'quin et boni et strenui sint', illud tamen Gellius in excerpendo neglexit, quem populum Cato in animo habuerit. quam ob rem late patet coniecturis spatium.[3]) ipse ad Wagenerum (p. 8) inclino, qui cum libro secundo de Liguribus (fr. 32), Libuis (33), Gallis (34), Marrucinis (53), Tiburtibus (57), Latinis (58), Arpinatibus (61), tertio de Rheginis Taurinisque (71) et Himeraeis (72) disputatum esse ex ipsis reliquiarum numeris constare obseruasset, ex septentrionibus Catonem descendentem ad meridiem illo libro Galliae Italiaeque superioris ciuitatum origines descripsisse coniecit. itaque ceterorum quidem librorum fragmenta quoad fieri potuit ex temporum ratione digessimus, secundi ac tertii secundum locorum situs. neque uero Cato solas urbium origines in his libris enarrauit, unde orti essent populi (fr. 37. 40. 42. 45. 48. 50), unde nomen accepissent (46. 53. 54. 60), quis quo tempore urbes condidisset (45. 51. 56. 59. 70), sed etiam mores populorum descripsit (31.[4]) 32. 33. 34. 39. 61. 76), quae in illis locis gignerentur (134. 43. 57), quanta agrorum fertilitas esset (43. 57), quae ferae (52), quanta locorum spatia essent (38. 50), accurate explicauit, singulas gentium urbes enumerauit (ut triginta quattuor Euganearum gentium fr. 45,

1) Incerti scriptoris origo c. 11—13 tenorem Catonis plerumque recte exposuit, eius tamen auctoritatem aliis rebus adpinxit. — Seruii errores iam Niebuhr (H. R. I² p. 200 sqq.) et Schwegler (I p. 286 sq.) notauerunt, tum pluribus de eis egerunt Iordan p. XXVII sq. et Herm. III p. 414 sqq. et Baehrens in Fleckeiseni annal. 135 (1887) p. 769 sqq., hic illic mecum consentientes.

2) Hanc partem solam respexit Dionysius 1, 11, 1, cum de Romanorum origine disputans Catonem citauit τὸν τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγόντα.

3) Vid. etiam infra p. CXXXVIII.

4) De Ligurum moribus Catonem in secundo orig. libro uerba fecisse ex fr. 32 constat, sed fr. 31 nulla codicum auctoritate, cum Seruius laudaret *Cato originum,* Daniel addidit II, oblitus ille haud raro ita citasse Seruium, ut Cat. fr. 123, Coel. 58 (*Coelius historiarum,* ubi praeter necessitatem Meltzer p. 26 numerum inserit), Asell. 14 (*Asellio historiarum*), Lutat. 8 (*Lutatius communium historiarum*).

cf. 58), denique aliquot certe res gestas copiose persecutus est (fr. 36. 72).

Sunt tamen etiam in alterius libri reliquiis, quae suspicionem moueant, num re uera quae sub Catonis nomine feruntur Catonis sint. alia enim Dionysius (fr. 50) de Sabinis a Catone tradita esse rettulit, alia Seruius (51)[1]. atque apud illum quidem ex Catonis sententia nomen eis inditum est a Sabo, Sanci dei domestici filio, primum autem domicilium eis fuit Testrina, uicus quidam prope Amiternum situs, inde migrauerunt in agrum Reatinum atque cum multas colonias deduxerunt tum Cures. tum uero adnectit aliam famam, quae exstet 'ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις', i. e. Sabinis[2]), Lycurgi aetate Lacedaemonios quosdam profugos Feroniam delatos *συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι*, quorum mores Sabini induerint, quam fere eandem se apud Catonem et Gellium inuenisse affirmat Seruius. possis suspicari Seruium diuersas famas miscuisse alienamque tribuisse Catoni. ipse tamen in hac re Catonem tenens, utramque famam quam prodidit Dionysius ex Catone fluxisse arbitror[3]) minusque accurate solam priorem ad Catonis auctoritatem relatam. a diligentia certe eius, praesertim cum in praedio Sabino multum uiueret, talium fontium usus non abhorrebat (cf. infra p. CXLIII); quod uero auctoritati domesticorum Sabinorum annalium Catonis nomen cessit, hic mos illorum scriptorum fuit, ut si quem is quem transcriberent, citasset fontem, ueterem auctorem praeferrent.

'In quarto autem (libro) bellum Poenicum est primum, in quinto secundum.' His uerbis Nepotem capita tantum modo horum librorum tangere uoluisse consentaneum est, quamquam ne

---

1) Quoniam etiam de campo Tiburti (fr. 57) et de nemore Aricino (fr. 53) Cato in secundo libro egit, causam non uidi, cur Sabinos ad primum cum Iordano (p. XXV sqq.) transferrem. alia res de Aboriginibus fuit.

2) Parum recte Niebuhr (H. R. I p. 104), quem secutus est Kiessling (De Dion. font. p. 35), *τὰς ἐπιχωρίους ἱστορίας* Cn. Gellii historici dictas esse existimauit. necessario enim sunt intellegendae historiae domesticae Sabinorum, quorum deus Sabus in eodem cap. *ἐπιχώριος* dictus erat.

3) Mecum facit E. Samter (*Quaest. Varron.* p. 60 sqq.), qui totum Dionysii caput (etiam Zenodoti testimonium) a Catone repetit, Wendling (Herm. XXVIII p. 348 sq.) alteram famam a Posidonio per Varronem, qui ipse nomen Sabinorum *ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι* deduxerat (Fest. p. 343. cf. Plin. n. h. 3, 108).

haec quidem argumenta eum diligenter distinxisse atque definiuisse ex ipsis reliquiis discimus. quarto enim libro minimum usque ad initium belli Hannibalici (fr. 84) clademque Cannensem (86. 87), quinto minimum usque ad causam Rhodiensem (fr. 95) descenderat, quae anno minimum tricesimo quarto post bellum illud dicta est. quae quidem rerum partitio multis ita mira uisa est, ut Nipperdey (in edit. mai. a. h. l.) etiam numerum libri quinti in septimum apud Liuium Gelliumque, testes illius numeri, mutaret. at defenditur et fr. 96 et 97 eiusdem libri, quae ad bellum cum Gentio (a. 168. 586) gestum pertinere Gutschmid (V p. 524 sq.) intellexit, et eodem paene annorum spatio, quod liber quartus et quintus complexi erant. restat tamen magnum annorum discrimen, illic quinquagenorum, sexti et septimi duodeuiginti, ad quod explicandum fragmenta nihil iuuant; sexti enim unum paucorum uerborum superest, septimi praeter causam Sulpiciam nullum, quod ad certam aliquam rem referri possit. itaque horum maximam partem orationibus suis expleuisse uidetur, quibus in conficiendis se uersatum esse simul cum septimo libro originum parando uel scribendo ipse professus est (apud Ciceronem de senect. 11, 38); id quod etsi omnino ab originum consilio desciuit, et ex eius nimia sui admiratione et ostentatione (uide infra p. CXL. CLI sqq.) deduci potest et ex originum editione post mortem scriptoris facta, qua omnes eius litterarum reliquiae uel perfectae uel incohatae sub aliena inscriptione coniunctae sunt (uid. infra p. CXXXIX sqq.).

Iam uero Nepos de capitibus quibusdam definiendis omnino desperauit. pergit enim: 'A t q u e h a e c o m n i a c a p i t u l a t i m s u n t d i c t a. r e l i q u a q u e b e l l a p a r i m o d o p e r s e c u t u s e s t u s q u e a d p r a e t u r a m S e r u i i G a l b a e, q u i d i r i p u i t L u s i t a n o s', i. e. omnes res, quas antea narrauerat, et eas, quas in tribus primis libris et quas in quarto quintoque, non solum bella Poenica primum et secundum, sed etiam cetera, quae a populo Romano usque ad a. 168. 586 gesta sunt.[1]) creuit igitur Nepotis uel inertia uel taedium summa quaeque paucis uerbis diligenter excerpendi, qua iam ab initio, ut originum inscriptionem interpretaretur, praeterisse maiorem partem materiae infra demonstrabimus; tum uero quod sola bella commemorauit, etiam nunc inter ea legimus Catonis orationis pro Rhodiensibus habitae originibusque ipsis uerbis insertae

1) Etiam in eis uerbis quae sequuntur '*atque horum duces non nominauit*' o m n i a bella comprehendit, uid. infra p. CXLI.

magna fragmenta (fr. 95), exigua orationis contra Seruium Galbam (fr. 107—110) atque apud Ciceronem (de sen. 7, 11. 11, 38), ut uituperationes senectutis refutet, eum praedicantem et septimum sibi librum originum esse in manibus et omnia antiquitatis monumenta se colligere et causarum inlustrium, quascunque defendisset, nunc cum maxime conficere orationes, scil. ad origines supplendas. itaque etiam quod Cato 'in originibus' grauiter in mulierum luxuriam inuectus est (fr. 111—115. 118. 119), ex orationibus haec sumpta sunt. sic non mirabimur, quod Nepos etiam bella nominare desiit atque ne Hispanica quidem commemorauit, quorum partem Cato ipse administrauit (cf. fr. 110); capita enim fuisse orationes insertas per se consentaneum erat. distinguenda igitur sunt ea, quae ille in excerpendo, et ea, quae Cato consilio omisit. hic enim cum ad historiam scribendam reuersus ad certa testimonia peruenisset, in prooemio quarti libri non lubere scribere professus (fr. 77), quod in tabula apud pontificem maximum esset, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstitisset, spreuit eas res, quae nec ad rem publicam gerendam nec ad ipsam historiam pertinerent, neque id egit ut ex ordine singulos annos accurate digereret et pertexeret (Gutschmid V p. 519 sq.). immo omnia capitulatim dixit. atqui Plinius quod in natur. hist. 2, 55 de defectibus luminum confessa 'breuiter atque capitulatim' se attacturum esse promisit, non idem bis dixit — hic non erat eius usus —, sed et capita ex omni materia se eligere et ea ipsa paucis tractare uelle[1]); itaque, quoniam Nepotem etiam praeter orationes suas Catonem res quasdam non modo descripsisse sed cum studio exornasse fugere non potuit (unum quidem luculentum exemplum facinoris cum arte patriaeque amore enarrati etiam nunc exstat[2])),

1) Cf. Fortun. rhet. 2, 1: *quoniam prius uniuersam causam confuse considerare debemus, tunc omnia, quae reperta sunt, capitulatim quaestionibus ordinare.* imitati sunt Latini Graecorum saepius usurpatum κεφαλαιωδῶς, de quo uid. s. p. LXXIII sq. De capitibus rerum cf. Gell. n. A. pr. 25, ubi indicem rerum sic inducit: *Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic uniuersa, ut iam statim declaretur, quid quo in libro quaeri inuenirique possit,* et Cicero Brut. 44, 164: *Multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt; plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intellegi potest. ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius.*

2) fr. 83. cf. 62: *quae Cato plenissime exsecutus est.* 86. 87.

res eas, quae summi momenti ei esse uiderentur, non in breuitatem redactas, eum dixisse apparet.

Nunc quaeritur, cuius corporis haec capita fuerint: totius operis cum Nepote respondebimus, cuius populique Romani memoriae continuitatem Cato contempserat et discerpserat. itaque hiat tenor historiae, in quo genere litterarum illud Cicero (de orat. 2, 12, 51), Plutarchus (Cat. 25), Seruius (ad Verg. 6, 841) aliique posuerunt. quid? quod res a regifugio usque ad bella Poenica gestae a Catone omnino non scriptae esse Lewisio (*Untersuchungen* I p. 36 sq.), Iordano (p. XXIV) Mommsenoque[1]), Ribbeckio (l. s. s. p. 251), K. W. Nitzschio (Annal. p. 301), Leoni (*Kultur d. Geg.*[3] p. 419) uisae sunt. at Nepotis testimonio haec opinio non confirmatur, dummodo uim uocis *originis* recte interpretemur, quae ut apud Graecos uocis *κτίσις* se non continuit intra res ante conditam condendamue urbem gestas sed ultra excurrit atque etiam constitutionem ciuitatis complexa est, id quod Nitzsch[2]) adhibito Ciceronis libri alterius de re p. initio recte intellexit, quo Cornelium Scipionem Africanum minorem Polybium secutus ita disputantem fecit uel ipse disputauit, ut a dicto quodam Catonis exordiretur: '*Is*, inquit, *dicere solebat ob hanc causam praestare nostrae ciuitatis statum ceteris ciuitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem p. constituissent legibus atque institutis suis, — nostra autem res p. non unius esset ingenio sed multorum nec una hominis uita sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore prouidere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac uetustate.*'

---

1) Eius sententia haec fuit (H. R. I, p. 928): '*So bestimmte er denn das zweite und dritte Buch seines Geschichtswerkes fuer den Bericht ueber die uebrigen italischen Gemeinden und deren Eintritt in die roemische Eidgenossenschaft,*' et paulo post: '*Diese Beruecksichtigung der uebrigen italischen Gemeinden gewaehrte einen gewissen Ersatz fuer die mangelnde Geschichte Roms und der Vertreibung des Koenigs Tarquinius bis auf den pyrrhischen Krieg, indem sie deren wirkliches Ergebnis, die Einigung Italiens unter Rom, in ihrer Art gleichfalls darstellte.*'

2) *Polybius* p. 141; postea tamen (*Die Gracchen* p. 241 sqq. *Annalistik* p. 301) de hac sententia decessit, quam Fr. Leo (*Miscella Cicer.* in indice lectt. Gott. aest. 1892 p. 13—17) redintegrauit, qui tamen quinque tantum libros a Nepote dictos esse censuit, nam eius senis morositati sua aetate optimum rei p. statum iam dilabi roburque imminui uisum esse.

ipse igitur se ita rem constituturum esse exponit, ut oratio sua populi originem repeteret (*'libenter enim se etiam uerbo uti Catonis'*) atque suam rem p. nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostenderet.[1]) quod si archaeologiis suis Iosephum res a mundo creato usque ad duodecimum annum Neronis pertexuisse, Dionysium autem Polybio quasi praefatum esse considerauerimus, etiam Cato rerum Romanarum memoriam usque ad id tempus, quo biennio ante bellum Poenicum primum debellatum fuit, pertinentem origines inscribere potuit. quodsi totum opus a Plinio (nat. hist. fr. 88) et in Liuii periochis (fr. 106) inter annales numeratum est et ab Ioanne Lydo 'Ῥωμαικὴ ἀρχαιότης dicitur, si ipse a Dionysio iuxta Fabium Pictorem, Cincium, Pisonem aliosque inter historiae scriptores (συγγραφεῖς) positus est, se ipsum in animo habuisse uidetur, cum in prooemio scriberet: *si ques homines sunt, quos delectat populi Romani gesta discribere.* quae si recte exposita sunt, ab antiquis scriptoribus longum illud temporis spatium, quod spatium regum fere aequaret, lectum esse sequitur, sententiaeque paucis a Niebuhrio (H. R. I^2, p. 9. Praelect. I, p. 26) propositae, a Gutschmidio (V, p. 519 sq.), qui tamen tribus illis libris Catonem usque ad incendium Gallicum uel initium bellorum Samnitium peruenisse coniecit, Wachsmuthio (*Einleit.* p. 625), Seeckio (*Kalendertafel* p. 177), qui ut Niebuhr Appiani bella comparauit, Nipperdeyo (ad Nep. l. s.) probatae adstipulabimur. transtulit igitur Cato omnem scientiam et cognitionem, qua de bellis ante Poenica gestis se instruxerat, in originum librum paulo post Persae bellum editum, in ea re Fabium Pictorem imitatus, quod ut fidei suae religiosius quam arti scribendi obsequeretur, lacunas uulgatae memoriae ingenii inuentione non expleuit, illo superior, quod gentili superbia oculorum acies non praestricta erat, suam uiam ingressus, quod et res Italicas suo sermone exposuit et res ita diuisit, ut 'unde quaeque ciuitas Italica orta esset', usque ad eam uictoriam, qua Romanis se subicere coactae sunt, persequeretur, singulas igitur suo quamque capite absolueret. neque enim Niebuhrio ita adsentior, ut in populi Romani rebus per temporum ordinem enarratis earum ciuitatum res, quae cum eo manus consererent, ab originibus repetitas eo loco, ubi earum in memoria Romana primum mentio fieret, Catonem intexuisse concedam atque, cum Italicae, priusquam cum Cartha-

1) Cf. Polyb. 6, 4, 13: *μάλιστα δ' ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας τοῦτον ἁρμόσειν τὸν τρόπον ὑπείληφα τῆς ἐξηγήσεως διὰ τὸ κατὰ φύσιν αὐτὴν ἀπ' ἀρχῆς εἰληφέναι τήν τε σύστασιν καὶ αὔξησιν.*

giniensibus bellum initum esset, uictae essent, factum esse, ut earum historia libris altero et tertio absolueretur.[1])

Itaque sic statuam: Cum Cato a. 189. 565 ex Antiochi bello Romam reuersus et a. 184. 570 censura functus in foro domique otium negotiosum ageret, ut erat 'cupidissimus litterarum', amplam rerum Graecarum et Italicarum scientiam sibi parauit, cuius ut etiam ciues participes essent indoles eius ferebat. multa igitur scripsit ediditque. Perse autem ad Pydnam uicto Romanis doctis imperium constitutum perfectumque esse uisum esse testis est Polybius, qui tum res ab initio belli Hannibalici usque ad suam aetatem persequi consilium ceperat (Susemihl *Alex. Litter.* II, p. 106), ut etiam Catoni facile in mentem uenire potuerit Graeco more res urbium Italicarum, quae bellis Punicis contaminatae ad imperium Romanum aspirabant, ab originibus repetere. nam in scribenda ea historia se iam anno 168. 586 uersatum esse ipse in libro secundo (fr. 49) significauit. itaque si uiginti fere annis post septimus ei originum liber in manibus erat, hoc autem temporis interuallo non solum multis causis districtus erat sed etiam alia opera diuersi generis composuit, denique si quattuor posterioribus libris inscriptio parum idonea esse iam Cornelio Nepoti et Festo (uel Verrio Flacco) uisa est eique noua praefatione incohati sunt (fr. 77), origines non uno tenore scriptas et publicatas esse sequitur.[2])

Maximum autem hoc discrimen intercessit, quod in quarto libro diuersi riuuli studiis eruditioneque nutriti confluxerunt Catoque rerum uel quas certis auctoritatibus comperisset uel quas ipse ui-

---

1) Hanc sententiam pluribus explicandam et firmandam A. Wagener l. s. suscepit, neque tamen probauit. itaque Bormannus l. s. in quibusdam rebus Niebuhrium secutus cum ex serie rerum Romanarum reliquias originum collocari posse desperaret, hoc potissimum Catoni propositum fuisse censuit, ut situm et mores populorum, qui tum cum Romanis coniuncti essent, describeret componeretque quam nunc ethnographiam appellaremus imperii Romani, primusque liber contineret origines Romanas, secundus et tertius urbes Italicas, quartus Siciliam, fortasse etiam Sardiniam et Corsicam, quintus et sextus Illyriam et Macedoniam, septimus Hispaniam: sed hoc inuentum Vahlen (*Ztschr. f. oesterr. Gymn.* 1859 p. 480 sqq.) et Iordan (in Fleckeis. ann. uol. 79 p. 424—433) iam satis grauibus argumentis redarguerunt; nam hae sententiae et cum eis, quae de originibus ab antiquis scriptoribus prodita sunt, et cum ipsis reliquiis plus minusue discrepant, neque quisquam eis patronus exstitit.

2) Nipperdey ad Nep. 3, 3. Bergk *Opusc.* II p. 748. Seeck *Kalendertafel* p. 178.

disset, larga copia abundabat. qua libere usus quamuis occasionem arripuit sua de re p. merita praedicandi, nec id propter aduersarios, quos multos in uita publica constanter castigatis omnibus uitiis etiam nobilissimorum uel uirorum uel mulierum habuit (uid. Ribbeck p. 238 sq.), mirum est. itaque iam orationibus publice et habitis et separatim editis res a se gestas ab eorum inuidia et criminatione defenderat[1]), idem uero etiam in originibus uirtutes suas suis orationibus ad uerbum insertis testatus est, nec eius intererat alienas laudes hac ubertate obscurare atque etiam opprimere, id quod etsi saepe ei opprobrio datum est[2]), plerique tamen tum 'suam ipsi uitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt'[3]), uirtutesque aliorum quoque ciuium, si dignae essent, idem constanter tuitus est (fr. 83) atque ne hostium quidem solito Romanorum more uidetur imminuisse; certe Plutarchus (Cat. 8) eum dicentem fecit: *οὐδένα δὲ τῶν εὐδαιμονιζομένων βασιλέων ἄξιον εἶναι παραβάλλειν πρὸς Ἐπαμεινώνδαν ἢ Περικλέα ἢ Θεμιστοκλέα ἢ Μάνιον Κούριον ἢ Ἀμίλκαν τὸν ἐπικληθέντα Βάρκαν.*

Sic igitur in summa senectute peruenit in scribendo usque ad causam Seruii Galbae a. 150. 604 dictam, ad quam fragmenta libri septimi, quae sola ex eo cum rerum gestarum memoria coniungi possunt, pertinent (108. 106. 107. 109), ipsamque orationem contra eum, quod cum anno superiore praetor in Hispania esset, contra

---

1) Vid. in primis quam contra Thermum habuit orationem de uirtutibus suis (p. 43 Iord.) et inlustre fr. orationis, qua de sumptu suo egit (p. 37 Iord.). has Nepos dixit, quod in Catonis uita tradidit (3, 2): *Ab adulescentia confecit orationes,* i. e. scripsit (uid. Thesaurum l. l. IV c. 197, 81), hasque Cicero, quod amplius centum et quinquaginta inuenisse et legisse uult (Brut. 17, 65). Etiam epistulae eius exstabant ad filium datae (*Der roem. Brief* p. 8) et fortasse laudis domesticae causa publicatae. quod igitur Cicero anno 150. 604 eum dicentem induxit '*causarum inlustrium quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes*', hoc ad eas pertinet, quas uel nondum editas tum litteris mandabat uel retractatas originibus inserebat.

2) Liu. 34, 15, 9 (fr. 92): *Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum.* Apul. de mag. c. 17 (p. 38 Iord.): *M. autem Cato nihil oppertus ut alii de se praedicarent, in oratione sua scriptum reliquit, cum in Hispaniam consul proficisceretur, tris seruos solos ex urbe duxisse* et q. s. Vid. de h. l. Muenzer *Quellenkrit. d. Plinius* p. 193. Plut. Cat. 14: Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε, τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγε, πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις [ad Thermopylas] ὄγκον περιτέθεικε καί φησι κτλ. (fr. 130.)

3) Tac. Agr. 1. uid. quae infra de autobiographis disputabimus.

fidem interpositam Lusitanos occiderat, habitam inseruit 'paucis antequam mortuus est an diebus an mensibus', atque etiam propter pueros misericordia populi commota eum elapsum esse commemorauit. itaque senili loquacitate eum eo delatum esse ueri simile est, ut quasi ephemeridem componens[1]) uitaeque res persequens morte occuparetur; neque enim illa causa tam grauis esse ei uideri potuit, ut historiae ab origine urbis repetitae finem faceret. posteris igitur eius haec pietas praestanda fuit cauendi, ne quae ille inperfecta reliquisset, obliuione obruerentur, ex quibus aliquis, fortasse nepos, truncum cum capite coniunxit atque nota originum inscriptione fragmenta tuitus est, qui quidem utrum externa necessitate ductus sit an Scipionis ratione uocis originis uim etiam longius prolatatam ad statum rei p. rettulerit[2]), hoc in incerto relinquo.

Sed redeamus ad Nepotem, qui ita pergit: 'Atque horum bellorum duces non nominauit sed sine nominibus res notauit.' atque Nipperdey quidem sola reliqua, quae post Poenica gesta essent bella eum hoc loco in animo habuisse existimauit, Poenicorum bellorum duces a Catone nominatos esse. at primum Plinius (fr. 88) cum imperatorum nomina Catonem annalibus detraxisse scriberet, nullam eorum partem exclusit, deinde fr. 83 quo Q. Caedicii tribuni militum uirtus, quae enituit bello Punico primo, copiose descripta est, nec imperatoris Poeni nec consulis Romani nec ipsius tribuni nomina adiecta sunt, fragmentisque 86 et 87, quae spectant ad bellum Hannibalicum, Cato simpliciter de dictatore Carthaginiensi magistroque equitum loquitur. cf. Iordan p. LIII. quam ob rem hac Nipperdeyi opinione reiecta de omnibus bellis, quae ante commemorauit, Nepotem hoc loco agere censebimus.[3]) sed causam silentii illius recte expedire conatus est ille uir doctissimus: unius cuiusque enim anni rebus gestis magistratuum nomina praeposita esse prouinciarumque, quas consules praetoresque sortiti essent; sic in ipsis rebus enarrandis non opus fuisse nominibus sed sufficisse consules praetoresue dictos. itaque opus non erit ad alias causas eius silentii defugere, uel inuidiam aut malignitatem, ne inimicorum uirtutes suis scriptis decorarentur, uel timorem, ne superbia et adrogantia quarundam gentium aleretur. immo uetustus hic fuit mos

1) Cf. Cic. de sen. 11, 38: *Pythagoreorum more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro uesperi.*

2) Origines certe ne in posterioribus quidem libris neglexit, nam etiam de Carthaginiensium moribus et institutis in quarto egit (fr. 78—80).

3) Vid. s. p. CXXXV.

etiam apud alios populos libertatis studiosos (Gutschmid V p. 524. E. Meyer mus. Rhen. 37, p. 613). Aeschylus quidem in tragoedia Persarum, cum pugnam Salaminiam describeret, multorum hostium nomina finxit, sed neque Themistoclem neque Aminiam neque quemquam Graecum nominauit.

Denique extrema Nepotis de originibus uerba haec sunt: 'In eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut uiderentur admiranda. in quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina.' Admirandorum quod Cato in originibus studiosus fuit, historicorum Graecorum more (Theopompi, *Wahrheit u. Kunst* p. 170 sq.) animos hominum hac uarietate delectandi explicatur. admiranda enim uel admirabilia idem ualere quod *παράδοξα* Cicero dixit[1]) neque ipse 'Admiranda', quamuis incredibilia essent, scribere dedignatus est (Plin. n. h. 31, 12; 51) aut Varro, qui logistoricum quendam ad Fundanium Gallum sic inscripsit (Seru. ad Georg. 3, 113. Vid. Ritschl Opusc. III p. 406). etiam maior numerus paradoxographorum apud Graecos fuit, qui eo genere librorum res maxime uarias complexi omnia litteris consignarunt, quae in maribus, fluuiis, fontibus, lacubus, lapidibus, animalibus conspecta admirationem mouerent (uid. Susemihl l. s. I p. 463 sqq.). itaque has fere reliquias, ex quarum parte rei rusticae studium elucet, in admirandorum numero ponemus: 39 (de magnitudine Gallicarum succidiarum), 43 (de uitium agri Picentini fecunditate), 52 (de caprarum quarundam uelocitate)[2]), 57 (de campi Tiburtis fertilitate), 78 (de Poenorum mapalibus), 93 (de Hispanorum ferrariis, argenti fodinis, monte ex sale mero magno, uento cercio), 97. 110 (de pisculentis fluuiis). quamquam facere non potuit, quin ut Graeci etiam incredibilia admiratus in errores incideret (fr. 52. 93), nisi forte haec ut redargueret, commemorauit. proinde magis sagacitatem admiremur, qua mores hominum breuiter et scite descripsit, Ligurum (31. 32), Gallorum (34), laxitatemque historiae, qua etiam suae ciuitatis uitam cultumque amplexus (fr. 111—115. 118. 119) omninoque Dicaearchum imitatus est.[3])

---

1) De fin. 4, 25, 74. parad. praef. 3 sq. uid. Thesaurum l. lat. s. u. I, p. 735, 42. p. 740, 69.

2) Cf. aliud de capris 'admirandum' ex Archelao (Susemihl I 465 sqq.) apud Varronem de re rust. 2, 3, 5.

3) Gell. libri VI cap. 1, quo fabulas et dicta memorabilia de P. Africano narrauit, sic inscripsit: '*Admiranda quaedam ex annalibus sumpta.*'

Quae uero a Nepote laudatur multa Catonis industria et diligentia, quam quidem laudem eum pertinere uoluisse non solum ad posteriores sed ad omnes originum libros apparet, eandem ei tribuunt maxime Cicero (de orat. 3, 33, 135: *denique nihil in hac ciuitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum inuestigarit et scierit, tum etiam conscripserit*), deinde alio loco Nepos (Cat. 3, 2: *Quarum* [litterarum] *studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum*), Dionysius (fr. 6 *Πόρκιος Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών* et fr. 17 *ἐπιμελὴς γενόμενος, εἴ καί τις ἄλλος, περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας*), Velleius (fr. 69 *ego pace diligentiae Catonis dixerim*), Gellius (2, 28, 5 *M. Cato, uir in cognoscendis rebus multi studii*), Fronto princ. hist. p. 203 N. *(ita Cato oppidatim statuis ornandus, qui primam Latini nominis subolem et Italicarum originum pueritias inlustrauit)*, Solinus (2, 2 *Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta, praecipue M. Catone, ut iam inueniri non sit, quod non ueterum auctorum praeceperit diligentia*), Seruius (ad Aen. 7, 678 *De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in originibus*, et fr. 62 *pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur, quod Cato plenissime exsecutus est*). neque nos collatis fragmentis ei hanc laudem derogabimus. quid? quod etiam ad uocabulorum origines animum conuertit (fr. 46. 60) multasque minutias ut homo antiquitatis studiosus obseruauit operaeque molestae non pepercit monumenta conquirendi et ad librorum usum conferendi; ipsum enim apud Ciceronem audimus gloriantem se sepulcra legere omniaque antiquitatis monumenta colligere, scil. ut originum fidem confirmaret, et ius augurium et pontificium se tractare (cf. fr. 109), unde libros sacros ei ignotos non fuisse apparet; idem ad tabulas pontificum, quae tum nondum editae erant, descendit, etsi magnam partem memoriae earum abiecit (fr. 77). denique studii intentionem, qua libri secundi tertiique materiam dispersam diuersi generis, cognitioni hominum non delectationi prospiciens (cf. max. fr. 41. 44. 58), conquisiuit, etiam nunc agnoscimus atque laudamus, quamuis saepe acie iudicii destitutus sit. ut si fr. 50 alteram famam recte ad eum rettulimus, Sabinorum domesticas historias inspexerat, etiam Praenestinorum[1], nec probabilitate caret etiam Timaei historias ab

1) Vt 2, 49 Dionysius de origine Sabinorum testimonia Zenodoti,

eo in usum uocatas esse[1]), quas tum lectione et auctoritate floruisse ex Polybii iniquitate iudicii elucet. de Romuli Remique pueritia eum cum Fabio Pictore maxime consensisse aperte Dionysius testatur (fr. 15), quamquam etiam hoc ueri simile est ab utroque ipsam famam popularem repraesentatam esse, non patriciam Graece exornatam a plebeio uere Romano; de tribuum quidem numero Fabium non secutus erat (fr. 23) nec de anno urbis conditae ab excidio Troiae computato, cum Graecam rationem Fabii Cinciique sperneret (fr. 17. cf. adn. ad h. l.).[2])

Cauendum enim est ne omnino eum Graecos auersatum esse putemus; id ne potuit quidem; nam quamquam eum doctae philosophorum adrogantiae taedebat grauissimumque ab his ne Romanae constantiae et disciplinae inmineret periculum timebat, ita ut acerbissimis salibus in Postumii Albini Graecas historias inueheretur, tamen cum publice satis esse doceret illorum ingenia inspicere, non perdiscere (Plin. n. h. 29, 27) atque etiam apud Athenienses contionatus interpretis auxilium adhiberet (Plut. Cat. 12), eorum eruditione et cultu ita captus et infectus erat, ut, qualis ipse uere esset, nesciret et ultra ueritatem rusticitate quadam publice tegeret, quam Romanam esse arbitraretur, denique sic ut Silenus ille Platonicus alius esse uellet, alius uere esset, ut ait Plutarchus (Cat. 5). itaque omnia fere, quae originum propria esse docuimus, a Graecis redundauerunt. nam ut haec, quae exposuimus, breui comprehendamus, iam in-

Catonis, Sabinorum historiarum iunxit, ita Solinus 2, 9 de Praeneste Zenodotum et Praenestinos libros, quorum cum testimonio Cato concinit (fr. 59).

1) Vid. Jordanum p. XXXVIII sq. de origine urbium Italicarum id suspicatum adsentiente Gutschmidio V p. 522. 526, Geffkenio, *Timaios' Geographie des Westens* in *Philol. Unters.* XIII, p. 179, de Polybio eius aduersario *Wahrheit u. Kunst* p. 232.

2) Cicero, quamuis multa scitu digna de Catone ei debeamus, tamen illius specie uulgari deceptus erat; uix igitur nobis persuadebit quod eum dicentem fecit (de sen. 8, 26): '*qui litteras Graecas* (i. e. libros cf. Plut. Cat. 2) *senex didici, quas quidem sic auide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens*'. cautius Nepos scripsit (Cat. 3, 2): *Quarum* [litterarum] *studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum.* etiam Plutarchus, qui eum *παιδείας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθῆ* dixerat (Cat. 2), postea hoc iudicium restrinxit. — Num Graeca experientia, cuius indicia in libris de re rustica cernuntur, ab eo ipso excerpta sit (G. Gentilli, *Atene e Roma* VII, p. 298 sqq.), mihi dubium est.

scriptione eorum κτίσεις imitatus, tum geographiam ethnographia rebusque rusticis amplificatam[1]), chronologiam[2]), admiranda aemulatus erat, diligentiam quandam inquisitionis artemque nesciendi (fr. 31. 40. 45) ab eorum uiris litteratis didicerat, quamquam iudicio suo non omnes tenebras, quibus Graeca inuentio etiam Italicarum urbium origines obscurauerat, discussit, suasionemque in prooemiis utilitatis historiae; idem etiam Aborigines ab Achaeis deduxit (fr. 6) multasque Italiae urbes a Graecis conditas esse (fr. 45. 47. 51. 54. 56. 70. 71), quin etiam Romulum Graeca lingua institutum esse tradidit fabulamque quandam Stesichori narrauit (fr. 72). tum demum postquam libro quarto historiae Romanae filum pertexere coepit, materia abundabat Romana uel hominum uel monumentorum, quam maxime ipse auxit, quoniam paene septuaginta annorum res sua ipse memoria complectebatur, quam Pythagoreorum more constanter etiam senex exercebat (Cic. de sen. 11, 38).

Quae philosophiam tamen sapere uiderentur anxie respuebat, qua de causa d o c t r i n a m[3]) in originibus desiderari Nepos conquestus est, politissimam illam doctrinam transmarinam atque aduenticiam, ut ait Cicero (de orat. 3, 33, 135. cf. Brut. 87, 298), qui etsi quibusdam locis grauitate Catonis orationis correptus laudes eius supra modum exaggerauit neque ullum florem aut lumen eloquentiae eum non habuisse praedicauit, tamen continuo Atticum eas imminuentem fecit, qui uix se risum tenuisse dixit, cum Cicero Catonem cum Philisto et Thucydide compararet; nam ne suspicatum quidem hominem Tusculanum esse, quale esset copiose et ornate dicere, similiterque aliis locis et idem (de leg. 1, 2, 6), ut Ciceronem ad historiam scribendam conuertat, Fabium, Catonem, Pisonem, Fannium, Vennonium omnes exiles esse adseuerat et Antonius (de orat. 2, 12, 53) Catonem et Pictorem et Pisonem neque tenuisse, quibus rebus ornaretur oratio, et dum intellegeretur quid dicerent, unam dicendi laudem putauisse esse breuitatem.

---

1) fr. 31. 32. 34. 38. 39. 43. 44. 52. 57. 74. 75. 93. 94. 110.

2) Quibus locis (fr. 17. 84) annum accurate definiuit, eadem arte ab alia re gesta numerandi usus est qua Graeci, uelut Xenophon in Hellenicis (*Wahrheit u. Kunst* p. 130).

3) '*Gelehrte Reflexionen und Untersuchungen allgemeiner Natur, wie z. B. bei Polybius*', ut interpretatus est Nipperdey; cf. Nep. uit. Attici 17, 3: *neque id fecit natura solum* [ut matrem pie amaret], *quamquam omnes ei paremus, sed etiam d o c t r i n a. nam p r i n c i p u m p h i l o s o p h o r u m ita percepta habuit praecepta, ut his ad uitam agendam, non ad ostentationem uteretur.*

Quocum iudicio Sallustius consentit, quod Catonem et paucis absoluisse dicit et Romani generis disertissimum fuisse (hist. fr. 1, 2, p. 3 Kr. 4 M.), neque ipsi reliquias peruoluentes aduersabimur; nam eius breuitas, qua forsitan Thucydidem imitatus sit[1]), iuncta est cum magna et uerborum grauitate et sententiarum (cf. Quintil. inst. 2, 5, 21). etiam sequemur Gellium de oratione pro Rhodiensibus habita (6, 3, 53) iudicantem omnia fortasse distinctius numerosiusque dici potuisse, fortius atque uiuidius potuisse dici non uideri. quae quidem uis cum natura ei fuerit insita neque artificiis rhetoricis Graecorum infecta — discipulos Isocratis operam perdere risit[2]) —, nescio an id non solum in alias orationes sed etiam diuerso scribendi genere, ut res fert, uariatum in quasdam originum partes cadere uideatur; uenustatem uero atque munditiam uerborum non minus laudare (Gell. 1, 23, 1) hoc antiquitatis a natura aberrantis indicium est. immo Catonem ut in multis rebus, ita in uerbis eligendis antiqua et prisca, quae iligneae nuces appellatae sunt a Frontone (de orat. p. 155 ex O. Iahni emendatione), sectatum esse non erit cur pluribus demonstremus, uixque opus erit Ciceronis testimonium adferre, qui ipse orat. 45, 152 horridulas eius orationes fuisse concedit. denique, ut alia mittam, superest Frontonis iudicium, qui (ad Ver. 1, 1, p. 114) 'uerbis multiiugis' Catonem historiam scripsisse dicit. ubi cum opponat Coelium uerbis 'singulis' scribentem, Catonem eandem rem compluribus uerbis expressisse Frontoni uideri cognoscimus taliaque intellexisse: *Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere* (fr. 95[a]), quae imitatus est Marcus Antoninus, eius discipulus (epist. 2, 13, p. 36).[3]) hoc tamen exemplum, cuius similia ex orationibus complura enotari possunt, est ex oratione Rhodiensi, et quoniam Frontonis iudicium pugnat cum Cice-

1) Plut. Cat. 2. cf. Kornemann *Thukydides u. die roem. Historiographie* Philol. 63 p. 148 ff.

2) Plut. Cat. 23. — Meditatio tamen quaedam a Catonis ingenio et oratione non abhorruit; itaque quae ipse ea ratione perceperat, ut filio usui essent, peculiari libro complexus est. uid. Schanz I 1[3], p. 245. sed diuersa haec fuit ab Isocratis disciplina, etsi Norden *Kunstprosa* p. 164—169 plura Catoniana ab eius imitatione repetiit. talia enim Graecam artem non sapiunt '*quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est*' (fr. 98), '*itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror*' (fr. 105), uid. etiam fr. 79. similia habes etiam apud Ennium.

3) Vid. Norden l. s. p. 166 sq.

rone et Sallustio, grauioribus testibus, falso Frontonem de historia, in qua minus studii posuerat, dixisse existimauerim quod in solas insertas orationes quadraret.[1])

Nihilo minus Ciceronem non latuit, ut Philisti Syracusii et ipsius Thucydidis concisis sententiis offecisset Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, sic Catonis luminibus obstruxisse posteriorum quasi exaggeratam altius orationem (Brut. 17, 66). admirabatur posteritas uiri constantiam asperitate quadam et antiquitate animi tinctam libertatemque iudicii, qua Romanam uirtutem contineri putabat, etiam propagabat sales multis perniciosos, patriciis tamen eius historiam molestam fuisse credas, praesertim cum ceterarum in Italia urbium res eodem studio diligentiaque eum tractasse et tuitum esse uiderent, cuius sententiae necessitatem ut ipsi mente perciperent, nondum maturi erant.

Obuersabatur igitur omnium mentibus clara species uiri constantis ueritatisque tenacis adsueruntque eius auctoritatem praeter ceteras colere et nominare; ut igitur dicta Catoniana oraculorum uim obtinebant, ita etiam qui ab eo computatus erat annus urbis natalis, omnium consensu probatus est, ut usque ad Varronem omnes eum sequerentur atque etiam tum non deessent qui Catonianum Varroniano praeferrent. Hercle etiam nos non negabimus eum primum repulsa Graeca arte suae Romanaeque naturae obsecutum Latine historiam scribere ausum esse idque ita, ut quem ad modum ceterarum ciuitatum Italicarum opera ciuili patrocinium susceperat, sic easdem ut Romanae gloriae participes in ciuium notitiam proferret atque historiae suae laudem in rebus Romanis, quam maxime posset uel posse sibi uideretur, uere et religiose scribendis poneret fontesque ipsos, qui superessent, cum ea cura et diligentia, quae tum ab historia diuersa esset, requireret. Ac tamen in historia nemo eius uestigia secutus est. nimirum mansit hic a Graecis receptus mos, ut unius alicuius auctoris ex eis qui antea scripserant electi tamquam fundamentis hic illic emendatis, confirmatis, auctis opus suum superstruerent, quo aequalium desideriis satis facerent. cui mori minime origines conueniebant. neque enim nominati erant

1) Gellius quidem ubi de hoc ornatus genere *(in crimine uno uocibus multis atque saeuis extruendo)* agit (13, 25, 12 sqq.), in orationibus tantum modo a Catone id frequentatum esse adserit. item maxime ad orationes spectare uidetur Plutarchi iudicium (Cat. 7): *Εὔχαρις ἅμα καὶ δεινὸς ἦν, ἡδὺς καὶ καταπληκτικός, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρός, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός.*

bellorum duces, qui multo cum labore ex aliis annalibus conquirendi erant. nimis aucta erant Catonis in rem publicam merita, quae ad modum quendam reuocanda erant, maiorque ratio habita ceterarum ciuitatum Italicarum. denique capitulatim res dictae erant, ut aliunde tenor et aequalitas narrationis supplenda esset. itaque magni quidem semper ducebatur Catonis auctoritas, sed ut prae ceteris exemplum et fons primarius esset, nimis molestum uisum est.

Sic factum est, ut, quamquam lectitabantur origines atque quaedam frustula ex eis decerpebantur, qui postea annales condidere, ad Fabii annales redire et hos pro fundamentis habere mallent. neque enim ab his omnino neglectas esse origines ex fragmentis quibusdam Cassii Heminae et Coelii Antipatri discimus.[1]) nam quae de campi Tiburtis fertilitate exposuerat Cato (fr. 57), partim ad uerbum in tertium annalium librum transscripsit Cassius (*in campo Tiburti, ubi hordeum demessuit* Cato. *in campo Tiburte, ubi hordeum demessuerunt* Cass. fr. 29)[2]), et quod consilium magister

---

1) Polybii notitiam origines omnino fugisse uix nos nunc credemus, praesertim si tres priores libros paulo post a. 168. 586 scriptos et publicatos esse probauerimus. itaque iam Seeck (*Kalendertafel* p. 178 sq.) Gallorum bella ab illo 2, 18—22 secundum origines scripta esse posuit, patronusque eius coniecturae exstitit G. Soltau (*Prolegomena z. e. röm. Chronologie* p. 64—75, *Neun Kapitel aus Catos Orig. Wochenschr. f. klass. Philol.* 1886 c. 886—891. 916—925. *Cato u. Polyb.* ibid. 1888 c. 373—381), qui quibusdam argumentis additis etiam Polybii c. 14—17 ad eas rettulit et sententiam suam contra B. Niesium (*Goett. gel. Nachr.* 1887 p. 828) defendere conatus est, sed ne sic quidem Fr. Reussio (Philol. 60, p. 126) persuasit. ipse multa ab illis uiris doctis prolata esse concedo, quae eorum opinioni faueant, consensumque quendam maxime de Gallorum moribus apud utrumque recte animaduersum esse, neque me illud offendit Catonem nusquam a Polybio citatum esse, id quod per se leuis momenti est, tum uero facile explicatur; nam Polybius materia collecta et rationem operis sui iam designauerat et scribendi initium fecerat, cum posteriores Catonis libri nondum publicati essent. at ea de causa iudicium meum fluctuat, quod praeter unum locum Polybius in sola quarta decade Catonis mentionem fecit neque quae ratio inter eum Corneliosque Scipiones, cum ille in libris conscribendis uersaretur, intercesserit satis constat; inimicitiarum apud Cornelium Nepotem (Cat. 3, 2, uid. Nipperdey a. h. l.) et Plutarchum (Cat. 2. 11. 16. 18. 27) testimonia exstant, qui pluribus eas a Fabii Maximi admiratione repetiit; de Fabiorum autem et Corneliorum aemulatione uide s. p. XLIX sq.

2) Fateor tamen haec Cassii uerba suspicionem habere atque errore uel Prisciani, qui haec Catonis et Cassii fragmenta utroque loco, quo propter perfecti formam *demessui* exempla attulit, continua posuit, uel

equitum post uictoriam Cannensem Hannibali dedit, ut se cum equitatu contra Romam mitteret, Coelium in annalium libro altero secundum Catonem (fr. 86) narrasse indicauit Gellius (10, 24, 6: *Mitte mecum Romam equitatum: diequinti in Capitolio tibi cena cocta erit* Cato. *Si uis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, diequinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta* Coelius). denique Sisenna, quem de agro, qui datus sit Troianis a Latino, cum Catone et Liuio consentire affirmat Seruius (ad Aen. 11, 316), ipsum Catonem (fr. 8) secutus est.

C. Sallustius Crispus tamen magis propter genus scribendi quam propter ipsas res scriptas Catonem amauit multumque uolutauit. nam cum de aliis temporibus ageret atque Cato, ne erant quidem multa quae ex eo sumeret. at genus scribendi ita admirabatur, ut non solum uerba quaedam ex originibus excerperet, ut ait Augustus (Suet. 86), sed etiam totas sententias (uid. adnot. ad 95^{b}. 108) imitaretur.[1]) quam ob rem iam sua aetate a Lenaeo Pompei liberto exagitatus est, qui eum priscorum Catonis uerborum ineruditissimum furem appellauit (Suet. de ill. gram. 15, p. 112 Rf.). etiam Asinius Pollio eius scripta reprehendit 'ut nimia priscorum uerborum affectatione oblita' (Suet. l. s. 10, p. 108), atque Quintilianus hoc epigramma incerti scriptoris institutionibus suis (8, 3, 29) inseruit:

Et uerba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Iugurthinae conditor historiae.

Etiam Cicero cum Catonem legeret, diligentius genus scribendi obseruasse atque magis orationibus lectitandis operam dedisse uidetur quam originibus, ex quibus quattuor seruauit fragmenta (2. 83 adn. 106. 118) eaque praeter unum binis ternisue locis proposuit. quam autem originum notitiam in libro de senectute scripto expressit, maiorem partem dictorum Catonianorum collectioni, de qua uid. Iordani prol. p. CV sq., eum debuisse ueri simile est. sed a Cornelio Nepote, cum peculiarem librum de Catonis uita et moribus rogatu Pomponii Attici fecerit, multum Catonis origines lectitatas esse credas, quamquam munere scriptionis leuiter, ut solebat, etiam hic functus est. In uniuersum igitur illa aetate originibus

---

eius, ex quo Priscianus sua sumpsit, Catonis uerbis, cum falso bis posita essent. genuina Cassii mihi expulsa esse uideri, ut ex eis nihil nisi u. *demessuerunt* relinqueretur.

1) Cf. etiam Fronton. ep. ad M. Caes. 4, 3, p. 62, qui eum frequentem M. Porcii sectatorem dicit.

amatores defuisse questus est Cicero in Bruto 17, 66, ubi Catonem simili Philisti atque ipsius Thucydidis contemptu consolatur.

Aliunde eis uita reddita est. nam Varro, quamquam duobus locis librorum superstitum earum testimonia exstant (de re rust. fr. 43. 50)[1]), tamen in aliis earum auctoritatem ita secutus est, ut pro fama Naeuii et Ennii, qui Romulum Aeneae nepotem fuisse uoluerant, Catonem substitueret atque etiam de urbium Italicarum originibus eum consuleret. atqui quae Vergilius de his rebus in Aeneide narrauit uel tetigit, haec ad Varronem redire docta disputatione R. Ritter[2]) euicit idemque poetae cum fabulis Catonis consensum ab eiusdem diligentia et admiratione esse repetendum. itaque etiam Vergilii interpretes ultra eum ad Catonis auctoritatem descendisse ueri simile est neque tamen certum, ut saepe dubitemus, utrum eam ipsam euoluerint an nomen ex Varrone transscribere satis duxerint. in fr. 76 quidem utriusque apud Seruium etiam nunc coniunctum extat, aliis receptum esse Catonis uidetur, Varro omissus (ut de fr. 51 E. Samter *Quaest. Varron.* p. 60 demonstrauit), id quod forsitan etiam ad alios locos, quibus Cato una cum alio scriptore inferioris aetatis citatur, pertineat. pondus enim eius uerborum sententiarumque semper graue habebatur, ipsa originum lectio intra breuia temporis spatia est coercita. utut est, Catoni fundamenta fabulae Vergilianae satis nobis cognitae debemus.

Sed ad ceteros rerum scriptores, apud quos originum uestigia conspicua sint, pergamus. citauerunt igitur eas Liuius et Dionysius, ille tamen in quarta demum decade[3]), neque ei loci, quibus in prioribus libris Liuius eadem tradiderit quae Cato (cf. adnot. ad 4. 5. 20. 42. 86), ita sunt comparati, ut necessario eum sua ex illo hausisse existimandum sit. immo uno demonstrari potest Coelium, qui Catonem descripsit, Liuio fontem fuisse, non ipsum Catonem. apud Catonem enim (fr. 86) post pugnam Cannensem id unum magister equitum Carthaginiensis a dictatore petit, ut se cum equitatu Romam mittat; Coelius autem (fr. 25) etiam hoc eum addentem fecit, ut ipse Hannibal sequeretur, idemque legimus apud Liuium (22, 51, 2). tum uero in libro 45, c. 25, 3 se hanc ob

1) Fr. 39 coniectura eis adsignatum est, uid. et. adn. ad fr. 18. 148.

2) *De Varrone in enarrandis urbium populorumque Italiae originibus auctore.* Dissert. Halens. XIV, pars IV, p. 287—415. 1901, in qua dissertatione cap. 2 de fabulis Catonianis agitur.

3) Soltau *Liuius* p. 8—27 Catonem ipsum a Liuio in usum uocatum esse negauit.

causam Catonis orationem, quam pro Rhodiensibus habuerit, insertum esse negat, quod ipsius oratio exstet originum quinto libro inclusa, eademque fere de oratione pro Lusitanis dicta repetiisse uidetur (perioch. 49 adn. 106). deinde quae exstarent orationes commemorauit (*de pecunia regis Antiochi* 38, 54, 11, *in Quinctium aliasque censorias* 39, 42, 7, *pro lege Voconia* perioch. 41). denique libro non addito de numero hominum, qui in pugna nocturna a Catone consule ad Emporias caesi sint, Valerio Antiati opponit ipsius Catonis testimonium 34, 15, 9 (fr. 92). quaeritur, utros libros inspexisse uideatur, orationesne an origines. iam uero quae Liuius de rebus a Catone consule in Hispania gestis exposuit 34, 8—21, maximam partem ex ipso Catone fluxisse iam ab aliis animaduersum est, Iordanusque comparatis reliquiis quibusdam Catonis Liuiique uerbis ita rem absoluit, ut uix quisquam dubitare possit, praesertim cum tota Liuii narratio iactationem Catonianam redoleat. ita enim ille: 'eo maiorem habebat difficultatem in subigendis hostibus quam qui primi uenerant in Hispaniam, quod ad illos taedio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant, huic ex usurpata libertate in seruitutem uelut adserendi erant' (c. 18, 1). tum in pugna Emporitana nusquam uirtutis militum mentio fit, Catonis consilio, uirtute, industria uictoria paratur, non solum maxima minima per se adibat atque agebat nec cogitabat modo imperabatque quae in rem essent, sed quae erat in eo uis animi et ingenii, ipse pleraque per se transigebat nec in quemquam omnium grauius seueriusque quam in semet ipsum imperium exercebat, parsimonia et uigiliis et labore cum ultimis militum certabat nec quicquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium habebat (c. 18, 3—5). nonne censes te ipsum Catonem audire loquentem? sed ut magis perspicua res sit, adscribam uerba Liuiana, ad quae fragmenta illa pertinere uideantur, ipsaque fragmenta ex Iordani editione adnectam. Liuius igitur (c. 8, 4) ita initium facit: *M. Porcius consul, postquam abrogata lex Oppia est, extemplo uiginti quinque nauibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad Lunae portum profectus est eodem exercitu conuenire iusso et edicto per oram maritimam misso, nauibus omnis generis contractis* (= orat. fr. 6, p. 33 Iord.: *Laudant me maximis laudibus, tantum nauium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem comparare potuisse, id tamen maturrime me comparauisse*). *ab Luna proficiscens edixit, ut ad portum Pyrenaei sequerentur* (= orat. fr. 9: *Ita nos fert uentus ad primorem Pyrenaeum, quo*

proicit in altum), inde se frequenti classe ad hostis iturum. praeteruecti Ligustinos montes sinumque Gallicum (= orat. fr. 8: *Deinde postquam Massiliam praeterimus, inde omnem classem uentus auster lenis fert, mare uelis florere uideres. ultra angulum Gallicum ad Illiberim adque Ruscinonem deferimur. inde nocte altera profecti sumus) ad diem quam edixerat conuenerunt, inde Rhodam uentum et praesidium Hispanorum, quod in castello erat, ui deiectum. ab Rhoda secundo uento Emporias peruentum. ibi copiae omnes praeter socios nauales in terram expositae.* deinde cum describat Liuius c. 9, 1—10 Emporiarum situm qualis sua aetate fuerit, Catonem seposuisse uidetur, sed rediit in eodem capite (11), ubi Catonis res exponere pergit bellumque eum Hispanis indicentem facit. tum c. 10 M. Heluii et Q. Minucii triumphos interponit, quos quominus secundum Catonem narratos esse existimemus, compluribus discrepantiis cum eis quae apud ipsum Liuium sequuntur, impedimur (uid. Nissen *Untersuch.* p. 155). tum uero paucis rebus, quas ex Valerio Antiate inseruit (c. 15, 9), exceptis usque ad c. 21 ab eo non discessisse uidetur, habemusque etiam quae cum hac narrationis Liuianae parte concinant fragmenta. cf. Liu. 11, 2: *Eo* [Emporias] *legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus unus filius eius erat, uenerunt querentes castella sua oppugnari nec spem ullam esse resistendi, nisi praesidium Romanus misisset* (= Cato or. fr. 14, p. 35: *Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque mitterentur. nam ita dicunt palam necessum esse obcursatum . . . . .*), Liu. c. 9, 11: *Paucos ibi* [Emporiis] *moratus dies Cato, dum exploraret, ubi et quantae hostium copiae essent, ut ne mora quidem segnis esset, omne id tempus exercendis militibus consumpsit.* 13, 2: *Ipse cum iam id tempus anni adpeteret, quo geri res possent, castra hiberna tria milia passuum ab Emporiis posuit. inde per occasiones nunc hac parte nunc illa modico praesidio castris relicto praedatum milites in hostium agros ducebat. nocte ferme proficiscebantur, ut et quam longissime a castris procederent et inopinantis opprimerent. et exercebat ea res nouos milites, et hostium magna uis excipiebatur, nec iam egredi extra munimenta castellorum audebant. ubi admodum et suorum et hostium animos est expertus, conuocari tribunos praefectosque et equites omnis et centuriones iussit* (= Cato orig. fr. 128, Iordan orat. fr. 13, p. 35). — Liu. 14, 1: *Nocte media, cum auspicio operam dedisset, profectus ut locum quem uellet, priusquam hostes sentirent, caperet, praeter castra hostium circumducit*

et prima luce acie instructa sub ipsum uallum tres cohortes mittit. mirantes barbari ab tergo apparuisse Romanum discurrere ipsi ad arma (= Cato orat. fr. 15, p. 35: *Postquam auspicaui atque exercitum adduxi pone uersus castra hostium),* Liu. 14, 7: *Quod ubi consul uidit, duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci iubet et ab tergo se ostendere* (= Cat. orat. fr. 16: *Nostros pone uersus hosteis esse ab dextra parte).* — Liu. 19, 1: *Difficilius bellum in Turdetania praetori P. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hostibus, sicut ante dictum est, faciebant. itaque eo consul accersitus litteris praetoris legiones duxit* (= Cat. orat. fr. 18: *Itaque porro in Turtam proficiscor seruatum illos.* 19: *Inde pergo porro ire in Turtam).*

Quoniam uero quae modo adscripsimus fragmenta excerpta sunt ex dierum dictarum de consulatu libris, facile inde Liuium non originibus sed hisce orationibus usum esse suspiceris. caue tamen hoc confidentius cum Nissenio (p. 38) adfirmes. uix enim mihi persuadere possum, Liuium, cum omnes res a Catone gestas collectas et dispositas in originibus uideret, ipsum quae opus erant, ex orationibus laboriose conquirere maluisse, praesertim cum perpaucos libros, qui non essent annales, in scribendo ante oculos habuisse uideatur, origines autem nouerit atque ita eorum mentionem fecerit, ut magnam eis auctoritatem habitam cognoscamus. accedit quod consensus fragmentorum Catonis et Liuii non est talis, ut Liuium ipsis orationibus usum esse statuere cogamur. res concinunt, non uerba. atqui Catonem consulatum suum in originibus silentio non praeteriisse eademque narrasse quae in illis orationibus apertum est: quidni igitur hanc rerum expositionem Liuium secutum esse arbitremur?

Pergimus ad Dionysium Halicarnasensem. cui maxime adrisisse Catonis origines eam potissimum ob causam suspicatus est Kiessling (*De Dion. font.* p. 18), quod hic primus Romanos non barbaros sed Graecis per Aborigines (fr. 6) cognatos esse contendere ausus esset, simile autem consilium Dionysium in archaeologia componenda secutum esse constaret. etiam his argumentis multum usum esse Dionysium Catonis ipsis originibus (i. e. libris I—III) confirmatur, quod 1, 7, 3; 11, 1 fontes suos recensens principem ei dedit locum et bis, ubi eius mentionem iniecit, egregiam eius curam et diligentiam laudibus effert (uid. supra p. CXLIII), denique quod eius fidem supra Fabium Pictorem et Vennonium ponit (fr. 23). tamen eis locis exceptis, quibus diserte ad Catonis auctoritatem

reuocamur (fr. 6. 15. 17. 23. 50), Kiessling tria tantum modo eius uestigia (cf. adnot. ad fr. 9. 47. 58) indagauit (p. 19), quorum tertium admodum dubium est, neque nos plus quattuor locos addere potuimus (uid. adnot. ad 4. 22. 31. 36), quibus certe nihil obstabat, quominus Dionysium Catoni se addixisse arbitraremur. uidetur igitur Dionysius hoc quidem noluisse, libros suos autoritate Catonis multum tunc temporis celebrata carere, sed tamen, cum fontes primarios eligeret, praetulisse Catonis breuitati posteriorum scriptorum Antiatum et Quadrigariorum prolixitatem et Pisonum dubitationes ipsius ingenio magis consentaneas.

Praeter hosce illa aetate Ouidium R. Merkel (fast. p. LXXXII sq.) multum uersatum esse in lectione Catoniana suspicatus est, sed quae perexigua uestigia in fastis exstant (cf. adn. ad fr. 12. 20. 24), redire potius uidentur ad Hyginum, eius amicum, qui idem fere consilium quod Cato tribus primis originum libris in eo libro, qui erat de urbibus Italicis, secutus esse uidetur atque etiam in fabulis uno loco Catonem citauit (adn. ad fr. 9).[1]) plus studii in Catonem Verrius Flaccus contulit. is non solum, ut antiquitatem Romanam inlustraret, Catonem in usum uocauit, sed etiam, quoniam eius obscuritas intellegentiam iam impedire coeperat, uerba eius singularia et recondita peculiari libro explicauit, qui inscribebatur *De obscuris Catonis* (Gell. 17, 6, 2) et, quamquam integer ad nos non peruenit, magnam partem transiit in Festi librum (uid. C. O. Muelleri praef. p. XVI), in quo cum ex ceteris Catonis scriptis tum ex omnibus fere originum libris multas habemus reliquias ad uerbum cum librorum numeris transscriptas (fr. 22. 24. 63. 72. 78. 102. 111. 113. 117) aliaeque eius auctoritate oppressa (ut Varronis, uid. s. p. CL. CLXI) per eundem propagatae latent.

Ex eis scriptoribus qui restant etiam pauciores ad Catonem rerum quas exposuerat studio adducti sunt, plerique uerborum exoletorum aucupio. de illis priore loco agam. primus eorum tempore est Velleius, qui uno loco quam de Capuae origine Cato proposuerat sententiam refutasse sibi uidetur (fr. 69), ipsum tamen non inspexit. sequitur Plinius, qui in libro tertio naturalis historiae (quo Italiae descriptio continetur) saepe numero ad Catonis auctoritatem prouocauit atque ad hunc quidem conscribendum — id quod ex rerum argumento apparet — originum seu annalium, quos ipse appellauit, librorum II et III thesauros compilauit partim ipsos

1) Vid. Vol. II, p. CVI. 73 sqq.

partim per Cornelium Nepotem (fr. 37. 40. 41. 42. 44. 47. 49. 68).[1] quae ceteris libris inserta sunt Catoniana, paene omnia aut etiam nunc inueniuntur in Catonis de re rustica libris[2]) aut aperte ad rem rusticam pertinent, ut exclusa ea esse pateat ab eo, qui librum illum in eam quam nunc habemus formam redegit. excepta sunt perpauca, atque ex hisce tria ex libris ad filium missis sumpta sunt, id quod aut ipsis Plinii uerbis significatum est (Plin. 7, 171 = Iord. p. 78, 5; 29, 13 = Iord. p. 77, 1) aut aliunde satis constat (Pl. 28, 260 = Diom. I, p. 362 K. Iord. p. 78, 3). restant ex magna frustulorum Catonianorum multitudine quattuor. ex his unum in libro octauo (11) se ex originibus habere enuntiato quod addidit *(cum imperatorum nomina annalibus detraxerit)* ipse Plinius ostendit (fr. 88), alterum in libro quarto decimo (52) inde ductum esse uerborum Varronianorum consensu (fr. 43) docetur. duo reliqua ex quo libro deprompta sint, dubitari potest. sunt haec: 14, 90 *Cato ideo propinquos feminis osculum dare* [scripsit], *ut scirent an temetum olerent. — Cn. Domitius iudex pronuntiauit mulierem uideri plus uini bibisse quam ualetudinis causa uiro insciente et dote multauit. diuque eius rei parsimonia fuit. L. Papirius imperator aduersus Samnites dimicaturus uotum fecit, si uicisset, Ioui pocillum uini. denique inter dona sextarios datos lactis inuenimus, nusquam uini* (Incert. Iord. p. 86 fr. 14). alterum continuo sequitur (91): *Idem Cato cum in Hispaniam nauigasset, unde cum triumpho rediit: non aliud uinum, inquit, bibi quam remiges.* ex his uero prius ex Catonis de dote oratione esse Mercklin (*Citiermethode d. Gell.* p. 662 sq.) comparato Gellio 10, 23 scite elicuit, quae coniectura eo firmatur, quod Plinius 34, 31 etiam sua aetate 'exstare Catonis in censura uociferationes' commemorat, de dote autem Catonem in censura locutum esse ueri simile est (Meyer orat. fr. p. 76).[3]) alterum propter uerba quae adiecit Plinius *cum in Hispaniam nauigasset* ex oratione *cum in Hispaniam proficisceretur* fluxit, ut coniecit Iordan p. 91.

Denique sine dubio multa Catonis fragmenta in naturali historia latent, ut in libro quarto, cuius index Catonis nomen exhibet, quod in libro ipso nusquam inuenitur. sed hic index nullum adminiculum praebet. in alio autem libro nobis contigit, ut indicis auxilio

1) Vid. Muenzer *Quellenkrit. des Plinius* p. 26 sqq.
2) Diligentissime ea indicata habes in indice Ianiano p. 4.
3) Itaque falso in originum fragmentis Roth (fr. 116) posuit.

Catonis uerba quaedam expiscaremur, tametsi leuis sunt momenti. in libri enim octaui indice post Mucianum et Procilium, qui principes sunt, hi auctores ponuntur: Verrius Flaccus, L. Piso, Cornelius Valerianus, Cato Censorius, Fenestella, Trogus. atqui ex his Verrius Flaccus et L. Piso paragr. 17 nominatim adferuntur, Fenestella p. 19: ergo p. 18 nos Cornelii Valeriani et Catonis[1]) uerba habere sequitur. fines autem facile terminantur. loquitur enim Plinius illo loco de elephantis, qui uictoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis capti sint. hos tradiderat Verrius, cum in circo pugnassent, interfectos esse, L. Piso 'inductos in circum atque, ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos.' deinde sic pergitur: *nec quid deinde iis factum sit auctores explicant qui non putant interfectos.* ⟨18.⟩ *Clara est unius e Romanis dimicatio aduersus elephantum, cum Hannibal captiuos nostros dimicare inter sese coegisset. namque unum qui supererat obiecit elephanto, et ille dimitti pactus, si interemisset, solus in harena congressus magno Poenorum dolore confecit. Hannibal cum famam eius dimicationis contemptum adlaturam beluis intellegeret, equites misit, qui abeuntem interficerent. proboscidem eorum facillime amputari Pyrri proeliorum experimentis patuit. Romae pugnasse Fenestella tradit* et q. s. ex uerbis uero hisce prima *nec quid deinde — interfectos* ipsius Plinii sunt neque pertinent ad quaestionem nostram; in ceteris aperte duae diuersae res exponuntur, quarum prior quin ad Cornelium Valerianum, a quo eaedem fere res esse tractatae uidentur (cf. 3, 108. 10, 5. 14, 11) atque a Plinio, referenda sit, altera *(proboscidem eorum — experimentis patuit)* ad Catonem, iam non erit dubium. cuius disputationis fructus etsi per se est exiguus, tamen inde apparet a Catone Pyrrhi aetatem non omnino esse praetermissam.

Num Plutarchus ipsas origines inspexerit, incertum est.[2]) quin etiam forsitan debuerit totam suam Catonis notitiam corpori cuidam dictorum Catonianorum, quod ex eius scriptis excerptum erat (uid. *Quellen d. Plut.* p. 90). neque enim, quamquam historias ab eo conditas esse refert (Cat. 25)[3]), citat origines, atque quae

---

1) Nam quod Cato iam p. 11 laudatus est, non turbat hoc rationem nostram, cum ut multi ita etiam hic locus post libri tenorem absolutum indicemque confectum adiectus sit. adsensus est Muenzer *Quellenkrit. d. Plinius* p. 375 sq.

2) Vid. H. Klapp *De uit. Plut. auct. Rom.* p. 11.

3) Caue ne propter uerbum *ἱστόρηκεν* haec ex Catonis historiis flu-

uerba Plutarchi cum originum fragmentis conspirare uideantur, partim certo demonstrari potest, non esse ea hausta ex ipso Catone (uid. Klapp l. s. et adnot. nostr. ad fr. 16. 18. 90). uerum tamen etiam ex originibus quaedam in collectionem illam recepta esse ueri simillimum est, quam ob rem res, quae secundum Catonem exponuntur, intuiti Iordanumque secuti unum locum propter argumenti fr. 111 similitudinem in originum fragmentis posuimus (fr. 112), ex ceteris electa quaedam (129. 130) in fragmentis incertae sedis.

Appianus et sententiam quandam orationis pro Rhodiensibus habitae adtulit (fr. 95[b]), et quae de rebus in Hispania gestis (Hiber. 39—41) memorauit, propter consensum cum Liuio animaduersum ad Catonis auctoritatem redire recte animaduertit Nissen (*Untersuch.* p. 156). alia tamen eius uestigia non inuenimus neque ipso uidetur usus esse. etiam incertior res est de Cassio Dione (adn. ad fr. 18).

At uero ad Vergilium explicandum multum esse origines adhibitas iam supra p. CLX commemorauimus. qua re factum est, ut plurima fragmenta Catonis ex antiquioribus commentariis in Seruianum et in scholia Veronensia (59. 71) transirent. illorum undeuiginti (adn. ad 1. 4. 5. 8. adn. ad 9. ad 10. 18. 31. 32. 38. 45. 46. 54. 55. 76. 78 cum adn. 122. 123) ex diserto Seruii testimonio ad origines relata sunt, alia (adn. ad 4. 9 c. adn. 10. 11. 13. 14. 48. 51. 60. 62. 70. 80. 85. 89. 115. 119) de coniectura ex argumentis petita. neque temere in hac re actum est. nam quamquam nouit Seruius etiam alios Catonis libros *(de re rustica, de re militari, ad filium, orationes de Achaeis, in Furium, de consulatu, in legem Voconiam)*, tamen hos singulis binisue tantum locis, unum tribus laudauit. quam ob rem, quoniam multo frequentius origines in usum uocatae sunt, quae Catoniana inserta sunt incertae sedis, ea ueri similius est ex originibus sumpta esse, praesertim cum pleraque argumenti sint historici. in paucis coniectura confirmatur etiam aliis testimoniis. quae enim Seruius ad Aen. 4, 698 (adn. fr. 114) secundum Catonem de matronarum crinibus tradidit, Charisio teste (fr. 114), quae ad Aen. 1, 267; 570. 4, 427 (fr. 9 c. adn.) de Anchisae in Italiam aduentu et quae ad Aen. 4, 620 (fr. 10) de Aeneae Ascaniique proeliis, teste ipso Seruio (Aen. 3, 711 adn. 9 et

---

xisse opineris. apud Plutarchum enim etiam Πλάτων ἱστόρηκε (Alcib. 1 coll. Plat. Alcib. I p. 122 A), Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἐν τοῖς περὶ μαντικῆς ἱστόρηκεν (Aem. Paul. 10. cf. Cic. de diuin. 1, 46, 103), multi alii, qui non scripserunt annales, quos collectos habes a Franc. Leone *De Plut. quaest. Rom. auct.* p. 29), cf. Thiersch, *Münch. gel. Anz.* 1848 II p. 40.

9, 742 adn. 10) ex originibus ducta sunt. sed tamen ne nimis incaute egisse uideamur, frustula quaedam, quae argumenti essent dubii, ad fragmenta incertae sedis selecta relegauimus (fr. 137—140). praeterea uestigia quaedam notitiae Catonianae ex Seruio adnotata sunt ad fr. 11. 54. 69, plurima alia sine dubio delituerunt.[1])

Seruio adnecto Macrobium, qui tribus locis origines citauit (fr. 12. 86. 124), quartus (16) eis de coniectura antiquitus additur. hic unum locum (fr. 86) sumpsit ex Gellio, unde ceteros, cerni non potest.

Denique uno uerbo satis erit commemorasse etiam a Solino (fr. 56), Isidoro (adn. 18) singulis, ab Ioanne Lydo tribus (adn. 17. 19. 144) locis originum uerba prolata esse, quos non esse usos ipso Catone pro certo sponderi potest neque tamen definiri, per quosnam riuulos hortos suos irrigauerint.[2]) idem cadit in Iustinum (adn. 2) et Flauium Vopiscum (adn. fr. 83), qui sententias Catonis notissimas repetierunt, etiam Sulpicia (adn. 95[a]) num ipsum Catonem inspexerit, res dubia est. at uero hice scriptores cui notitiam Catonis debeant, etiam nunc manufesto cognosci potest: Valerius enim Maximus (adn. fr. 106), Quintilianus (adn. fr. 106), Seneca philosophus (adn. fr. 83) sumpserunt ex Cicerone, Columella (adn. 43) et Crescentius (adn. 52) ex Varrone, Syncellus et Eusebius (adn. 17) ex Dionysio, mythographi Vaticani Maii (adn. fr. 11. 59) ex Seruio, cuius uerba prior stultissime miscuit cum Catonianis.

Nunc uenimus ad eos scriptores, qui uerborum atque rerum quarundam singularium studio ducti in Catone lectitando et excerpendo uersati sunt et plerique uixerunt imperatoris Hadriani aetate, qua Catonis memoria resuscitata est. ipse enim imperator ut amauit genus uetustum dicendi, ita Ciceroni Catonem praetulit (Spart. Hadr. 16, 6) incenditque maximam scriptorum qui tum erant partem eodem studio. in primis Cornelius Fronto et praeco uirtutum Catonianarum et imitator (cf. Naber p. 221 adn. 4) exstitit, eumque secu-

1) Vt quae de Romulo et Remo et de Roma condita ad Aen. 1, 273 exponit, nihil obstat quominus ex originibus petiuerit. conspirant certe in uniuersum cum Fabio Pictore, quem Cato Dionysio teste (fr. 15) secutus erat. etiam meretrix Larentia illo loco dicitur (fr. 16).

2) Lydus duobus locis Catonem coniunctum citauit cum Varrone, uno (adn. 17) Catonis de urbis natali sententiam etiam confudit cum Varroniana. uidetur igitur per Varronem uel eius asseclas Catonis nomen in Lydi librum manasse; fr. 144 auctoritas dubia est (uid. adn.).

tus est discipulus, Marcus Antoninus, qui imitatus magistri exemplum non solum crebro eum lectitabat (ep. 2, 13 p. 36. 4 p. 29), sed etiam ei, quem patronum suum appellat, totum se dedicasse atque despondisse atque deligasse uerbaque quaedam se ex eo furatum esse gloriatur (ep. 2, 13 p. 36). uidetur tamen Fronto in orationibus potissimum tractandis uersatus esse, atque quod de historiarum genere scribendi iudicium tulit, minus apte tulisse, cum melius quadraret in orationes, id quod iam supra p. CXLVI iudicaui. unum tantum modo seruauit originum fragmentum (fr. 107) idque ex oratione quadam, quam Cato originibus inseruerat. Multo maiorem operam et diligentiam posuit in originibus A. Gellius, qui ex unoquoque libro singula saltem fragmenta eaque omnia ad uerbum seruauit (fr. 20. 26. 36. 73. 77. 79. 82. 83. 86. 87. 91. 93. 95. 96. 99. 100. 101. 105. 108. 109). sed Mercklin (*Citierm.* p. 660. 655. 648) de compluribus, num ex ipso Catone ea deprompserit, dubitauit, idque concedendum est de maxima orationis Rhodiensis parte, quam ex Tirone transtulit. sed de ceteris fragmentis, quamquam haec coniectura a Gellii more auctores citandi non abhorret, certa tamen argumenta desiderantur. quin etiam praeter Tironis excerpta totam orationem illam Gellius in manus se sumpsisse uideri uult (c. 3, 55), unumque locum, quoniam Tiro praetermisisset, a se additum esse ipse adfirmat (par. 50).[1])

Gellio quae de uento cercio secundum origines refert Apuleius (adn. 93) debere uidetur, Verrio Flacco unum Catonianum Donatus in commentario Terentiano (adn. 24), neque Charisius, qui multa exempla Catoniana paene omnia cum librorum numeris adtulit (fr. 27. 34. 35. 64. 74. 75. 114. 116. 120. 121), ipsum fontem adiit, quod de hoc quidem firmissime ostendetur. exempla enim ex orationibus petita, quas Cato de consulatu et in L. Furium de multa habuit[2]), in solo capite, quod (2, 13) de aduerbio ex Iulio Romano (Keil praef. p. XLV) transscripsit, inuenies, exempla ex originibus

1) Ceterum etiam quae praefatus est Gellius de Rhodiorum causa, priusquam orationis Catonianae fragmenta insereret, in uerbis Catonianis ponere non dubitaui. nimirum et, quoniam illam causam non potuit non enarrare Cato in originibus, etiam seu Tironem seu Gellium eius rei notitiam cum ipsa oratione eidem debuisse ueri simile est, et illa *cumque partim senatorum — quererentur* originem Catonianam significare uidentur (cf. fr. 95[b] *an partim eorum fuerint*).

2) Vnum huius orationis fr. in libri primi caput XVII, quod item pendet ex Romano, delatum est (p. 126 K.).

in solis capitibus libri primi XV et XVII, quae sunt illud de extremitatibus nominum et diuersis quaestionibus, hoc de analogia secundum Iulium Romanum scriptum, denique singula quattuor aliarum orationum fragmenta per haec tria capita dispersa, nusquam alibi apud Charisium, si excipis unum locum quem habet ex Statilio Maximo. atqui horum capitum duo tota fere (1, 17. 2, 13) ex Iulio Romano pendere iam Keil animaduertit, ex tertio (1, 15) eas partes, in quibus praeter Vergilium ceterosque uulgares scriptores alii quoque commemorarentur, eiusdem Romani esse Schottmueller (*De Plin. libr. gram.* p. 20 sqq.) docuit: inde non Charisium haec Catonis scripta excerpsisse certo colligitur sed Iulium Romanum, qui fuit aut sub Hadriano aut paulo post eum (Keil praef. ad Char. p. XLVII sq. Christ Philol. XVIII p. 123). deinde alius grammaticus ab ipso Charisio ita cum Catonis fragmentis coniungitur, ut huic se ea debere fateatur, Statilius Maximus. is ut de singularibus apud Ciceronem scripsit, ita etiam singularia quaedam Catonis uerba peculiari libello explicauit[1]) et a Charisio, si unum locum libri secundi capitis XVI excipis (p. 240 K.), in solo capite, quod est de aduerbiis, quod iam supra diximus, commemoratur, ita ut *μονήρεις λέξεις* Catonis aut Ciceronis aut Sallustii breuiter explanans inducatur. Cato autem hisce omnibus fere locis (p. 202, 11. 215, 20. 217, 8; 14. 220, 16. 240, 1) simpliciter Cato senex appellatus neque liber, unde depromptum sit fragmentum, usquam additus est. quaecumque ergo in hoc caput, in quo solo apud Charisium *Cato senex* citatur, sub hoc nomine eius reliquiae incertae sedis receptae sunt (p. 206, 9. 219, 19. 221, 8), ad Statilii auctoritatem sine dubitatione referas. quae uero ratio intercedat inter hunc et Romanum, utrum Romanus Statilium excerpserit an Charisius, cum de aetatibus eorum nihil certi memoriae traditum sit, dignosci nequit. frustula tamen Catoniana, quae debemus Statilii diligentiae, pleraque sunt singulorum uerborum, cum quae in eodem capite ex libris de consulatu seruata sunt, plurium sint, neque illa certo alicui libro tribui potuerunt. unum, quod totam quandam sententiam continet, a nobis propter argumentum in incertae sedis fragmentis selectis collocatum est (fr. 136). ita uero seiuncto Catone Statiliano tria supersunt frag-

1) Suringar *Hist. crit. schol.* I p. 63 sqq. commentario perpetuo Catonis origines a Statilio inlustratas esse perhibuerat omnesque Catonis reliquias, quas ex illo inseruerat Charisius, in originibus posuerat, sed haec opinio omni fundamento caret. cf. Bergk *Opusc. philol.* I p. 597 sq. Linker *De prooem. Sall. hist.* p. 25.

menta quae libri inscriptione omissa a Charisio seruata sint. ex eis unum propter argumentum a Iordano inter orationum fragmenta receptum est (p. 43 fr. 5), quae coniectura ea re comprobatur, quod illud in eo capite exstat, quod solis orationum fragmentis refertum est; reliqua duo cum in eis capitibus inuenirentur, in quibus originum fragmentorum numerus maior esset, in incertae sedis fragmentis selectis deesse noluimus (fr. 134. 135).

Nonius plura exempla Catoniana ex originibus protulit quam ex ceteris eius scriptis, ex quibus singula, summum tria apud eum inueniuntur. sed ne illas quidem unquam oculis eum uidisse satis nunc constat. tria ex Gellio sumpsit (79. 83. 84), unde cetera (28. 29. 33. 65. 97. 103. 110. 125), non liquet. quae tria incertae sedis fragmenta Catonis ab eo inserta sunt, ex eis duo ex libris de re rustica ducta sunt, unum ex oratione quadam, ut ex Gellio didicimus (Iord. p. 54, 5).

In Priscianum idem fere quod in Nonium cadit. nam et hic multa Catonis ex originibus (lib. I. II. IV. V) testimonia duobus exceptis omnia cum numeris libri attulit (fr. 7. 21. 25. 30. 53. 57. 58. 61. adn. ad 64. 66. 67. 81. 90. 94. 98. 104) et singula aut summum terna ex ceteris libris, nec eum ex ipso Catone hausisse admodum probabile est, quamquam non potest ostendi manufestis argumentis ut in Charisio. sed hic tria fragmenta incertae sedis, cum ea ex originibus quam ex aliis scriptis decerpta esse ueri similius esset, non spreuimus. habes in fr. inc. sed. sel. 141—143.

Denique originum prooemii fragmentum quoddam in solis seruatum est excerptis rhetoricis Parisiensibus (fr. 3), ipsum initium in Pompeii commento (fr. 1) et in Sergii explanatione in Donatum (adn. fr. 1), ex qua ille, cum commentarius uberior esset quam quem nunc habemus, forsitan sua transscripserit (Keil gr. lat. V p. 92). anonymus Hauptianus de gener. nom. cum p. 92 (p. 586 K.) Catonem et Varronem coniunctos laudauerit, etiam quod *cullea uini* (adn. fr. 43) ex Catone profert, Varroni, apud quem idem fr. auctius exstat, debere uidetur (uid. s. CLII). Prisciano fortasse usi sunt scriptor quidam thes. nou. Maii (adn. fr. 7) et Alcuinus (adn. 67), Charisio Beda (adn. 74. 75).

Itaque Hadriani aetate antiquitatis summo studio florente origines, quae prope iam in obliuionem uenerant, denuo protractae et crebro lectitatae multorum in manibus fuere. tum vero cum homines ad sanius iudicium redirent, etiam origines oblitteratae et legi desitae sunt, atque quae scriptores aetate inferiores ex eis attulerunt,

aut certis argumentis demonstrari potuit non esse hausta ex ipso Catone aut certe consentaneum est.[1])

Extremum hoc est, ut quo iure aliquot locos, qui antiquitus originum fragmenta habebantur, expulerim, disseram.[2])

Princeps est Liuii 34, 5, de quo alia opportunitate data iam supra egimus p. CXXVI sq., quem si accuratius examinaueris, L. Valerium, quod se aduersus Catonem origines eius reuoluere praedicat, nil aliud quam rhetorice dicere inuenies, se ex antiquitate, quam Cato bene nouerit, exempla prolaturum feminarum, quae in publicum procucurrerint. qua Bolhuisi interpretatione probata cadunt quae Merkel fast. p. LXXXII opinatus erat, ab Ouidio (fast. 3, 205—228), Plutarcho (Rom. c. 19), Seruio (ad Aen. 8, 635) Sabinarum raptum secundum Catonem enarratum esse.

Deinde quattuor loci, qui lacunis corrupti erant, dubiis aut falsis supplementis exornati ad Catonis origines relati sunt. in Muelleri enim Festi editione p. 153 (= Thewrek p. 142. Lindsay 138) s. u. matronis haec legis:

Matroni-[*s aurum redditum* ..... *Ca*-
to ait: quod [*uidetur hoc significare: matronis*
fuisse re-[*stitutum aurum, ex quo P. R. crateram fecerat*
et eam A-[*pollini Delphos miserat: ut est testi*-
monio in-[*dex tabella: quod quidem aurum dederant ma*-
tronae orna-[*tui demptum suo, ut uotum solueretur*
Apolloni. qui-[*dam dicunt de eo potius esse intelligendum*
quod contule-[*runt olim matronae ad Capitolium*
a Gallis Senoni-[*bus liberandum. id ẹis postea reddi*-
tum est a pop-[*ulo Romano.*

Quae Festi uerba quod in hoc compendium redegit Paulus: '*Matronis aurum redditum' cum legitur, hoc significare uidetur, quia matronae contulerunt ornatus sui aurum ad Capitolium a Gallis Senonibus liberandum, quibus postea est redditum a populo Romano*, apparet ex duplici fama, quam adscripserat Festus, priorem (apud Liuium 5, 50, 7. 6, 4, 3 sq.) eum omnino neglexisse; sed qualis fuerit, discimus ex Liuio 5, 27, 5, ex quo Vrsinus et Mueller supplementa sua petierunt', uera in uniuersum uidentes. fieri igitur potuit, ut

1) Magnam habet probabilitatis speciem Iordani (p. LVIII) coniectura, ut Sallustii historiarum ita etiam Catonis originum orationes excerptas et seorsum editas diutius mansisse.

2) Quae fragmenta Catoniana incertae sedis probabiliter ad origines poterant referri, infra corollarii loco (fr. 126—144) coniunximus.

talia in originibus exponeret Cato sumeretque ex eo Verrius, sed eodem iure quo Catoni haec frustula cum Vrsino Sinnio Capitoni uel Ateio Capitoni, auctoribus saepe numero a Festo citatis, uindicare possumus, quorum nomina etiam melius in lacunam quadrant.

Eadem inter eosdem controuersia est s. u. natio p. 166 (Thewrek p. 168. Lindsay 164), ubi in codice eaedem litterae *to* ex nomine auctoris seruatae sunt. hic Mueller secutus Vrsinum sic suppleuit:

Sinnius autem Capi]to, omnia fe-
re genera hominum per nationes diuidi ut Picent]es Sabinos
esse gente, natione Picentes . .].

sed potest etiam hic de Catone uel de Ateio Capitone cogitari (Hertz *Sinnius Capito* p. 25 n. 26).

Totum Catonis nomen remouit Wagener (p. 27) s. u. posimerium p. 249 (= Thewrek p. 326. Lindsay 294). de eo uocabulo haec dixit Festus, si Muelleri supplementis fidem habes:

[*Posime-*
rium esse ait Antistius [*in commentario iuris pontif-*
icalis pomerium id est l[*ocum pro muro, ut ait*
Cato. olim quidem omn[*em urbem conprehendebat* et q. s.

sed offendit post Antistium Catonis laudatio, quam ob rem Wagener scite coniecit: 'pomerium id est l[*ocum quem transit auspi*] cato.'

Apud Seruium Danielis ad Aen. 1, 273 Masuicius uerba lacera: . . . . . *dicit Latinum ex Vlixe et Circe editum de nomine sororis suae mortuae Romen ciuitatem appellasse* ita sanasse sibi uisus est, ut *Cato in originibus* anteponeret, plane inmemor ille, ex Catonis sententia inter Troiae excidium et Romam conditam interfuisse quadringentos triginta duos annos (Schwegler I p. 403 n. 28).

Praeter origines autem quidam a Catone etiam *Poenorum historiam* compositam esse somniauere, nisi loco quodam Festi mutilo s. u. meritauere p. 154 (Thewrek p. 144. Lindsay 142).

'*Meritauer*]e, saepe merue
enorum IIII suf-
fetes euocauerunt statim om]nis cohortes, omnis
etiam qui stipendia merit] auerunt.'

quo Catonis nomen lacuna intercidisse ex Pauli epitome discimus, sed de Poenorum historia nihil ille exhibet, neque quidquam ualet ad opinionem illam firmandam, quod Seruius quaedam lecta esse scribit (ad Aen. 1, 343) 'in historia Poenorum et in Liuio', quaedam testari praeter Liuium 'Punicam historiam' (ad Aen. 1, 738), quippe qui de scriptore nihil addiderit. ne illud quidem, haec fundamenta

tamquam in aqua posita intuens, probabis, quod Krause (p. 97. 113) et Roth (p. 280) quartum originum librum peculiari Poenorum historiae inscriptione insignitum esse censuerunt.[1]) itaque recte Iordan haec somnia disiecit. minus tamen, cum numerum transposuerit, mihi placet quod ipse coniecit: '*Cato originum*] IIII: [*Po*]enorum suffetes' (p. 88, 3), nec Gutschmidium locum sanasse puto, qui (V p. 523 '*Po*]enorum illi suf[*fetes*]' scripsit, eo libro (quarto originum) Poenorum origines expositas esse arbitratus. hic locus Oedipum suum adhuc exspectat.

Claudant hoc agmen uerba quaedam schol. Venet. Iliad. 9, 383: *ὡς δὲ Κάτων ἱστορεῖ, ἡ Διόσπολις ἡ μεγάλη πρὸ τοῦ ὑπὸ Περσῶν ἀφανισθῆναι κώμας μὲν εἶχε τρισμυρίας* [*μυρίας* Meineke] *͵γλ', ἀρούρας δὲ ͵γψ'. ἀνθρώπων δὲ μυριάδας ψ', ρ' δὲ πυλαῖς διεκοσμεῖτο*, quae item sub Catonis auctoritate habes apud Stephanum Byzantium s. u. *Διόσπολις* p. 234 Mein. sed Catonis nomen ferri non posse omnes consentiunt, dissentiunt in emendatione. atque Iacobus quidem Bernays (ap. Wagener. p. 45) Manethonis nomen substituit; sed etiam propius ad librorum scripturam accedit quod Ebert *diss. Sic.* p. 94 coniecit *Βάτων*, apud quem scriptorem *τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικὰ* (Strab. 12, 3, 11 p. 546) illa de urbe a Persis euersa facillime exstare potuerunt.

1) Quae Krause praeter fragmenta a nobis recepta hic posuit, ex oratione de bello Carthaginiensi sumpta sunt (Iord. p. 56, 1, 2), id quod uno loco diserte adiectum est, altero significatum.

L. CASSIVS HEMINA[1])

Qua aetate L. Cassius Hemina fuerit, ex loco quodam Censorini (fr. 39) cognitum habemus, qui, cum Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus i. e. a. 146. 608 quarti ludi saeculares fierent, tum eum uixisse addidit. proximus igitur accedit aetate ad M. Catonem, qui tribus annis ante in originibus conficiendis occupatus mortuus erat, neque est cur illud testimonium auctoritate carere dicamus; nam etiam Plinius, qui neminem alium historicum Romanum, hunc duobus locis uetustissimum auctorem appellauit (fr. 26. 37); quid? quod Niebuhr (Praelect. hist. Rom. I 27, consentientibus Schweglero I p. 87 n. 4 et Schmittero p. 8) ex annalis quarti inscriptione, quae fuit *bellum Punicum posterior* (fr. 31)[2]), ante tertii belli initium (ante a. 149. 605) quartum librum editum esse recte conclusit. Catoni autem laudem patris historiae Romanae cessit; nam prior pars originum iam uiginti annis ante esse edita uidetur illumque hic imitatus in originibus urbium et aliis rebus praeter res gestas tractandis (fr. 2. 3. 18. 20). casu illud factum est, ut aliquot annis post opus suum continuaret et ultra Catonis finem descenderet. neque enim aliter illud Censorini testimonium (fr. 39) explicari potest.

---

1) I. E. Schmitter *Cassii Heminae annalium fragmenta emendata disposita illustrata,* dissert. phil. Monast. 1861, magis diligentiae quam acuminis documentum. Cichorius *R. E.* III c. 1723—1725. — Lucii praenomen in Cassia gente usitatum nititur Prisciano fr. 25 et schol. Veronensibus fr. 5. iniuria de eo dubitauit Weichert *De Vario et Cassio* p. 180. gens Cassia tum fuit plebeia (Tacit. ann. 6, 15), neque tamen Heminam humili loco natum esse ex Suetonii testimonio (de gramm. 27) constat. Qui autem uulgo dicitur Hemina (cognomine inusitato), idem a Prisciano in plerisque codicibus et aliquot locis a Nonio scribitur Emina, eodem iure quo in hemina (= ἡμῖνα dimidia pars sextarii Paul. p. 100 M.) saepe omittitur aspiratio (ut Pers. 1, 130. gromat. p. 375 Lachm.). Hertz ad Prisc. 1 p. 294.

2) Hoc more separatim quosdam libros inscribendi usus est etiam Ennius (Vahlen in Ennii rel.[2] p. 73), tum Liuius (cf. Weissenborn praef. ed. Teubner. p. xviii).

De uita eius nihil accepimus, neque ullus titulus lapidi aeriue incisus aut scriptor praeter locos infra a nobis indicatos Cassii Heminae meminit. Inscriptio libri uarie tradita est et annalium et historiarum, quarum illam ea de causa praefero, quod nititur Plinii (37), Gellii (8), Seruii (22), Prisciani (25. 29. 30. 31. 32) testimoniis, cum historias uno loco citet Diomedes (fr. 11); Nonius quinquies (9. 10. 16. 34. 35) historias, sexies (17. 21. 24. 28. 33. 36) annales laudauit.

Latine eum res sui populi enarrasse ex eis quae a grammaticis ad uerbum relata sunt, satis apparet, sed quo dicendi genere usus sit, propter horum fragmentorum exiguitatem et exilitatem definiri nequit, cetera autem pleraque ita mutata ad nos peruenerunt, ut perpauca antiquitatis uestigia agnosci possint.

Libri quattuor afferuntur, quorum et quartum separatim inscriptum fuisse *bellum Punicum posterior* commemorauimus et Cassium ultra id bellum aetate prouectum uel uno libro uel pluribus etiam eas res, quae post bellum Punicum alterum annis quinquaginta gestae sunt, complexum esse. nam illud haud raro factum est, ut pauci quidam libri a grammaticis excerperentur, ceteri neglegerentur (ut Charisius Sisennae Milesiarum solum tertium decimum librum laudauit), neque persuadere mihi possum quinquaginta minimum annorum res a Cassio ita coartatas esse, ut quasi appendix sub belli Punici posterioris inscriptione laterent, praesertim cum per annos singulos amplior ei succresceret materia. quibus de causis fr. 37. 38. 39 non ex quarto sed ex libris, qui post quartum erant, sumpta esse censeo.

Deduxit autem Cassius res a generis Italici principe, Saturno (fr. 1), Euemeri doctrinam amplexus, quam paulo ante Ennius Romae publicauerat[1]), eisque, quae ante Romam conditam gestae sunt, totum librum primum compleuit, id quod fieri non potuit nisi magna ficticiarum fabularum copia Graeca conquisita. itaque multa de Aeneae fuga et pietate enarrauit (fr. 5) primusque Siculos, quod sciamus, ueteres Latii incolas (fr. 2. 3) nominauit, Antiochum Syracusanum, ex quo multa de Siculis Dionysius Halicarnasensis memoriae prodidit, uel Timaeum, cuius uestigia quaedam in fr. 5 supersunt, secutus. hinc Varro sententiam suam de ea gente (de l. l. 6, 101: *a Roma quod orti Siculi, ut annales ueteres nostri dicunt*) ut multa

1) Vid. Ennii Euhem. fr. p. 223 sqq. Vahl². post Cassium eadem de Saturno docuit Varro et aliquot saeculis post Origo gentis Romanae. cf. Lactant. inst. 1, 13. 14, 10. Macrob. sat. 1, 7, 21. Ouid. fast. 1, 233.

alia ex Cassio uidetur mutuatus esse (uid. infra p. CLXXII sq.). sed etiam alio fr. (8) ad Graecam auctoritatem ducimur. ibi enim Gellius centenorum sexagenorum annorum spatio Homeri Hesiodique aetatem a bello Troiano et a condita Roma distare illamque rationem fuisse Cassii, hanc Cornelii Nepotis docet[1]). plus centum igitur annis ante Catonem urbem conditam esse ille computauerat, neque hoc mirabimur Graecorum de ea re opiniones quasdam etiam ultra bellum Troianum ascendisse considerantes, multas usque ad nepotem Aeneae (Schwegler I 400 sqq.), atque etiam Sallustium (Catil. 6, 1) eius originem ab Aenea repetisse (eum solum de Romanis). etiam Naeuius et Ennius urbem a nepote Aeneae conditam esse scripserant (Seru. ad Aen. 1, 273. 6, 777). tantum tunc eae rationes fluctuauerunt.

Altero libro nunc Catonis, ut uidetur (fr. 20), temporum rationem secutus Romuli Remique res pertexuit (fr. 11) et minimum usque ad urbem a Gallis recuperatam aut, si recte de fr. 21 iudicatum est, usque ad a. 280. 474 peruenit. magnum igitur annorum spatium, quod Liuius uix decem, Cassius hoc uno libro est complexus, ut, si quidem cetera non minus accurate perscripsit quam Numae instituta (fr. 12. 13) aut Dorsonis factum (fr. 19), latissimus ambitus eius libri fuerit.

Quae ex tertio libro seruata sunt, non possunt referri ad certam aliquam rem, sed tamen peruenisse eum usque ad initium alterius belli Punici ex inscriptione quarti libri discimus, qui huic bello attributus erat. reliquis libris (quot libris incertum) ex more historicorum illorum res usque ad suam aetatem, minimum usque ad a. 146. 608 persecutus est.

Neque tamen Cassius solas res gestas memoriae mandasse contentus fuit, sed etiam magna cum curiositate rerum diuinarum praecipuam rationem habuit in deorum Romanorum origines inquirens (fr. 4. 6. 7. 20), idemque de aliis populi Romani institutis ut de nundinis (14) et de intercalatione (18) egit atque etiam Homeri Hesiodique mentionem rebus Romanis inspersit (8). nec nomina deriuandi studio abstinuit, quamquam quod Ariciam ab Archilocho uel Archia (fr. 2, Crustumerium a Clytemestra (3), fana a Fauno (4) deduxit, satis infeliciter ingenio suo indulsit, Catonis uestigia, ut

---

1) Sola enim uerba *annis plus centum atque sexaginta post bellum Troianum* Homerum et Hesiodum uixisse Cassii esse uidentur. ante Romam conditam Siluiis regnantibus eos uixisse Gellius de suo addidit, neque erit necesse propter Siluios cum Mommseno chronol. p. 156 n. 295 de alio Cassio cogitare.

uidetur, secutus, quem etiam in uerbis quibusdam imitatus est (cf. fr. 29 et Caton. fr. 57[1]), fr. 17 et Cat. or. in Veturium 10 p. 49 Iord.). utrum etiam in aliis rebus ducem eum elegerit an ad fontes primarios redierit, non discernimus. utique aliud atque Cato in scribendo consilium habuit.

Antequam uero qui scriptores hoc auctore usi sint, disputemus, ut omnem de fragmentis a nobis receptis dubitationem remoueamus, paucis alios Cassios qui in historia scribenda uersati sunt, recensere placet, quos, cum quam plurimis praeclaris scriptoribus patriam floruisse uellet, miscuit et perturbauit maxime Maffei Veronensis (*Verona illustr.* II p. 25 sqq.). ex hac tamen Cassiorum multitudine multos suo loco iam reposuit Weichert l. s. s. p. 180 sqq., unum, quem Maffei effinxerat, suo iure omnino sustulit. erat is T. Cassius Seuerus Veronensis, quem historias scripsisse Maffei affirmauerat. continetur enim quattuor locis, quos falso allatos esse facile euincetur. primus est Plinii epist. 4, 28, 1, quo ex optimi libri auctoritate nunc *Titi Cati* nomen ab Henrico Keilio est restitutum, alter et tertius sunt Tertulliani (fr. 1 cum adn.), qui inter alios historicos etiam Cassii Seueri mentionem fecit. sed iam Vossius Hist. Lat. lib. I c. 21, Weichert l. s. p. 183, Schmitter p. 15 sqq. hoc uiderunt, a Cassii Seueri oratoris illius acerbissimi indole historiam uel antiquitatis commentationem longe abhorrere; nam eorum qui huius studiosi fuerunt auctoritate utroque loco Tertullianus utitur. atqui Lactantius, qui eadem nomina adfert, ultimo loco addit Varronem, neque Tertullianum ipsum illos auctores collegisse ueri simile est; itaque originem eius indicis scriptorum Latinorum ex Varrone repetemus, qui Cassii memoriam paene oblitteratam restituit (uid. infra p. CLXXII sq.), Seuerique ut notioris mentionem interpolationi librarii alicuius tribuemus.[2]) neque enim Tertullianum eius erroris insimulabimus, quoniam et apud Minucium (quem a Tertulliano pendere nunc argumentis certis R. Heinze *Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss.* LXII p. 289 sqq. probauit) et apud Lactantium Seueri cognomen deest. sed pro Seuero testis excitatus est Suetonius, qui in uita Caligulae c. 16 hunc imperatorem permisisse scribit 'Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassi Seueri scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique, quando maxime sua interesset ut facta quaeque posteris

1) nisi parum diligenter Priscianus auctorem suum exscripsit, uid. s. p. LXIV sq.

2) Ad coniecturam G. Wolffius (Philol. XVI p. 529) refugit, qui pro *Seuerus* proposuit *seu Varro*.

tradantur', idemque in uita Vitellii c. 2, cum Q. Elogius Vitelliae stirpis originem ad deos rettulisset, a Cassio Seuero auctorem generis Vitellium libertinum sutorem ueteramentarium proditum esse commemorat, 'cuius filius sectionibus et cognituris uberius compendium nanctus ex muliere uulgari, Antiochi cuiusdam furnariam exercentis filia, equitem Romanum genuisset'. haec tamen ita sapiunt Cassii Seueri oratoris lubidinem, 'qua uiros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamauerat' (Tac. ann. 1, 72 cf. 4, 21), ut hunc a Suetonio dictum esse communis opinio sit. hic autem solus de Cassia gente Seueri cognomine insignis est. Etiam minus C. Cassium Parmensem, qui fuit in Caesaris percussoribus et a Cassio Etrusco (Horat. sat. 1, 10, 62) diuersus fuit, praeter carmina etiam historias condidisse probabile est. qui enim illud opinatus erat, Vossius (in append. ad libr. III de hist. Lat.) uno loco Plinii naturalis historiae (31, 11) sententiam suam firmauit: *Cydnus Ciliciae amnis podagricis medetur, sicut apparet epistula Cassi Parmensis ad M. Antonium.* at uix cogitari potest, qua occasione hanc epistulam, qua talia continebantur, annalibus inseruerit Cassius, nedum ex hoc loco aut ex alia epistula, qua Augusto generis ignobilitatem exprobrauit, annales ab eo conscriptos esse colligamus (cf. Weichert l. s. p. 283). Deinde ex numero historicorum eiciendus est Longinus quidam, qui complures uiros doctos uexauit. haec enim Cicero de orat. 1, 60, 256 (a. 91. 663) Antonium loquentem facit: *Reliqua uero etiamsi adiuuant, historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis † iter*[1]) *et exemplorum copiam, si quando opus erit, a uiro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo Longino mutuabor,* eundemque sine dubio in animo habet Cicero in oratione pro Plancio habita (24, 58): *In quo, Cassi, si tibi ita respondeam, nescisse id populum Romanum neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino, non, ut opinor, admirere, cum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis me hic id ex te primum audisse confitear,* ex quibus uerbis intellegimus hunc Longinum ante a. 54. 700, quo anno Cicero Plancium defendit, diem supremum obiisse, postquam Antonio familiari iam anno 87. 667 a Cinna orbatus est. sed neutro loco Longini nomen in libris manu scriptis exstat, nam in Planciana exhibent aut *Conco* aut *long.* aut *longe,* in libro de orat. *longo* plerique, duo *Conge,* ex quibus scripturis

1) *notitiam* Ellendt *memoriam* Koch *litteras* Marx, *iter et* uncis inclusit G. Friedrich coll. 1, 5, 18; 46, 201. Brut. 59, 214. orat. 34, 120. 50, 169 aliisque Ciceronis locis, *et 'antiquitatis iter'* Stangl.

ueram eruit Roth (in mus. Rhen. n. VIII p. 615), cum scriberet *Congus,* quae emendatio confirmatur scholiis Bobiensibus, in quibus hisce uerbis locus ille Plancianae explicatur: ..... *igitur in Cassium facta M. Tullius negat, populum, id est uulgus imperitorum, iudicare paenitus de familiae clarioris nobilitate potuisse, ut nonnisi peritiores uetustatis et qui antiquitatem per historias legerint, haec scire facillime possint. atque ideo mentionem Conci uidetur interposuisse, qui per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae uetustatis. nam historicus* ..... (reliqua interciderunt). denique eum ex Iuniorum familia originem duxisse et fuisse Lucilii aetate discimus ex uersu quodam illius poetae a Cicerone citato, tum a Plinio (nat. hist. praef. 7) seruato, quo Iunium Congum potissimum ut uersus suos legat, expetit (cf. Roth l. s. s. p. 613 sq. Fr. Marx *Lucil.* I p. 41. II p. 220 sqq.). nancti igitur sumus nouum et antiquarium et historicum Iunium Congum, Cassium Longinum, Ciceronis aequalem, amisimus.

Denique L. Cassius Censorius quidam citatus est in scholiis Veronensibus (fr. 5), qui locus ex docta aliqua disputatione excerptus est, sed parum diligenter. nam et pro *humanarum* libro substituit *historias* et C. Cassium *Censorium* appellauit et ex quo auctore quartam partem sumpsisset, tacuit. illum autem titulum corrigendum esse ex Seruio aucto (ad Aen. 2, 636) apparet, ubi eiusdem rei testis idem '*Varro rerum humanarum*' laudatur (uid. de hac re etiam Diodorum VII fr. 41), altero loco, quo non pietate Aeneae sed miraculo eius incolumitas explicatur, Fr. Ritschl (Opusc. III p. 448 sq.) ante *Censorio* Pisonem intercidisse opinatus est, cuius in scholiis Vergilianis bis mentio fit idque sine cognomine, ultimo hoc unum constat Cassium, qui proximus ante nominatus erat, dici non potuisse, quoniam eius narrationi nihil nisi quaedam addidit, duos filios Aeneae bracchio innixos ante ora hostium praetergressos esse atque etiam naues ab Achiuis ei concessas, cetera iterat. hic 'idem' tamen continuat et supplet ea, quae scholiasta ex Varrone primo loco excerpsit, ut, etsi Wissowa (*Abhandl.* p. 106 sq.) aduersatur, super Cassium et Atticum *historiarum librum II* (sic enim scribendum est) citans ad Varronis historiarum uel humanarum librum secundum redisse uideatur.[1])

Restant ex Cassiis historicis duo, Cassius Dio, cuius libri magnam partem ad nos peruenerunt, et Cassius Longinus quidam, cuius

---

1) Parum probabiliter Schmitter p. 20 Tuberonis nomen interposuit.

notitiam Eusebio (p. 263 Sch. 125 K.) debemus. hic enim quo loco fontes indicat quibus usus res Romanas a Romulo usque ad suam aetatem exposuerit, cum alios enumerat tum Cassii Longini octodecim libros, 'quibus olympiades CCXXVIII in compendium redegit'. atque Niebuhr quidem (*Kleine Schriften* I p. 185) de philosopho illo cogitauit, qui quod auctor fuerat Zenobiae belli contra Romanos suscipiendi, ab Aureliano (a. 273. 1026) est occisus. sed quaeritur, cur olympiade CCXXVIII substiterit Longinus, non perduxerit res usque ad suam aetatem. est igitur probabilius Cassium illum Longinum fuisse sub illam olympiadem, id est Hadriani aetate, eiusdemque aetatis cum Phlegonte, quem post Cassium sic commemorat Eusebius: *E quatuordecim libris Phlegontis libertini Caesaris, quibus in compendium reduxit olympiades CCXXVIIII.* quibus uerbis similibus si similia significare uoluit Eusebius, etiam Cassius Longinus per olympiades breuiter res a prima olympiade usque ad suam aetatem deduxisse existimandus est praecipua olympiadum ratione habita, atque forsitan etiam de Cassii Longini libro dici possint quae de Phlegontis *Ὀλυμπιονικῶν καὶ Χρονικῶν συναγωγῇ* uel *Ὀλυμπιάσι* uel *Χρονικοῖς* (F. H. G. III p. 602) Photius iudicauit cod. 97 p. 84 Bk.: *Ἄλλως τε δὲ καὶ ἡ περὶ τὰς ὀλυμπιάδας καὶ τὰ ἐν αὐταῖς τῶν ἀγωνισμάτων ὀνόματα καὶ πράξεις καὶ ἡ περὶ τοὺς χρησμοὺς ἄκαιρος φιλοπονία τε καὶ φιλοτιμία, εἰς κόρον ἀπάγουσα τὸν ἀκροατήν* (quod iudicium satis confirmatur Phlegontis reliquiis, cf. in primis fr. 12 Muell.). denique sermone Graeco eum usum esse inde apparet, quod ceteri scriptores quos nominauit Eusebius, omnes Graece scripserunt neque quemquam Latinum uidetur adhibuisse. atque haec causa est, cur contra Muellerum (III p. 688) fr. 1 Longini esse negemus. diserte enim hic Cassius et a Tertulliano et a Lactantio in Latinorum scriptorum numero ponitur.[1]) De ceterorum fragmentorum solo fr. 8, quod seruauit Gellius, incertus haereo, utrum Longino an Heminae tribuam. nam cum Longinus paulo post annum 136. 889 scripserit, Gellius post mortuum Hadrianum, quem diuum dicit (3, 16. 12, 11. 15, 3), i. e. post annum 138. 891, tempus non obstat atque ipsa res ex Cassio inserta huic sententiae etiam fauet. contra cum annalium inscriptio Latinum scriptorem indicare uideretur (Schmitter p. 6), hanc suspicionem

1) Ed. Schwartz *R. E.* VI c. 1378 eum eundem esse censuit cum Cassio Minucii, hunc cum Longino. at hic ab Eusebio inter Graecos chronographos recensetur, ille et a Tertulliano et a Minucio Lactantioque inter Latinos scriptores; uid. adn. ad fr. 1.

mouisse satis habui et in Heminae reliquiis illa Gellii uerba locum suum retinere passus sum.

Denique quoniam inter Dionem et Heminam uix de ullo fragmento lis oriatur, iure nostro quae infra sequuntur fragmenta Cassio Heminae attribuisse nobis uidemur.

Ex eis uero scriptoribus, qui nomine Cassium citauerunt, antiquissimus est C. Plinius superior. ducentis igitur fere annis omnino uidetur latuisse. nam Dionysium Cassio usum esse recte Kiessling (*De Dion. font.* p. 18) negauit, neque Liuio eum in manibus fuisse demonstrari potest, quoniam, etsi in compluribus rebus (adn. ad fr. 16. 19. 20. 32. 38) concinunt, hi consensus non sunt ita comparati, ut necessario ex solo Cassio Liuium hausisse statuendum sit. sed Plinius in naturali historia quattuor locis (12. 13. 26. 37)[1] Cassium Heminam citauit, et quicunque fere post hunc ueterum historicorum fragmenta seruauerunt, eidem etiam Cassii meminerunt, plurimis locis Nonius (9. 10. 16. 17. 21. 23. 24. 27. 28. 33. 34. 35. 36), tum Priscianus (25. 29. 30. 31. 32. 40)[2], Seruius (3. 4. 6. 15. 22. 38), Macrobius (adn. 6. 14. 18. 20), Solinus (2. 7), denique singulis locis Appianus (19), Gellius (8), Tertullianus, Minucius Felix, Lactantius (1 c. adnot.), Diomedes (11), Censorinus (39), scholia Veronensia (5). ex his Diomedes, Nonius, Priscianus propter uerba quaedam prisca eum laudauerunt idque ita, ut omnibus paene locis numeros librorum adderent, unde lexico aliquo eos usos esse consequitur. ceteri autem scriptores, qui propter res ab eo relatas eum citauerunt libri numero nisi singulis locis omisso, sua Varroni debuerunt, Cassii resuscitatori, id quod posteaquam in editione priore posui, nunc certis argumentis alii demonstrauerunt — ne a Plinio quidem eum ipsum esse inspectum Muenzer (*Quellenkritik d. Plin.* p. 183—189) —,

---

1) Cum index librorum XII et XIII idem sit, in libro autem XIII Cassius citetur, uix uerba quaedam Cassii in lib. XII latere cum Rothio putabimus.

2) Quamquam Meyer hoc fragmentum p. 551 in Cassii Seueri reliquiis posuit, tamen Weicherto rectius id Heminae tribui concedit. contra Hertzio (ad Prisc. I p. 380) inde quod Hemina plerumque Cassius Hemina, uno loco Hemina a Prisciano citatur, Cassius Seuerus orator uidetur esse dictus, quem bis simpliciter sub Cassii nomine cum librorum inscriptione attulit (VII p. 333 H. VIII p. 489 H.). ego tamen propter formas *adulati* et *adhortati,* quibus passiue Cassius Seuerus uix est usus, rem non ita exploratam esse duxi, ut omnino eicienda sint haec uerba ex Heminae reliquiis.

de Gellio Vnger (mus. Rhen. XXXV p. 13), de Seruio Wissowa (*Abhandl.* p. 105 sqq.). ceteros autem thesauros Varronianos adiisse, Censorinum, Solinum, Seruium scholiastamque Vergilii Veronensem, Macrobium, Tertullianum, aliunde satis constat confirmaturque quibusdam locis auctoritatis Varronianae propinquitate (cf. fr. 1 c. adn. 5. 6).[1] De solo Appiano (19) iudicium cohibeo.

Sed restat ut expromamus, quid de Cassii libris minimum duobus de censoribus scriptis, quos laudare uidetur Nonius (fr. 23), sentiamus. talem librum eum conficere potuisse[2] propter antiquitatum studium etiam in annalibus conspicuum non est cur praefracte negemus. at et uerba ipsa talia sunt, ut potius ex narratione originem traxisse uideantur, et annales uel historias Cassii Nonius duodecim locis citauit, librum de censoribus nusquam. quam ob rem, cum *de censoribus* non libri Cassiani inscriptionem sed ipsius Nonii uerba esse existimarem[3], Krausio Rothioque adstipulatus ea in annalium fragmentis posui. neque enim mirum uideri poterit hoc loco omissum esse a Nonio annalium uel historiarum uocabulum collatis ex. gr. fr. 27. Coel. fr. 46. Sisenn. fr. 7. 114. 123. 130, mutatio autem litterarum fragmenti *(demoliuit* in *demoliunt)* paene nulla est.

1) Etiam is qui auctores originis gentis Romanae finxit, Cassii nomine usus est (6, 7). uid. Muenzer *Cacus* p. 107.

2) Haec est sententia cum multorum tum Weicherti p. 181 et Hertzii in Iahn. ann. 85 p. 47 n. 8 et in programmate de hist. Rom. reliq. p. 2 sq.

3) Cf. Macrob. 3, 20, 5 *Postumius Albinus annali primo de Bruto: Ea causa sese stultum brutumque faciebat,* et Prisc. fr. 32, qui similiter explicandi fragmenti causa addidit '*dicit enim de Vestalibus*'. ut Nonii fons, sic Gellius 17, 21, 3 (fr. 8) scripsit: *Vtrumque tamen ante Romam conditam uixisse Siluiis Albae regnantibus annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta.* quae uerba fac hominem Nonio stultitia similem festinanter annalium uel chronici inscriptione omissa contraxisse et Gellio nobis negato solum eius epitomatorem ad nos peruenisse, concedes facile fieri potuisse, ut *Cassii liber de Homero atque Hesiodo* uel *Nepotis liber de Homero* nunc homines litterarum studiosos uexaret.

FABIVS PICTOR

QVI LATINOS ANNALES CONDIDIT

Vnum aliquem Ser. Fabium Pictorem aequalem Seruii Fuluii (consulis 135. 619) non solum disertum sed etiam iuris et litterarum et antiquitatis bene peritum fuisse, alium autem eiusdem nominis et cognominis eadem fere aetate Latinos annales condidisse quoniam Cicero testatur (uid. supra p. LXXVIII sqq.), idem Fabius, id quod iam Nonius (p. 518, uid. infra p. CLXXV) statuit, et ut proaui laudem Catonis Latina historia obscuratam redintegraret, Latine annales et, ut adulescentium gentilium ad sacerdotia aspirantium doctrinae consuleret, de iure pontificio libros scripsisse uidetur, cuius quidem historiam inconditam fuisse quod Fronto (p. 114 N.) Latinos historicos recensens iudicauit, non mirabimur; nam ante Coelium Antipatrum gentili studio ductus ei operae se accinxerat.

Inscriptio, si Nonio (fr. 3) fidem habes, 'rerum gestarum libri' fuisse uidetur, si Gellio (fr. 6), 'annales'. Ex libris eius adfertur primus, quo initia urbis narrauerat, et quartus, quo usque ad a. 367. 387 progressus erat. Perexigua eius fragmenta praeter unum, quo duo Fabii a Cicerone coniunguntur (fr. 5 uid. p. LXXXVII), a scriptoribus, qui Quintiliano recentiores sunt, seruata sunt, singula ab ipso Quintiliano (2), a Gellio (6), a Nonio (3), duo a Seruio (1. 4). ex quibus quin huc pertineant fr. 2 et 3, dubitari non potest, cum ex Fabio Pictore ipsa Latina uerba adferantur, nec quin fr. 4 Seruius uel quicunque eius auctor fuit, ex Latinis Fabii annalibus sumpserit. quem cum altero loco, ubi Fabii mentionem fecit (fr. 1), eundem Fabium intellexisse ueri simile esset, hoc autem loco Fabium Pictorem (qua re de Fabio Seruiliano cogitare uetamur) appellaret, utrumque fr. ad hos Fabii Pictoris Latinos annales rettulimus.[1]) Gellii locum (fr. 6) Seruiliano uindicare studuit cum Krausio p. 48 Du Rieu p. 397, idque eam ob causam, quod Gellius ceteris locis,

1) Fatendum tamen est inde quod fr. 1 Fabii Pictoris auctoritatem coniunxit cum pontificalium librorum mentione, suspicionem nasci, ne etiam hoc ex Fabii Pictoris iuris pontificii libris manauerit.

ubi Fabium Pictorem exscripsit, utroque nomine eum laudasset, unde hic, ubi simplex nomen adscriptum esset, alium Fabium ab eo dictum esse appareret, denique quod ex Dionysio Seruilianum Latino usum esse sermone constaret. at ego ex ea ipsa re, quod simplex nomen Gellius posuit, concludo eundem Fabium hoc loco Gellium intellegi uelle quem ceteris, i. e. Fabium Pictorem. qui mos Gellio etiam alibi fuit, ut auctores, quos satis notos esse arbitraretur, uno nomine significasse satis esse duceret. Seruiliano autem hoc fr. tribuere omnino nulla res cogit.

Ex numero fragmentorum Krausii (p. 135) hoc, quod excerptum erat ex Gellio (5, 4, 5), eiecimus: *Hic* [Fabius] *ita scripsit: 'Mortuus est anno duo et uicesimo. rex fuit annos uiginti et unum.'* sunt enim uerba illa non Fabii, sed Varronis, ex cuius libro XVI rerum humanarum (p. 122 ap. Mirsch.) a Nonio s. u. duodeuicesimo p. 100 citantur, cuius nomen lacuna, quae est ante *hic ita scripsit* statuenda, apud Gellium intercidit. quam ob rem recte post Hertzium Hosius hunc Gellii locum sic edidit: *Quid est duouicesimo?* [1] ⟨. . . *Varro humanarum rerum libro XVI;*⟩ *hic ita scripsit*: *'Mortuus est anno duouicesimo; rex fuit annos XXI . . .'*

De Fabii Pictoris iuris pontificii libris.[2]

Attribui huic Ser. Fabio Pictori etiam ea fragmenta, quae ex iuris pontificii libris, quos iam Varro (fr. 9) ueteres appellauit, a Fabio Pictore Latine conscriptis ad nos peruenerunt, quamquam haud ita stabili fundamento hanc sententiam niti non ignoro. Nonius enim s. u. picumnus p. 518 haec exhibet: *Fabius Pictor rerum gestarum lib. I: 'Et simul uidebant picum Martium'* (fr. 3). *Idem lib. iuris pontificii III: 'Pilumno et Picumno.'* uides igitur illum ab eodem Fabio Pictore, a quo annales, etiam iuris pontificii libros compositos esse existimasse. cuius opinionis auctoritas quamuis propter Nonii stuporem et leuitatem parua sit, tamen nihil est, cur ab ea recedamus, praesertim cum inde a capite VII eum usum esse fontibus plane nouis diuersisque a prioribus L. Muellerus (II p. 171) monuerit; hic enim locus exstat in cap. XII. vid. supra p. LXIII.

---

1) *alio quoque libro* quod uulgo inseritur, nulla nititur codicum auctoritate.

2) Infra, ne quid deesset, apparatum criticum eis fragmentis subieci, quae ex coniectura his iuris pontificii libris adsignata sunt, cum aliis ex annalibus sumpta esse uideantur.

Superest ut paucis exponamus, quo iure singula fragmenta hic collocauerimus, ex quibus sunt quae a quibusdam ad annales tracta sint: fr. 5 a Macrobio, fr. 6 a Nonio ipsa inscriptio adiecta est. etiam altero loco (fr. 4) eosdem Fabii commentarios a Macrobio, quamuis aliis locis Fabii Pictoris mentionem non faciat, dictos esse et per se ueri simile est et ex imperatiui modo, quem in eo fragmento habemus (cf. fr. 2), apparet et inde quod Macrobius haec ex scriptis eiusdem argumenti, ex Veranii quaestionibus pontificalibus (saturn. 3, 5, 6; 6, 14; 20, 2), excerpsit. idem coniecimus de fr. 7 (quo praecepta sacerdotalia exponuntur) et 9, quae seruauit Nonius ita ut in hoc diserte ad Varronis auctoritatem relegaret. tum Gellius ipsam inscriptionem nusquam addidit, uno tamen loco (fr. 2) significauit, cum diceret *quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus.*[1]) etiam altero loco (fr. 1) quiuis propter uerba, quibus introducit Fabium: *In libro primo Fabii Pictoris, quae uerba pontificem maximum dicere oporteat, cum uirginem capiat, scriptum est,* de iure pontificio potius quam de annalibus, quos semel Gellius (fr. 6) citauit, cogitabit. denique Seruium (fr. 3) sua hausisse ex hisce commentariis ex eis quae prodidit est ueri simile. fr. 8, quod debemus Festo, uicinitate Antistii Labeonis, cuius libri de iure pontificio uel pontificali et antea (p. 249) et postea (p. 253) laudati sunt, ad libros Fabii de iure pontificio ducimur, quae suspicio inde confirmatur, quod eandem rem quam Nonius fr. 9 eisdemque paene uerbis ex Veranio, qui Fabium etiam aliis locis uidetur in usum uocasse, rettulit Festus p. 158.

1) Gellius haec aut Masurio debere uidetur aut Varroni.

Q. FABIVS MAXIMVS SERVILIANVS[1]

Q. Fabius Q. f. Q. n. Max. Seruilianus consul fuit cum L. Caecilio Metello Caluo anno 142. 612. is ex familia Seruilia, in qua natus erat (fortasse Cn. Seruilio Caepione consule a. 169. 585 patre), a Q. Maximo praetore a. 181. 573 receptus in Fabiam peruenerat et cum in bello Viriati gerendo consul et proconsul satis feliciter pugnasset magnamque partem Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepisset, postremo in angustias cum exercitu compulsus minus feliciter quam Q. Fabius Maximus Aemilianus 'rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit pace cum Viriato aequis condicionibus facta' (Liu. perioch. 54).[2])

Atque hae quidem res ex memoria eius turbata et lacunosa certae sunt; omitto alias, quae ad eius historiam nil pertinent neque dubitatione carent, ut censura quae a Valerio Maximo (6, 1, 5) perperam ad eius filium translata est.[3]) immo post illam labem ex uita publica in priuatam se recepit et pontificem se cooptari maluit, quo sacerdotio tum Fabia gens potita est. idem tamen ut alii eiusdem nominis etiam litterarum ei generi uacauit. nam Macrobius (fr. 4) quaedam ex libro XII Fabii Maximi Seruiliani decerpta exhibet, quae ex libris pontificiis esse et ex eis ipsis quae adferuntur et ex uoce pontificis addita apparet, nisi forte confusus est ab illo Fabius Maximus Seruilianus cum Fabio Pictore, ex cuius primo libro iuris pontificii duo fragmenta (4. 5) idem seruauit. cui suspicioni quamquam ita indulsit Du Rieu, ut hunc locum in Fabii Pictoris fragmentis poneret (p. 208), tamen cum certa causa, cur haec uerba Seruiliano abiudicaremus, non esset, cautius ex diserto testimonio Macrobii, qui aliis locis uno Pictoris nomine utitur, ipse Seruiliano cum Krausio (p. 171) reliqui.[4])

1) Vid. de eo Du Rieu *De gente Fab.* p. 390 sqq. Harless *De Fab. et Aufid.* p. 26—44. Muenzer *R. E.* VI c. 1811—1814.

2) Vid. plura de hac expeditione ap. Appian. Hispan. 67—69. Liu. perioch. 53. 54. Oros. 5, 4, 12.

3) Primus dubitauit de Seruiliani censura Roth p. 309. deinde pluribus de hac re egerunt Harless p. 38 sqq. Du Rieu p. 393 sqq., qui p. 417 Valerii fidem tueri conatur, cum librariis culpam tribuat scribens pro *Seruilianus: Seruiliani f.*

4) Sic etiam Bremer *Iurispr. antehadr.* I p. 28.

Praeterea uero hic Fabius Latine etiam annales condidit. Dionysius enim ubi historicos Latinos enumerat (1, 7, 3), qui ab ipsis Romanis celebrentur et laudentur, etiam Fabium Maximum adfert: *τὰ δ' ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων συνέγραψαν Πόρκιός τε Κάτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς καὶ Λικίννιος Μάκερ Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι καὶ Καλπούρνιοι καὶ ἕτεροι συχνοὶ πρὸς τούτοις ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς, — ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ.* atqui a scholiasta Vergilii Veronensi (fr. 2) Seruilianus quidam historiarum scriptor citatur. ergo quoniam unum Seruilianum nouimus, Fabii et Maximi nomina lacuna, quae est ante Seruilianum, intercidisse ueri est simillimum eiusdemque rerum scriptoris uerba esse a scholiasta seruata, quem commemorauit Dionysius. etiam locus, quo eum Dionysius post Catonem ante Valerium, Licinium, alios posuit, cum hac sententia facit, eumque hominem genere non ignobilem fuisse etiam ex illius uerbis s. l. satis elucet.

Habemus igitur Q. Fabium Maximum Seruilianum cons. a. 142. 612 historicum, quem Latine 'annales' scripsisse atque res ab aduentu Aeneae in Italiam deduxisse uerba quae ex eis deprompsit Seruius (fr. 1) testantur. praeterea nihil de eis addi potest, nisi illud quod ex loco Dionysiano elucet, eum in scribendo eandem fere uiam ingressum esse quam Catonem, Antiatem, Licinium atque ea re differre a Pictore, quod quae ille summatim perstrinxerat, hic prolixiore oratione persecutus est.

Quae ex libris eius supersunt, perexigua atque ea ex dimidia parte dubia sunt. de Macrobii loco iam supra disseruimus. uerba Prisciani (fr. 3) ad Cunctatoris laudationem funebrem Q. filii rettulit Meyer (Orat. Rom. p. 5. cf. Vollmer Laudat. fun. p. 481), ad Q. Fabii Maximi Allobrogici laudationem P. Scipionis Africani minoris Hertz (ad Prisc. l. s.). sub iudice lis manebit. porro uestigium eius Harless (uid. adn. ad fr. 1) apud Dionysium deprehendit, neque tamen id sufficit, ut multa ex eo hausta esse statuamus. num ab aliis scriptoribus in usum uocatus sit, dignosci nequit.[1]

1) Consilio hic neglexi mus Cic. de diu. 1, 26, 55, ubi ad *Fabios* prouocatum est. solum enim Q. Fabium Pictorem et Fabium Pictorem nouit Cicero. de alio fragmento Pictoris (lat. ann. fr. 6), quod falso huc Du Rieu p. 397 rettulit, uid. supra p. CLXXIV sq.

C. SEMPRONIVS GRACCHVS

C. Sempronium Gracchum[1]) in libello aliquo (*ἔν τινι βιβλίῳ*), qua causa adductus Tiberius frater inopiae plebis leuandae consilium cepisset, exposuisse auctor nobis est Plutarchus (fr. 2), eundemque de patris morte quaedam ad M. Pomponium scripsisse Cicero memoriae prodidit (fr. 1 c. adn.). quas res propter argumentorum similitudinem ex eodem libro sumptas esse uideri cum Nipperdey *Opusc.* p. 99 sq. animaduertisset, plerique ei adsensi sunt nisi pauci, qui a Cicerone epistulam[2]), orationem a Plutarcho dictam esse censerent. at Cicero scribens *ut C. Gracchus scriptum reliquit* nullo pacto epistulam in animo habere potuit, neque alio loco, quo Cicero eiusdem rei mentionem fecit, uerba *C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit* intellegi possunt nisi de *libro dedicato.* cf. Cicero Brut. 29, 112 (Scauri) *tres ad L. Fufidium libri scripti de uita ipsius.* Lael. 1, 5.[3]) Plutarchus autem, quamquam *βιβλίον* omne genus scriptorum significare potest, tamen, si orationem laudare uoluisset, aliud uocabulum praetulisset. contra illa Nipperdeyi sententia commendatur etiam ea re, quod quae Cicero ex Gracchi libro protulit, eadem etiam apud Plutarchum in uit. Tib. 1 exstant (adn. ad fr. 1). ne multa, quin et quae Plutarchus et quae Cicero secundum C. Gracchum narrauerint, ex eodem eius libro repetenda sint, uix poterit dubitari, neque nunc quisquam argumenti eum historici fuisse et Tiberii fratris res ita eo esse enarratas uideri, ut a fratre pientissimo omnibus criminibus liberatae celebrarentur, non concedet Mercklinio (*De Corn. Gracch. matris uita* etc. p. 36).

Pomponius uero, ad quem C. Gracchus hunc libellum, qui haud ita amplus uidetur fuisse, misit, erat eques ille Romanus (Vell. 2, 6, 6) amicusque spectatae et exploratae fidei, qui usque ad mortem Gaium artissima amplexus est amicitia. nam cum eum manus sibi adferentem ab hoc consilio reuocasset et, ut fuga salutem peteret, persuasisset, corpore suo fugam protegens et inruentem hostium

1) Natus est a. fere 154. 600. quaestor fuit in Sardinia 126. 628. trib. pl. 123. 631 et 122—632. occisus 121. 633.

2) Sic etiam Meyer *Orat. Rom.* p. 249.

3) Cf. *De Plut. font.* p. 95 sq.

manum arcens ad portam trigeminam occisus est.[1]) is tamen Pomponius Rufus, ex cuius collectorum libro Valerius Maximus (4, 4) narratiunculam illam lepidam inseruit, qua Cornelia matronae Campanae liberos ut sua ornamenta producit, inferiore aetate ad imitationem Phocionis uxoris illam finxisse litterisque mandauisse uidetur; haec uiginti mariti sui praeturis ut suo ornatu gloriata erat.[2])

Neque tamen iusto iure C. Gracchum locum suum inter hos historicos obtinere perseuerauerim. pietate enim incensus patris fratrisque memoriam apud aequales narrasse uidetur, quemadmodum Tacitus Agricolae, ut eorum uirtutes laudaret, suamque gloriam a pietate, non ab arte oratoria repetisse. sed idem hominum animos ipsius doloris robore tantum mouit, ut ultra aetatem eius ille libellus maneret, insigne documentum amoris fraterni per se admirandum.

Arripuit igitur Plutarchus eius mentionem, quamquam haec quaestio uix umquam ad liquidum perduci poterit, num etiam aliis locis eum inspexerit. mihi tamen esse probabilius uidetur ut Gai orationum sic etiam huius libri notitiam per Fannii annales in Plutarchi uitas transiisse, a quo scriptore, Gracchorum amico, eum non neglectum esse per se apparet.[3]) Ciceroni ipse notus esse potuit.

1) Haec enim recte Valer. Max. 4, 7, 2 et Aurel. Vict. de uir. ill. 65, 5 prodiderunt. Velleius 2, 6, 6 falso confudit Pomponii et Laetorii mortes, quorum uterque in simili conatu uitam amisit. apud Plutarchum aut ipsius aut librariorum errore (propter Liciniae, Gai uxoris, nomen saepe commemoratum, ut opinor) pro Laetorio Licinius substitutus est (Gai. Gracch. 16). tum minus accurate πρὸ τῆς γεφύρας utrumque pugnantem trucidatum esse scripsit (c. 17); portam enim trigeminam proxime pontem sublicium fuisse constat, in quo Laetorius Valerio Maximo et Aurelio Victore testibus periit.

2) Plut. Phoc. 19. Muenzer *R. E.* IV c. 1593.

3) Vid. infra *De u. et scr. Fann.*

L. CALPVRNIVS PISO CENSORIVS FRVGI[1])

Cicero in Bruto 27, 106 cum de C. Papirio Carbone ageret, haec de L. Pisone adnexuit: *L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit — ipse etiam Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam euanuerunt, et annales sane exiliter scriptos.* ex quo testimonio, quo quae de Pisone legis repetundarum latore memoriae prodita sunt ad annalium scriptorem referuntur, exorsi eius uitam adumbrabimus. quinque igitur eius fuerunt nomina Lucii Calpurnii Pisonis Censorii Frugi, quae etsi non uno loco, diuersis tamen omnia a Dionysio Halicarnasensi allata sunt, cum ceteri scriptores eum citantes aut uno Pisonis nomine (ut semper Liuius, Varro, Macrobius, Seruius, deinde Plutarchus, Tertullianus, Arnobius) aut tum uno tum duobus eum appellasse satis habeant (ut Priscianus et Censorinus) aut summum tria nouisse uideantur (ut Cicero, Plinius, Gellius). gens, unde ortus est, fuit plebeia sed ex qua iam complures ad summum honoris gradum enisi essent, quamquam non floruerunt insigni belli gloria. patre natus est Lucio[2]), qui quis fuerit, non licet definire. Iam de magistratibus, quos gesserit, nolumus recoquere quae Pighius excogitauit aliique post eum quasi pro certo adfirmarunt; certa et explorata haec sunt: maxime eius nomen inclaruit lege, qua primus de repetundis tribunus plebis a. 149. 605[3]) quaestionem constituit et, ut loquar cum Cicerone (diuin. in Q. Caecil. 5, 18), ius exterarum nationum arcemque firmauit, tum tredecim annis post praetura functus[4]) a. 133. 621, cum P. Mucio Scaeuola consul creatus in Siciliam missus est, ut bellum grauissimum aduersus fugitiuos, quos

1) *De L. Pisone annalium scriptore scr. H. Liebaldt* Progr. gymn. Numburg. 1836. W. Soltau *Der Annalist Piso* in Philol. LVI p. 118—129. Cichorius *R. E.* III c. 1392—95.

2) Huius nomen filii nomini additum exstat in glande quadam Hennensi in C. I. L. I p. 189 et in lege repet. u. LXXIV p. 62 Momms. Vid. de Pisonum familia Mommsen *Ephem. epigr.* I p. 144.

3) Natus igitur uidetur esse ante a. 179. 575, si quidem plerosque tribunos plebis plus triginta annorum fuisse constat.

4) Vid. Groebe ad Drumanni hist. Rom. II p. 541.

qui antecesserat C. Fuluius Flaccus consul debellare nondum potuerat, ad finem perduceret. contigitque ei, ut in oppido expugnato octo milia fugitiuorum interficeret (Oros. 5, 9, 6); Hennam tamen, in quam urbem munitissimam (Strab. 6, 2, 6 p. 272) fugitiui ab omnibus locis pulsi sese receperant (Flor. 2, 7 [19], 8), frustra oppugnauit[1]). itaque bello 'uario euentu' gesto (Liu. per. 58) prouincia decessit laudemque eius prospere confecti reliquit P. Rupilio consuli, qui ei successit et fugitiuos Hennenses 'fame quasi pestilentia consumptos' ad deditionem coegit (Oros. et Flor. l. s. Cic. in Verr. 4, 50, 112).[2])

Hoc igitur anno cum Roma abesset, non potuit optimatium causam, cui se addixerat, a Tib. Gracchi legibus tueri, tum uero homo in foro et in iudiciis multum agitatus, posteaquam Gaius fratris quasi hereditate suscepta idem iter ingressus est, iniquitate legis frumentariae grauissime offensus omni uirium contentione eum repellere conatus est atque orationibus suis (Meyer or. rel. p. 219) aduersario ita stomachum mouit, ut hic in Pisonem etiam maledictis inueheretur[3]) multaque turpia ac flagitiosa in hominem frugi effunderet (Cic. pr. Font. 17, 39 [13, 29]). denique Piso etiam censuram administrauit, id quod, etsi nusquam diserte scriptum exstat, ex Censorii cognomine, quo et a Dionysio (fr. 5. 25) et a Plinio (11) et a Censorino (39) ornatus est, uidemus. quaestio est, quo anno. atqui cum habeant omnia lustra, quibus per temporum rationem Piso censor esse potuerit, censores suos certis scriptorum testimoniis firmatos praeter unum a. 120. 634, hoc anno (tertio decimo post consulatum) eum lustrum condidisse Pighius (III p. 74), Liebaldt (p. 4 sq.), Boor (Fasti cens. p. 22) ratiocinati sunt, pro quo Mommsen (*Staatsr.* III p. 970 n. 2) a. 108. 646 substituit.

Atque haec quidem de uita. uirtutes autem Frugi cognomen satis testatur. erat enim non solum ipse summa cum abstinentia et innocentia in re publica administranda uersatus (uid. Cic. Verr. l. s. s.) sed etiam, cum ab optimatibus staret acriterque oratione sua pro eis contra C. Gracchum contenderet, ita non ad eorum uitia caecus,

1) Vrbem ab eo oppugnatam esse glandes testantur ibi repertae (Mommsen C. I. L. I n. 642. 643).

2) Dubium est, utrum quod ait Florus l. s. s. de hoc bello *illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt praetorum castra (nec nominare ipsos pudebit) castra Manlii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei,* cum minus accurate loqueretur, hunc Pisonem consulem in animo habuerit an alius Piso praetor illis annis contra fugitiuos bellum infeliciter gesserit.

3) Schol. Bob. in Cic. orat. pro Flacc. p. 96 St. uid. Meyer p. 243.

ut primus prouinciales a magistratuum Romanorum auaritia lege tueretur ac muniret neque in annalibus adulescentium nobilium superbiae inludere dubitaret (fr. 27) aut senatum necis Maelianae inuidia liberaret (fr. 24). idem antiqua seueritate usus est et in bello, cum praefectum equitum C. Titium, qui hostium multitudine circumuentus arma eis tradidisset, exquisitis ignominiae generibus afficeret (Valer. Max. 2, 7, 9, ex eo Pseudo-Front. str. 4, 1, 26), et domi, cum in adulescentium mores corruptos inueheretur (fr. 40). quae enim alia fuit causa Censorii cognominis, quo Catoni illi collega additus est? reliquas autem uirtutes eius enumerare longum est, quoniam Cicero Graecorum σωφροσύνην in sermonem Latinum uertens frugalitate ceteras contineri professus est (Tuscul. 3, 8, 16), constantem quidem sibi uere Romanum eum a ciuibus suis habitum esse etiam eo documento confirmatur, quod etsi nec aura populari fruebatur nec gloria bellica excellebat, cursum tamen honorum usque ad finem tenuit.

Hic igitur Censorius Frugi ut cum rem p. administraret, id potissimum egit, ut ciues mores maiorum retinerent, ita etiam historia conscribenda antiquae morum probitatis et disciplinae, quam labi uideret, memoriam renouare et repetere aequaliumque mores iam corruptos emendare conatus princeps moralem quae dicitur historiam condidit (Liebaldt p. 12 sq.). quam ob rem copiose exposuit Romuli uitae et uictus simplicitatem (fr. 8) — hoc quidem satis pueriliter —, hominis noui fiduciam constantiamque (fr. 27), Furii Chresimi in agro colendo industriam et adsiduitatem (fr. 33), in summa lectisterniorum licentia nemini iniuriam aut furtum factum esse praedicat (fr. 25); at uero pudicitiam subuersam a M. Messallae C. Cassii censorum lustro queritur (fr. 38) et Cn. Manlium Asia deuicta primum inuexisse triumpho triclinia aerata abacosque et monopodia, 'semina futurae luxuriae' (fr. 34 c. adn.).[1]

Inscriptio librorum, quos Latine composuerat (fr. 8. 19. 27. 17. 18), ab omnibus fere scriptoribus allata est annalium, a solo Prisciano (fr. 17) uno loco historiarum, commentariorum a Plinio (fr. 11). utrumque tamen, cum aliis locis (18. 10. 13) annales Pisonis libros appellauerit atque etiam Dionysius ἐνιαυσίους ἀναγραφάς uel πραγματείας (fr. 14. 25. 15), illos minus accurate titulum citasse existimo neque Hertzio (*Streifzug* p. 19) adsentior,

1) Ipse filium suum in Sicilia propter fortitudinem corona aurea donauit (Val. Max. 4, 3, 10. Plin. n. h. 33, 18), qui postea in Hispania in pugna occisus est (Cic. Verr. 4, 25, 56).

quod a Pisone Censorio etiam commentarios de rebus ad mythologiam et ad antiquitates pertinentibus compositos et a Plinio usurpatos esse censuit. nam res ab illo secundum Pisonem narrata optime in Censorii primum annalem refertur et ita cum Liuio (uid. adn. ad. fr. 11), qui in hac operis sui parte haud raro illius annales inspexit, concinit, ut utrique, et Liuio et Plinio, eosdem in manibus fuisse consentaneum sit. denique ei scriptores, quorum testimoniis diuersum illud opus maxime niti uisum est, Tertullianus, Arnobius, Seruius, Macrobius, magnam partem antiquitatum scientiae suae Varroni debent, hic autem tribus locis (6. 9. 41) res similis argumenti se ex annalibus Pisonis hausisse ipse indicauit, ut omittam inscriptiones annalium uel historiarum et commentarios praesertim post Iulii Caesaris commentarios facile inter se permutari potuisse (Iahn l. p. CLXXXV n. 2 laudato p. 430 n.).

Res autem quem ad modum qui ante eum scripsere, etiam Piso ab origine urbis (fr. 3) usque ad suam aetatem deduxit, minimum usque ad a. 146. 608 (fr. 39). libri uero annalium erant septem, nam cum septimo libro M.' Lepidi C. Popilii (coss. a. 158. 596) res tractauerit, qui annos superiores sex libris complexus esset, ei ad id quod restabat temporis spatium unum librum satis fuisse probabile est. atque primus quidem liber regum res continebat (fr. 4—17), alter, si recte Lachmann de fr. 18 iudicauit, ab regum fuga initium fecit, in tertio Flauii aedilitas curulis a. 305. 449 narrata erat, in septimo res anni 146. 608. aliis fragmentis libri numerus non est adscriptus, ut cum fragmenta suis quaeque libris adsignare uellemus, interdum prorsus incerti haeserimus.

Genus autem eius scribendi Cicero eo Bruti loco, unde exorsi sumus, exile dixit idemque iudicium cum de ceteris rerum scriptoribus eiusdem aetatis tum de Pisone etiam aliis locis (de legg. 1, 2, 6. de orat. 2, 12, 51) tulit, atque quamquam pro ea quam habebat de historia sententiam studiis rhetoricis occupatam, de his historicis in uniuersum inique sentire uidetur, cum Pisonis tamen annalium exilitate faciunt et hominis ieiunitas et ipsa fragmenta quae ad uerbum seruata sunt (cf. 8. 27); etiam Gellius simplicitatem in eius oratione esse concedit (fr. 8), quam si alio loco (fr. 27) uenustam esse scripsit, uix opus erit peruersi illius aetatis iudicii memoriam reuocare, ut flocci facias. itaque Catonis uestigiis incedens artis oratoriae artificia et delenimenta spreuit et ueritatem nec suam ipse nec rerum gestarum consilio infucauit aut uelauit.

Contra summa cum cura nomina et res ex fontibus diuersi ge-

neris, etiam eis quos Cato monstrauerat, uelut ex monumentis publicis, collegit et ea, quibus fidem habendam esse sibi persuasisset, litteris mandauit et, ut ab origine urbis annos spatio interuallorum numerare posset, in illa accuratius definienda operam posuit. aequauit enim primum urbis annum Olympiadi VII, 1 i. e. anno a. Chr. n. 752[1]), hinc uero profectus posteaquam ad certam memoriam peruenit, consulum nomina etiam patrum praenominibus additis unius cuiusque anni rebus praeponebat, id quod ex Liuii uerbis fr. 26 coll. 36 apparet, magistratuumque fastos annalibus inseruisse uidetur, ut uberrimi fontes fuerint Liuio, unde non solum consulum sed etiam aedilium uel tribunorum nomina (fr. 23. 28) hauriret. quae pluribus describere solebat, maxime ad res consuetudine traditas pertinebant, qua ratione populus Romanus a Seruio rege census esset (14), qualis mos esset lectisterniorum (25), qui honores Tarpeiae mortuae haberentur (5), quis primus myrto coronatus ludos circenses spectare solitus esset (31), qui fuissent di Nouensiles (45); denique Catonis exemplum secutus etymologiae operam dedit, cum Italiae uocem a uitulis duceret (1), Pilumnum a pellendo (44), uitulam idem esse demonstraret quod uictoriam (43). neque enim Graeca doctrina carere potuit, quoniam Crates Mallotes, quem primum studium grammaticum in urbem intulisse Suetonius (de gramm. 2 p. 100 Rf.) tradidit, iam uiginti sex annis ante Pisonis consulatum iuuenibus Romanis adsidue audientibus plurimas acroasis fecerat, Aeliumque Stilonem, qui fuit unus ex grammaticae Latinae parentibus, initio saeculi septimi natum esse Ritschl computauit (*Parerg.* I p. 239). a Pisone autem etiam Panaetium auditum esse certum apud Philodemum in uolumine quodam Herculanensi exstare testimonium M. Hertz monuit (Teuffel-Schwabe[5] p. 210), et *Italiam* secundum Timaeum de Graeco uocabulo *ἰταλοί* esse deductam etiam Gellius (fr. 1 c. adn.) prodidit.

Itaque recte M. Hertz (*Streifzug* p. 15—19) huic Censorio etiam fragmenta doctrinam Alexandrinam sapientia uindicauit, quamquam O. Iahn[2]) talia ab eo scribi potuisse negauit et ab alio Pisone inferioris aetatis, scriptore grammatico et antiquario, composita ea esse suspicatus est, postea iniuria ad illum ut notiorem relata, ha-

---

1) Muenzer Herm. XXXI p. 308—312. impugnauit hanc rationem M. Rabenhorst *Quellenstudien zur nat. hist. des Plinius* p. 18.

2) *Berichte ueber die Verhandl. d. saechs. Ges. d. Wiss.* 1848 p. 429. Similiter iam anno 1841 R. Merkel (Praef. ad Ouid. fast. p. LXXX) Pisonem Macrobii (fr. 42) et Plinii (fr. 11) et C. Pisonem (*ἄνδρα ἱστορικόν*) Plutarchi (Mar. 45) eundem esse coniecerat.

buitque Schweglerum I p. 89 et Pluessium (De Cinc. p. 29) consentientes. at ne Cato quidem studium origines nominum eruendi et explicandi renuit (fr. 46. 60. 59) aut Cassius Hemina (uid. s. p. CLXXVII sq.); M. Fuluius Nobilior, qui plus quinquaginta annis ante Pisonem consul fuit, in fastis suis mensium nomen etiam deriuare conatus est, ita ut in Aprili explicando ad Aphroditen confugeret (Funaioli p. 15 sq.), denique M. Iunius Gracchanus, amicus C. Gracchi, totus in antiquitate tractanda uersatus est. ipsius autem Pisonis censoria ratio sentiendi scribendique maturitatem quandam prodit eumque aetate prouectum cursuque publico functum ad historiam accessisse probat.[1])

Natura autem cum excelleret acie quadam mentis idemque ieiunitate et siccitate (uid. impr. fr. 8), a se impetrare non potuit, ut quae ipse non crederet, delectationis causa ciuibus credenda traderet, praesertim cum per Ennium Euemerus eiusque de dis doctrina Romanis iam innotuisset.[2]) quam ob rem fabulas si quas uulgarem famam secutus narrabat, alienis auctoritatibus suam fidem tuebatur (fr. 8. 27 binis locis) atque quae de Romulo et Remo Fabius Pictor ex illa receperat, sub eius nomine exscripsit (fr. 3); aliarum tamen fabularum miraculis eius indoles offensa colorem mythicum, si posset, detergere eisque remotis, quae naturae legibus contraria essent, uitae cottidianae similitudine metiri maluit.[3])

Vt enim nunc ea sola respiciam quae sub Pisonis nomine tradita sunt, omittam quae cum magna ueri specie ad eum referri possunt, tria potissimum eius fragmenta perlustrantibus nobis occurrunt, quibus haec eius indoles animi intellegatur. primum eum artem criticam in Tarpeiae fabula exercuisse uidemus. nam cum loco sanctissimo sepulta esset et quotannis ei libaretur, uulgarem famam ferri nequire animaduertit, qua patriae arcem hostibus Sabinis prodidisse dicebatur, itaque hoc nouauit, ut Tarpeiam arma Sabinorum concupiuisse et hostibus armis priuatis insidias parasse scriberet, sed 'fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede' (Schwegler I p. 486 sqq.). ex simili dubitatione explanandum est, quod lacum Curtium a Sabino quodam nomen inuenisse memoriae mandauit

1) Hoc monui, ne quis ad L. Kelleri inuentum (*Der zweite punische Krieg* p. 152 sqq.) relaberetur, qui Liuii Polybiique consensum ab hoc Pisone repetendum esse coniecerat.

2) Vahlen Ennius² p. ccxx sqq.

3) Cf. Niebuhr H. R. I p. 240 sq. 384. II p. 10 sqq. Praelect. I 29 sq. Liebaldt p. 9 sq. iniuria enim Schwegler I p. 89 hunc rationalismum, ut ita dicam, a Pisonis simplicitate abhorrere arbitratus est.

(fr. 6), qui eodem bello, cum inter Romulum Tatiumque in foro pugnaretur, in paludem illam pulsus esset, spreuit igitur fabulam illam scite excogitatam, M. Curtium iuuenem bello egregium, cum forum specu uasto in inmensam altitudinem collapsum esset et, quo plurimum populus Romanus posset, id illi loco dicandum esse uates cecinissent, in uoraginem illam equo insidentem se inmisisse. denique Dionysio teste (fr. 15) solus ex omnibus scriptoribus, qui ante eum fuerunt, per naturae leges non licere computauit, ut Arruns et Lucius Tarquinii Prisci filii essent, et nepotes eos fuisse posuit. hanc enim ipsam ob indolem eius historia Dionysio maxime placuit, cuius ingenium magis ad λόγον ἀληθέστερον quam ad μυθωδέστερον, quos distinguit, inclinat atque aliquot locis etiam Pisonis dubitationem superauit (uid. infra p. CLXXXVIII sq.).

Alia quaestio est, qua fide hic Gracchorum legis frumentariae aduersarius ueritatem tenuerit. non tacebo laudasse eum libertinorum uirtutem in uita et publica et priuata (fr. 27. 33) et de pristina plebis memoria eum a cetera discessisse (fr. 22. 23), sed quae causa fuerit, nolui cum Nitzschio (*Annalistik* p. 333 sq. 337 sq.) certare.

Sed ut erat Piso uir uere Romanus, ita etiam eius annalium auctoritas inter ciues magna uidetur fuisse. Cicero certe (de orat. 2, 12, 51) eum cum Pictore et Catone ut exemplar historiae Romanae ponit (cf. de leg. 1, 2, 6) unoque loco (fr. 40) etiam sententiam quandam eius epistulis suis inseruit, id quod etiam certius quam illa indicia Pisonem ipsum ei in manibus fuisse demonstrat eumque libros de re publica componentem secundum eius annales ueterem memoriam Romanam adumbrasse (2, 2, 4—23, 40; 25, 45; 37, 63). nam Scipio minor eius aequalis disputans loquacitate inferiorum scriptorum abstinet, interuallis annorum consulumque nominibus praemissis tempus rerum definit, binis Romanorum nominibus contentus cognomina omittit, haud raro cum ipsis Pisonis fragmentis consentit. recte haec Soltau in Philol. LVI p. 118 sqq. exposuit.

Etiam magis eius memoriae Varro consuluit, ut Cassii Heminae quoque, Pisonisque ita, ut etiam in libris superstitibus illius auctoritas citetur (fr. 1. 6. 9. 41. uid. adn. ad fr. 38). ueri similius igitur quae ex Pisone seruauerunt Censorinus (fr. 36. 39), Arnobius (45), Tertullianus (7)[1], Seruius (4 et Varrone coniuncto fr. 44), ad eum

1) In eius librum de spectaculis Varroniana per Suetonium fluxisse Reifferscheid Suet. rel. p. 334 censuit.

redeunt. sed mirabimur quod etiam Plinius maior, etsi studio materiae uarietatis allectus ipsum ut grauem auctorem (fr. 10. 38) inspexit idque libri numero indicato significauit (fr. 10. 11. 13), maiorem fragmentorum per octo libros naturalis historiae dispersorum partem (10. 11. 13. 20. 21. 29. 30. 31. 33. 34. 35. 37. 38) Varronis auctoritati debuit, ut docte subtiliterque Muenzer (*Quellenkrit.* p. 199—233) docuit. praeterea in libris XXIX et XXXVI Pisoniana delituerunt.[1]) in horum enim librorum indicibus est eius nomen, cum in ipsis libris desideretur. denique Kiessling (mus. Rhen. n. XV [1860] p. 608), quod Piso in indice libri XXXIII tertius auctor sit neque tamen ante paragraphum 38 citetur, iam ante eam Pisonem excerptum esse ratus paragraphos 17—19 ad eum rettulit, quae prorsus consentiunt cum Pisonis uerbis a Gellio seruatis (fr. 27). intra hos tamen locos Plinii usum Pisonis se continuisse praesertim post Muenzeri disputationem uix existimabimus. huc denique referam Plutarchum, qui semel in uita Numae (fr. 17) Pisonem nominatim attulit et aliquot locis cum eo consentit in uitis Romuli (adn. ad fr. 6) et Poplicolae (adn. ad 15. 16. 19). at eius notitiam in uit. Num. et rem in u. Rom. expositam eidem Varroni uidetur debere (uid. *Quellen d. Plut.* p. 151. 170), alium consensum siue Dionysio siue alii auctori interposito, neutiquam ipsi. Sed pergamus ad Dionysium et Liuium, quorum senis uterque locis (ille 3. 5. 14. 15. 24. 25, hic 16. 22. 23. 26. 28. 32) addito nomine Pisonem exscripsere, etiam pluribus tacite. quamquam enim Dionysius fontes suos recensens (1, 7, 3) eum post Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum secundario loco in grege Aeliorum et Gelliorum collocat, tamen ei in primis criticae artis initia placuisse uidentur, quam Piso in regum potissimum rebus exercuerat, ut quae ille de Tarpeia (fr. 5) et Mettio Curtio (adn. ad fr. 6) disputauerat, totus probauit et quod de Arruntis et Lucii Tarquiniorum genere excogitauerat, cupidissimo animo amplexus, ubicunque eius mentionem fecit, spreta uulgari fama eorum auum fuisse Priscum scripsit (4, 8, 1; 28, 1; 31, 1; 33, 2; 34, 3); eidemque debere uidetur, Collatinum non filium Egerii sed nepotem fuisse (4, 64, 3), Octauium Mamilium non generum Tarquinii Superbi sed

1) Roth p. 304 adiecit libros XII et XIV, sed cum libri XII et XIII atque XIV et XV (uid. Brunn *De ind. Plin.* p. 23) eundem habeant auctorum indicem et in libris XIII et XV Pisonis nomen allatum sit (fr. 11 et 31), frustra nos in XII et XIV Pisonis uerba quaerere consentaneum est.

generi filium (6, 4, 1), in proelio Regillensi non Tarquinium patrem, quippe qui tum nonagesimum annum ageret, sed Titum filium eius ex equo pugnantem uulneratum esse (6, 11, 1, cf. Gell. fr. 19). certe eadem ratio subest. praeterea Pisonis uestigia in Dionysii archaeologia exstare in adnotatione monuimus ad fr. 12. 13. 16. 20; pluribus locis ubi ad eos Dionysius prouocat *οἳ τὰ μυθώδη πάντα περιαιροῦσιν ἐκ τῆς ἱστορίας* uel *ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθείᾳ μᾶλλον ἐοικὸς ἀποφαίνουσι*, res ambigua est, utrum Pisonem ante se habuerit an illum alium scriptorem qui etiam plura nouauit quam quae modo commemorauimus. inueniuntur autem illi loci maximam partem in quinque prioribus libris, in eis qui sequebantur rarius Pisonem Dionysius fontem uidetur adiisse.[1]) Quod idem de Liuio dici potest. nam etiam apud hunc in primis potissimum libris annalium Pisonis uestigia apparent. sed cum Dionysii animus propensus esset ad tales quales Piso mouit dubitationes, Liuio quae 'poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traderentur, ea nec adfirmare nec refellere in animo erat'.[2]) itaque quamquam propter magnam auctoritatem, qua tum Pisonis annales florebant, eos lectitauerat fidemque eorum magni aestimabat (fr. 26. 28), tamen, cum indoles annalium nimis ieiuna et exilis esse uideretur, alios duces primarios esse maluit et plerumque satis habuit ea quae apud Pisonem diuersa ab aliis scriptoribus inuenerat, breuiter adnotasse. ut fr. 16 eius auctoritatem quasi in parenthesi adnexuit, ut eam Fabio (fr. 13), quem antea in tenore narationis (c. 53, 3) secutus erat, posthabendam esse doceret. fr. 23 ex Pisonis sententia primo duos tribunos plebis creatos esse rettulit, tum a. 471. 283 tres additos, antea uero, cum secessionem in montem sacrum factam exponeret (2, 33, 2), iam in monte sacro quinque factos esse scripserat. 1, 46, 4 hoc quidem commemorauit Liuius fuisse, quibus L. Tarquinius nepos Prisci fuisse uideretur (fr. 15), postea tamen semper ad uulgarem sententiam reuersus non

1) Hoc enim dicere malim quam cum Kiesslingio (De Dion. font. p. 36 sq.) omnino neglectam esse a quinto libro Pisonis auctoritatem. pugnant non solum ei qui supra significati sunt loci libri sexti sed etiam duo fragmenta duodecimo libro a Dionysio inserta (24. 25), at eum quibusdam locis horum librorum cum Pisone discrepare recte adnotauit.

2) Quamquam Liuius in praef. 6 hoc consilium suum fuisse de eis tantum modo rebus profitetur, quae 'ante conditam condendamue' urbem factae esse dicerentur, idem tamen cadit in maiorem librorum partem. perraro enim acri iudicio in rebus diiudicandis usus est.

solum filium Prisci eum appellat sed etiam Tarquinium Superbum in pugna Regillensi ipsum equum infestum in Postumium dictatorem admisisse et ab latere ictum esse narrat (2, 19, 6) totusque pendet a uulgari fabulae chronologia. similiter omnibus primae decadis locis, quibus nominatim Pisonem adfert, ita loquitur, ut quasi in appendice uel in parenthesi eius uerba adnexa esse uideamus, et quae apud Liuium Pisoniana esse aliis locis comparatis scimus, eadem partim aut inserta sunt ut refellantur (uid. adn. ad fr. 15 et Liu. 1, 18, 2 coll. fr. 11) aut per uerba *sunt qui* extremae narrationi breuiter adspersa (adn. ad fr. 5 et 23). quae cum ita sint, incertus haereo, num, ubi in orationis tenore Liuius consentiat cum Pisone, eum consensum ex ipso repetam. horum locorum plurimos iam in adnotatione (ad fr. 6. 13. 19. 22. 25. 27) tetigimus, de uno nunc agam. in libro enim 10, 9, 9 haec habet Liuius: *itaque eam infectam rem M. Fuluius Paetus T. Manlius Torquatus noui consules* (a. 299. 455) *acceperunt. in eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum; eo anno maiori se usui rei publicae fore urbano gesto magistratu. ita nec dissimulantem quid mallet nec petentem tamen aedilem curulem cum L. Papirio Cursore factum.* ipse tamen continuo hos scriptores erroris redarguit, cum Piso, 'uetustior auctor', Fabium non enumerauerit in eius anni aedilibus (fr. 28). atqui per se mirum est eandem honoris repudiationem Fabii a Liuio etiam insequenti anno (c. 13, 5) iteratam esse, augeturque suspicio, quod tertio quodam loco (c. 15, 9, cf. 22, 2), cum iterum Fabius ab omnibus centuriis consul dictus esset nec cum Appio Claudio collega eo munere fungi uellet, 'de se eadem fere quae priore anno dicendo abnuentem' fecit, non scripsit *prioribus annis.* sed absoluitur res c. 13, 8, quo loco, quominus quartum consul anni 297. 457 fieret, impediturus 'legem recitari iussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret'.[1]) nam, si Liuium (9, 40, 18) sequeris, anno 308. 446 Fabius tertium consul fuit, undecimque anni intercessissent inter tertium quartumque consulatum (Lachmann d. f. L. I p. 73). uerum tamen ipse Liuius significauit, qua ratione hunc nodum soluamus. adnotauit enim 9, 44, 3 (fr. 26) Pisonem consules annorum 307. 447 et 306. 448 omisisse, unde secundum Pisonem a tertio usque ad quartum Fabii consula-

1) De ea lege uid. Mommsen *Staatsr.* I³ 519 sq.

tum nouem annos interiectos esse elucet Liuiumque ducibus, quibus 10, 9, 9 se addixerat[1]), desertis c. 13 in rebus enarrandis ad Pisonem uel ad aliquem, qui hunc exscripserat, se conuertisse. atque haec quidem de prima decade. In tertia uno loco libri XXV (fr. 32) Piso cum Valerio Antiate citatur, praeterea nusquam eius uestigia cernuntur, neque de nostra sententia in hac decade ei est locus. idem cadit in quartam et quintam, in quibus quae Polybianae narrationi inspersit Claudio Quadrigario et Valerio Antiati debet.[2]) nihilo minus in libro XL c. 29 (uid. adn. ad fr. 11) certum annalium Pisonianorum indicium exstare arbitror, quamquam sub Valerii Antiatis nomine. tradit enim ibi Liuius in narrationis tenore, cum a. 181. 573 in agro L. Petillii scribae duae arcae inuentae essent, in altera fuisse duos fasces septenos continentes libros atque eorum septem Latinos de iure pontificio, septem Graecos de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuisset. tum Antiatem Valerium adiecisse scripsit, *libros Pythagoricos fuisse, uulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide.* at hanc ipsam famam, quam hic ut Valerianam edidit Liuius, Pisonis fuisse ex certo Plinii testimonio compertum habemus (fr. 11), Valerium contra Plutarchus et Plinius (fr. 7. 8) rettulisse consentiunt, duodecim libros pontificales fuisse totidemque Graecos praecepta philosophiae continentes. unde, si quid uideo, necessario consequitur, Liuium hoc loco Pisone et Valerio Antiate inter se confusis Valerii Antiatis nomen scripsisse pro Pisone et antea aut Valerium secutum numerum septem librorum, qui erat Pisonis, pro duodecim posuisse aut, cum Valeriana se transscribere arbitraretur, Pisonis narrationem reddidisse.[3]) sed etiam causa huius perturbationis explicari potest. nimirum Plinio teste et Piso et Valerius hanc rem, cum Numae res exponerent, ille in I, hic in II libro, rettulerant. quam ob rem, cum Liuium hos ipsos libros iterum inspicere taederet, aut eis quae excerpserat aut sola memoria temere fisus facile talem errorem committere potuit. simul uero hoc demonstrasse nobis uidemur, non esse ueri simile Liuium hosce libros

---

1) Licinio Macro, ut Klinger (*De decimi Liuii l. fontibus* p. 21 sqq.) suspicatus est.

2) Tertium auctorem eis adiunxit in his decadibus Pisonem Soltau, uid. indicem '*Livius*' p. 43—46. etiam latius eius usus ei uidetur patere quam in tertia decade atque in prima, uid. indicem p. 206 sq.

3) Nissen *Untersuch.* p. 236 falsa Plinii scriptura deceptus rem non potuit ad liquidum perducere.

componentem Pisonis annales ad manus habuisse[1]), consensumque eius lib. 39, 6, 7 (uid. adn. ad fr. 34) cum Pisone sic ortum, ut Liuius exscriberet auctorem aliquem, qui Pisonem secutus erat. optio datur inter Claudium et Valerium, quibuscum etiam in libro XXV (fr. 32) Piso a Liuio consociatus est, aliis tamen locis etiam cum Valerio solo, ut per hunc eius admiranda Plinio innotuisse censeam (Muenzer *Quellenkr.* p. 211 sqq.).

Similis igitur ratio Liuio et Dionysio cum Pisone intercedere uidetur. nam uulgari eius auctoritate moti ab initio historici esse existumabant eum ad manus habere. ieiunitas tamen eius et breuitas primarium locum ei inuidebat et in secundum reiciebat, ut eo comparato illi texturam suam corrigerent aut supplerent aut diligentiae suae indicium ederent. tum relanguescente opera paulatim rarius eum in usum uocabant aut eos auctores quos sequerentur, eo iam usos esse satis esse ducebant, tandem aliunde adfluente materiae ubertate eum omnino seposuerunt. apud utrumque certe eius uestigia in prima pentade frequentissima sunt, inde longioribus interuallis distantia et quasi fortuita.[2])

Vltimus, si eius uerbis fidem habes, Pisonis annales in manibus habuit Gellius, qui etiam eius ipsa uerba librorum numeris (I. II. III) adscriptis seruauit (fr. 8. 19. 27). post eum euanuere, nam ne Hadriani quidem Antoninorumque aetate in eis libris fuerant, ex quibus grammatici propter uetustum dicendi genus singularia quaedam notarent inferioribusque exemplorum materiam suppeditarent. solus Priscianus in libro decimo duo fragmenta Pisonis (17. 18) ex lib. I et II proposuit.

---

1) Hactenus Vnger (in Philol. suppl. III p. 158 sqq.) mecum consentit, Liuium tamen crimine neglegentiae liberauit, uid. adn. ad fr. 11.

2) Nitzsch (*Annalistik* p. 333 sqq. 337 sq.) omnino Pisonem a Liuio ipso adhibitum esse negauit atque, ubi consentiunt, Fabium Pictorem et a Pisone et a Liuio exscriptum esse opinatus est. latius eius usus siue ipsius siue per alium apud Liuium Soltauio patere uidetur, qui postquam in Philologo LII p. 676 sqq. LV p. 273 sqq. LVI p. 123 sqq. de eo disputauit, haec in libro suo de Liuio scripto comprehendit (uno conspectu p. 206 sq.). contra eum quaedam monuit Luterbacher in Philol. LVII p. 510 sq. — Frustra Triemel in Fleckeiseni annal. 139 p. 345—354, Klimke (*Die aeltesten Quellen zur Gesch. der Gracchen* Koenigshütte Progr. 1886) aliique ab eo Diodorum pendere exponere conati sunt. redarguerunt eos E. Meyer (mus. Rh. 37 p. 610 sqq.), Busolt (Fleckeis. ann. CXLI p. 321 sqq.), Bader (*De Diodori auctoribus* p. 29—32). ne in fr. 23 quidem (uid. adn.) consensus Diodori cum Pisone certus est. — De Valerii Maximi usu propter fr. 31 (uid. adn.) nemo cogitauit.

C. FANNIVS[1]

Cicero in Bruto (26, 99) de duobus C. Fanniis haec protulit: *Horum* [P. Crassi Muciani cos. 131. 623, Ser. Sulpicii Galbae cos. 144. 610] *aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt: quorum Gai filius, qui consul cum Domitio fuit* (a. 122. 632), *unam orationem de sociis et nomine Latino contra C. Gracchum reliquit sane et bonum et nobilem.* deinde contra dubitationem quandam Attici, hanc orationem a quibusdam Fannii fuisse negatum esse referentis, praeter alia argumenta etiam hoc monet, Fannium numquam esse habitum elinguem. *nam,* inquit, *et causas defensitauit et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit. alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener, et moribus et ipso genere dicendi durior. is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim cum ille Q. Scaeuolam sibi minorem natu generum praetulisset, — is tamen instituto Laelii Panaetium audiuerat. eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta.*

In his tamen uerbis esse quae maximo opere offendant, iam dudum animaduersum est. ipse enim Cicero in epistula quadam, quam duobus annis posteaquam Brutum edidit, cum Laelium componeret, anno 44. 710 scripsit ad Atticum (16, 13 c), ex amico rerum Romanorum peritissimo quaerit, 'quibus consulibus C. Fannius, M a r c i f i l i u s, tribunus pl. fuerit'. uideri sibi audisse P. Africano L. Mummio censoribus, a quibus censuram anno 142. 612 susceptam esse constat. ergo, quoniam sine dubio eundem Fannium Cicero in animo habet, alterutro loco eum in patris nomine errasse sequitur. in Bruti autem uerbis errorem subesse Mommsen inscriptione quadam comparata perspexit. ita enim illa (C. I. L. I n. 560 p. 158. Ritschl tab. LVI c): *C. Fanni M. f. cos. de sena. sen. dedit.*

1) Vid. Muenzer *R. E.* VI c. 1987—1991.

nam cum duo tantum modo consules C. Fannii exstarent a. 161. 593 et 122. 632, prior uero in fastis Capitolinis diceretur *C. f. C. n.*[1]), in hoc titulo unum dictum esse ille uir doctissimus conclusit eum, qui cum Cn. Domitio Ahenobarbo anno 122. 632 consul fuisset, Ciceronem igitur falso in Bruto hunc Gaio patre natum dixisse. quae suspicio inde confirmatur, quod, cum Bruto scribendo operam daret, eum propter auctorum dissensum de his Fanniis ambiguum fuisse et, priusquam res ab Attico amico expedita esset, illa scripsisse ex ipsius litteris anni 45. 709 (ad Att. 12, 5, 3. fr. 9) comperimus.

Iam haec sunt de C. Fanniis, qui illa aetate fuerint, memoriae tradita (Mommsen l. s. p. 158):

a. 146. 608 C. Fannius historicus, cum Tiberius Gracchus primus Carthaginis urbis muros ascenderet, subsecutus est particepsque illius laudis fuit (fr. 4).

a. 142. 612 i. e. P. Africano L. Mummio censoribus C. Fannius M. f. tribunatum pleb. gessit (Cic. ad Att. 16, 13 c, 2. Brut. 26, 100, 'arbitrio et auctoritate P. Africani').

a. 141. 613 Fannius Laelii gener in Hispania ulteriore sub Fabio Maximo Seruiliano pro consule egregie pugnauit contra Viriatum (App. Hiber. 67. Liu. Oxyrh. 53 p. 141, 170 Rossb.).

a. 132. 622 (certe inter annos 133. 621 et 131. 623) Fannius, M. f., praetor, ut Hyrcani legatis responsum daretur, senatum conuocauit (Ioseph. antiq. 13, 9, 2).

a. 122. 632 C. Fannius, M. f., Gai Gracchi auctoritate consul factus (Plut. C. Gr. 11, 2) C. Domitio Ahenobarbo collega in Galliam misso ipse ad res Romanas in urbe gerendas in urbe relictus ab amico desciuit et contra Gracchum de sociis et nomine Latino dixit (Meyer orat. p. 199 sqq.).

Atque haec quidem de uita publica, de priuata C. Fannium, M. f., Laelii minorem filiam uxorem habuisse, minus tamen socero placuisse accepimus (Cic. Brut. l. s. s. et Lael. 1, 3).

Has uero res, quibuscum a multis commenta Pighiana mixta erant, cum plerique ita diuisissent, ut Ciceronis Brutum secuti C. filio tribunatum et consulatum tribuerent, cetera Marci filio, Mommsen l. s. omnia, cum eidem homini optime conuenirent, ad unum C. Fannium, Marci filium, Laelii generum, referenda et Gai filium ut subditum omnino expellendum esse posuit, contra quam senten-

1) Hic post consulatum a. 158. 596 et 154. 600 in orientem ad res componendas missus est (Polyb. 32, 18, 3—5. 33, 6). Muenzer l. s. c. 1994, 50.

tiam quae prolata sunt, nihil ad eam infringendam ualent. nam quod quidam eundem eodem anno (142. 612) et in Africa contra Viriatum pugnare et Romae tribunatum plebis gerere potuisse negauerunt, hoc nunc fragmento Liuiano Oxyrhynchi reperto Muenzer l. s. c. 1988 ita expediuit, ut a. 142. 612 Fannium Romae tribunum plebis creatum insequenti cum Fabio in Hispaniam discessisse censeret. neque enim quidquam Cicero scribit nisi hoc, uideri sibi audiuisse Fannium P. Africano L. Mummio censoribus tribunum fuisse, quibus consulibus, ex Attico quaerit. alio loco Cicero ipse a ueritate aberrauit. est de re p. 1, 12, 18, ubi cum Laelio socero C. Fannius et Q. Scaeuola generi inducuntur 'docti adulescentes, aetate iam quaestorii'. illum enim sermonem de re publica Cicero habitum fingit a. 129. 625, ut, quoniam Mommsen a. fere 174. 580 Fannium suum M. f. natum esse posuit, hic uix recte dici posse uideatur adulescens et aetate quaestorius, utpote iam quadraginta quinque fere annos natus. qui tamen error non est tantus quantum a Cicerone commissum esse negemus, praesertim cum libros illos scripserit a. fere 54. 700 neque tum accuratius eum in Fannii uel Fanniorum res inquisiuisse ex dubitatione, quae decem annis post ei mota est, intellegamus. etiam Q. Scaeuola tum iam tricesimum unum annum agebat.

Quae cum ita sint, et cum ea ipsa munera, quae Cicero loco Bruti s. s. Gaio Fannio Gaii filio tribuit, a Marci filio administrata esse certis testimoniis conuincatur, Ciceronis uerborum illorum auctoritate posthabita Mommseno nihil obstare concedemus, quominus quae res optime ab uno homine geri poterant ad unum referantur[1]), consentiemusque fuisse C. Fannium Marci filium et consularem et generum Laelii et historicum.

---

1) Originem perturbationis Ciceronianae ita explicauit Mommsen: *Putarim Atticum, cum legisset apud Ciceronem de duobus Fanniis, certis argumentis allatis amici errorem conuicisse, scilicet C. Fannium Laelii generum non fuisse diuersum a C. Fannio cons. a.* 632. *iam siue ipse Atticus ita scripserat siue tacente eo de praenominibus paternis ita sibi animo informarat Cicero, non duos C. Fannios fuisse C. et M. f. Cicero sibi persuasit sed unum solum Gaium Fannium C. f. at redarguerunt id postea inuenti Fanniani libri a Bruto in compendium redacti rerumque scriptorem fuisse ostenderunt non C. sed M. f. quare denuo cum consuleret Cicero doctiorem amicum, hic uel respondit uel certe respondere debuit, C. Fannium fuisse cum unicum tum M., non C. f. itaque sublato ficticio illo C. Fannio C. f. rem facile expediri.* Mommseno etiam E. Kornemann (*Zur Geschichte der Gracchenzeit. Klio. Erstes Beiheft der Beitraege zur*

Apud Ciceronem autem multum eum uersantem uidemus cum Africano eiusque amicis partesque quasdam obtinentem in libris quos de re publica et de amicitia composuit, neque dissimilis fuisse uidetur eruditione et doctrina illorum hominum, si quidem Laelii soceri instituto et philosophiae operam dedit Panaetiumque audiuit et causas defensitauit. facultates uero Fanniorum suorum duorum oratorias ita distinxit Cicero Bruti l. s., ut Gai filium cos. a. 122. 632 etsi in mediocribus oratoribus, numquam tamen elinguem habitum esse diceret unamque orationem bonam et nobilem ab eo relictam esse; Laelii generum duriorem genere dicendi fuisse neque multa e philosophiae studio ad dicendum attulisse exiguaque eloquentia floruisse (31, 118). quae quidem iudicia non ita inter se discrepant, uix ut ex eiusdem hominis orationibus deducta esse possint, praesertim cum Ciceronis aetate fuerint qui orationem illam, qua nitebatur eius de priore Fannio iudicium, quippe quae melior esset quam quae a Fannio scripta esse uideretur, ab aliis compositam esse censerent (Brut. 26, 99 sq.).

In historia, quam latine scripsit, medium quendam Fannio locum adsignauit Cicero in Bruto (l. s. l.) frigidisque laudibus eum persecutus est, contra de legg. 1, 2, 6, ut ceteros illius aetatis rerum scriptores, ita etiam hunc idem summae exilitatis insimulauit, quae discrepantia ex consilii diuersitate, quo utroque loco eum recensuit, satis explicatur. grauioris momenti est quod M. Iunius Brutus ut Coelii et Polybii ita etiam Fannii historiae epitomam confecit (fr. 9. uid. uol. II p. LVI) et Sallustius, iudex acerrimus, in Fannio ueritatem fuisse scripsit (Victor. 1, 20 p. 203 H. fr. 3 p. 4 Kr. p. 4 M.), quam ipse uirtutem praeter breuitatem aemulatus est.[1]) admiratione igitur Gracchorum usuque libelli illius Gai (uid. supra p. CLXXXIX sq.) ueritas non minuta esse ei uidebatur.

Inscriptionem qui ipsam attulerunt, scripserunt annalium (fr. 1. 2. 3. 5. adn. 7), neque enim Cicero cum de Fannii 'historia' loqueretur (fr. 9 adn. 7. Brut. l. s. s.), ipsum titulum laudare uoluisse

---

alten Geschichte p. 21 sq.), adstipulatus est; dubitauerunt O. Hirschfeld in stud. Vindob. VI (1884) p. 128, qui propter fr. 9 Attici auctoritatem Hortensio praefert, et Muenzer l. s. c. 1988, qui alterius C. Fannii memoriam apud Polybium (28, 4, 1) resuscitauit.

1) Cf. Catil. 4, 3: *igitur de Catilinae coniuratione quam uerissume potero, paucis absoluam.* 38, 3: *namque, ut paucis uerum absoluam, post illa* [Sullae] *tempora — bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certabant.*

uidetur. liber annalium citatus est octauus, ita tamen ut, quid eo expositum sit, dubitemus et ne coniecturam quidem facere liceat de librorum numero. quid? quod ne hoc quidem exploratum est, unde exorsus sit Fannius, nam quae fragmenta ad certam aliquam rem referri possunt (fr. 4. 5. 6. 7. 9), omnia ad solam pertinent Gracchorum aetatem, contra annalium inscriptione ad urbis originem reuocamur.

Denique eius mentio fit a paucis scriptoribus, primum a Cicerone (fr. 5. 6. 7 cum adn. 9). qui tamen, etsi ei Fannii annales notos fuisse non abnuerim, uereor, ne ipsi Fannio epitomam Bruti (fr. 9) praetulerit, quam eum in Bruto scribendo uoluisse et lectitasse ex epistulis uidemus.[1]) tum singulis locis uerba quaedam a Charisio (fr. 2) et in scholiis Veronensibus (fr. 3), duobus a Prisciano (fr. 1. 8[2])) laudata quidem sunt, sed ipse in manibus eis uix fuit. restat Plutarchus, cuius uitas Tiberii et Gai Gracchorum magnam partem redire ad Fannii auctoritatem *De Plut. font.* p. 95 sqq. suspicati sumus. quamquam nunc difficultas quaedam subnata est. nam eundem Fannium et a C. Graccho ad consulatum promotum esse[3]) et consulem a. 122. 632 de sociis et nomine Latino contra eum orationem habuisse scimus. at quoniam Gracchus spe eius suffragationis deceptus legem illam praeter eius senatusque expectationem tulit (Plut. 8, 2), consulem a se impetrare non potuisse sequitur, ut omnino a senatu uehementer perturbato (cf. App. b. c. 1, 23) deficeret consultoque eius non obsequeretur, praesertim cum solus consul Romae remansisset exemplaque domestica imitaretur.[4])

1) Cf. ad Att. 12, 5, 3 (fr. 9): *sed tu me γεωμετρικῶς refelleras, te autem nunc Brutus et Fannius,* ubi nos nunc miramur, quod epitomatorem eodem loco ponit quo eum ipsum, cuius liber in compendium redactus est. similia autem etiam ab aliis scriptoribus antiquis facta esse constat.

2) Quamquam hoc fr. tantum sub Fannii nomine est traditum, tamen in annalium reliquiis id recensere non dubitauimus. solos enim annales nouisse uidetur Priscianus (uel eius auctor) neque usquam orationem eius commemorauit, ex qua soli Cicero, Iulius Victor, Charisius quaedam seruauerunt.

3) Plut. Gai. Gr. 8, 1: *Ἐνστάντων δὲ τῶν ὑπατικῶν ἀρχαιρεσίων καὶ μετεώρων ὄντων ἁπάντων ὤφθη [Γράγχος] Γάιον Φάννιον κατάγων εἰς τὸ πεδίον καὶ συναρχαιρεσιάζων ἐκείνῳ μετὰ τῶν φίλων. τοῦτο ῥοπὴν ἤνεγκε τῷ Φαννίῳ μεγάλην.* cf. 11, 2.

4) Laelii soceri, qui ipse quondam plebis inopiae opitulari in animo habuerat, *ἀντικρουσάντων δὲ τῶν δυνατῶν* hoc incepto destiterat (Plut. Tib. Gr. 8, 3), et P. Mucii Scaeuolae, alterius Laelii generi et consulis

inuito autem animo[1]) eum orationem scripsisse ex eo elucet, quod Romae fama uulgata erat multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse (Brut. 26, 99). hoc autem cum statu Plutarchi uitae optime concinunt. audire enim nobis uidemur eum, qui Gracchorum mores et uirtutem maximo opere admiretur summoque amore amplectatur, idem etiam quam initio ingressi sunt uiam, laudet atque comprobet (Tib. 9), tum uero a recta uia deerrasse cum dolore quodam animi sentiat sed culpam auertat partim in aduersariorum superbiam partim in socios, qui malis consiliis eos pellexerint (uid. Tib. 8, 3—4), in primis Gai in Fuluium Flaccum, quem acerbissimo insectatur odio (Gai. 10, 2. 14, 3. 16). atqui, cum eadem mens raro diuersis iudiciis interrupta per omnes harum uitarum partes spiraret, unum potissimum ducem Plutarchum secutum esse uideri neque tamen quemquam ex ceterorum auctorum numero, quos per eas laudauit, ad primarii ducis partes obtinendas satis aptum fuisse in libro nostro de Plut. font. p. 93—100 ostendimus. itaque cum C. Fannius animo minime inimicus in Gracchos et secundum Sallustii testimonium, qui idem fere iudicium quod Plutarchus de Gracchorum consiliis habuit (Iugurth. 31, 7. 42, 1 sqq.), in annalibus suis ueritatis studiosus fuerit, narratio autem Plutarchea ex testis oculati narratione originem ducere uideatur, quidni apud Plutarchum ut in uitis Agidis et Cleomenis Phylarchum, sic in his Fannium, qui nominatim citatus est in uita Tib. c. 4, loqui dicamus? accedit quod in hisce potissimum multas orationes insertas (Tib. 9, 4. 15. Gai. 2, 4. 3, 3) inuenimus, idem uero etiam illum fecisse ex Cicerone (fr. 5) comperimus. neque enim praeter Fannium etiam ipsas Tiberii et Gai Gracchorum orationes Plutarchum ante oculos habuisse credibile est. quid? quod eius ipsius orationis, quam in Fannii annalibus expositam esse Cicero commemorauit (fr. 5), Q. Metelli contra Ti. Gracchum caput etiam Plutarchus (c. 14, 2) inseruit.[2]) neque eas, ut narrationem suam artificiis luminum ornaret,

---

a. 133. 621, quem etiam inter auctores legum Tiberio fuisse Plutarchus (Tib. Gr. 9, 1) et Cicero (acad. 2, 5, 13) tradunt.

1) Nam cum consul esset, raro potestate sua, quamuis infestus esset animo senatus in Gaium Gracchum, in illum usus est, atque cum edicto socios ex urbe pelleret, diserte addidit Plutarchus (c. 12, 1) inpulsum eum esse a senatu: *ὄχλου δὲ πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας.* — Forsitan fr. 1 Fannius inconstantiam suam ipse in prooemio explicauerit et defenderit.

2) Cf. Cicer. Brut. 44, 164: *Multa in illa oratione* [Q. Seruilii Caepio-

ut post eum primus Coelius Antipater, Fannius finxit. nam casu accidit, ut orationis post reditum ex Sardinia a Gaio habitae eandem partem, quam Gellius n. A. 15, 12 excerpsit, Graece apud Plutarchum (c. 2) legamus. proinde ei fidem habeamus Tiberianae cuiusdam argumenta sic concludenti: *τοιαῦτα μὲν ἦν τὰ κεφάλαια τῆς τοῦ Τιβερίου δικαιολογίας* (c. 16).[1]

Supersunt igitur nunc apud Plutarchum Fannianae historiae uestigia, etiam certiora quam apud Appianum, qui etsi in quibusdam partibus paene ad uerbum cum eo consentit et ex eiusdem testis oculati narratione sua hausisse uidetur (uid. De Plut. font. p. 98 sqq.), speciem tamen amicitiae, qua Fannius illorum uirorum imagines et uitas depinxerat, minus religiose seruauit quam Plutarchus, ut ipse ad tales animi affectus inclinabat. illud tamen non nego eum etiam in his operibus ducis primarii tenori quaedam (ut Tib. 8, 3—5. Gai. 13) ex larga penu excerptorum suorum inspersisse (nam etiam P. Scipionis Africani uitam scripsit), quae additamenta discernere et nominatim distribuere non meum hoc loco est.[2])

nis] *grauiter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt, plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intellegi potest* (cf. 43, 160: *In ea causa* [Liciniae uirginis C. Carbo] *fuit eloquentissimus orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit.*) explicatur igitur oratio, quae tota scripta editur, exponitur quae capitulatim.

1) Ab arte tamen rhetorica non omnino abhorruit, si Gai uxorisque ultimum colloquium (c. 15) ex eo fluxit; manufesta enim Hectoris Andromachaeque imitatio est.

2) E. Kornemann l. s. historiam Fannii ex paucis tenuibusque reliquiis restituere conatus est (uid. tamen Muenzer c. 1991). contra Soltau in Fleckeis. annal. 153 (1896) p. 357—368 Plutarchi et Appiani consensum ex auctore aliquo Graeco repetiuit (fort. Strabone), qui Posidonium Semproniumque contaminasset, et additamenta biographica Plutarchi ex Cornelio Nepote.

VENNONIVS

Cicero ubi Atticum historicos Latinos recensentem facit (de legg. 1, 2, 6), post Catonem, Pisonem, Fannium ante Antipatrum et Asellionem adfert Vennonium quendam: *Nam post annalis pontificum maximorum, quibus nihil potest esse ieiunius*[1], *si aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes?* eiusdemque 'historiam' se desiderare a. 46. 708 in epistulis ad Atticum datis (12, 3, 1) conqueritur, quibus diebus in Catonis laudatione componenda uersabatur (O. E. Schmidt *Briefw.* p. 245). solus tamen ex eo aliquid seruauit Dionysius, ex quo regum res ab eo enarratas esse discimus.[2] praeterea nihil omnino de eo accepimus; nam Ps.-Victor de orig. g. R. 20, 1 consociata Fabii et Vennonii nomina Dionysio debuit (uid. comm. meum p. 95 sq.).

1) Vid. de h. l. s. p. xv sq.

2) Hoc loco uulgo Vennonio fides quae maior esset Fabiana et Catoniana tribuebatur, nunc secundum optimorum librorum scripturam haec laus ad Catonem translata est. uid. app. crit. ad Fab. fr. 9.

C. SEMPRONIVS TVDITANVS

'C. Sempronius C. f. C. n. Tuditanus a. DCXXIV [129. 625 aer. Varron.] cos. de Iapudibus k. Oct.' secundum acta triumphalia Capitolina (C. I. L. I² p. 48) triumphauit. Gaius pater (gente oriundus tum plebeia) in decem legatis fuit, qui Corintho euersa ut Achaiam in prouinciae formam redigerent, ad Mummium consulem missi sunt, et a Cicerone diu cum filio confusus est, donec mense Maio Iunioque a. 45. 709 Atticus identidem de ea re consultus, quod nimis adulescens ad legati munus esse uideretur (ad Att. 13, 30, 3; 32, 3; 33, 3), ei dubitationem exemit (l. s. ep. 6, 4). de hoc uero Tuditano cum quaereret Cicero, Hortensium percunctatus est atque etiam alios fontes adiisse uidetur, ubi quae audiuerat legeratue, per epistulas suas exprompsit, ut inde a. 145. 609 quaesturam (l. s. ep. 4, 1), P. Popillio P. Rupilio cos. a. 132. 622 praeturam eum administrasse legitimisque annis curules magistratus perfacile cepisse cognoscamus (l. s. 32, 3) atque natum eum esse anno fere 176. 578 colligamus. sed quae in quaestura aut in tribunatu gesserit, nobis non est traditum.[1]) Tum a. 129. 625 cum M'. Aquilio consulatum est adeptus et, cum collega ad Aristonici belli reliquias conficiendas in Asiam abiret, ipse in urbe remansit. neque tamen illa aetate, cum partium certamen Tiberii Gracchi nece uix sedatum denuo oriretur, utram partem ipse sequeretur, certus uidetur fuisse. quam ob rem, posteaquam socii de tribus uiris, qui agros ex Ti. Gracchi lege diuiderent, Romae conquesti sunt et P. Scipionis auctoritate, qui eorum causam susceperat, id effecerunt, ut ex senatus consulto Tuditanus consul, qui controuersias dirimeret, mitteretur, ipse, quem laboris difficillimi et molestissimi taederet, Roma relicta in Illyriam profectus est (App. b. c. 1, 19 sqq. 10). ibi domuit Histros atque posteaquam 'aduersus Iapudas primo male rem gessit, mox uictoria cladem acceptam emendauit uirtute D. Iunii Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat'

1) Vid. Schmidt *Briefw.* p. 308 sqq.

(Liu. perioch. 59), et triumphi honore dignatus est. de reliqua eius uita nihil accepimus, etsi ipse memoriae suae haud incuriosus fuit. nam et in statua res a se gestas persecutus est[1]) et in sacra aede Histrorum deo dedicata elogium suum inscripsit[2]), Iapudes tamen paulo post iterum defecerunt (App. Illyr. 10). sed 'cum omni uita atque uictu excultum atque expolitum, tum eius elegans esse habitum etiam orationis genus' scribit Cicero in Bruto (25, 95). unde quoniam litterarum eum studiosum fuisse constat, nihil obstat, quominus ad eum eas historiarum reliquias referamus, quae sub C. Sempronii aut sub Tuditani nomine ad nos propagatae sunt.

Inscriptio tamen uno loco nomini addita est, 'magistratuum' a Macrobio (fr. 7), neque dubitatur quin eundem librum M. Messalla augur in eo, quem de auspiciis composuit, significauerit (fr. 8), ubi C. Tuditani 'commentarium tertium decimum' citauit[3]), idemque antiquitatis studium etiam in fr. 2 (item a Macrobio seruato) apparet. quod Cichorius (stud. Vindob. XXIV p. 588—599) cum ne a ceteris quidem fragmentis abhorrere docuisset, hunc Tuditanum omnino ex historicorum numero depulit. at uero Dionysius Hal. eum inter eos recensuit, qui ab eo *λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων* appellati sunt, bisque eum una cum Catone de Aboriginibus citauit (fr. 1 c. adn.), similiterque eum idem coniunxit cum Cassio Hemina, uetustissimo auctore annalium, Pisone, Antiate (fr. 3)[4]), Asconius cum Pomponio Attico et Liuio (fr. 4), Gellius cum Tuberone 'in historiis'

---

1) Plinius n. h. 3, 129: *Tuditanus, qui domuit Histros, in statua sua ibi inscripsit: 'Ab Aquileia ad Titium flumen stad. M.'* nisi forte minus accurate Plinius Histros pro Iapudibus posuit.

2) Tituli antea sine nomine noti partem (C. I. L. V n. 8270 p. 1031) A. de Premerstein (*Jahresheft d. oesterr. roem. Instit.* X 2 p. 264) nouo inuento suppletam ad hunc Tuditanum rettulit, Buecheler in m. Rh. 63 (1908) p. 321—328 in uersuum Saturniorum formam redegit.

3) Ad isagogas hunc librum pertinere suspicatur Mercklin *Die isagogischen Schriften der Römer* in Philol. IV p. 425.

4) Librorum mss. Plinianorum maior pars locum illum sic exhibent: *Tuditanus XIIII* aut *Tuditanus tertio decimo.* quam scripturam si cum editoribus sequaris, quotnam libri Numae ex Tuditani sententia fuerint, requires, cum ex ceteris annalibus eorum librorum numerum addiderit Plinius. proinde ne Tuditani annalium librum illo numero significatum esse censeas sed Numae librorum numerum, atque libri Riccardiani numerum *XIIII* sic transcribas: *Hoc idem tradit Piso Censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse, Tuditanus quattuordecim Numae decretorum fuisse.* qua re omnis dubitatio tollitur.

(fr. 5).[1]) itaque quoniam etiam alios Romanos (Cassium Heminam, Fabios Pictorem et Seruilianum) et de rebus gestis et de antiquitate scripsisse constat, hic C. Sempronius Tuditanus inter historicos Romanos locum suum apud me retinuit.

Propter ipsum tamen studium antiquitatis, quo etiam annales infecit, minus lectitatus est et a paucis scriptoribus, si Macrobium excipimus, singulis locis citatus. quin etiam Plinius (fr. 3 cf. Muenzer *Quellenkritik* p. 185. 199 sqq.)[2]), Gellius, Macrobius eius cognitionem Varroni debuerunt, Dionysius, ut uidetur, docto alicui amico aut eidem Varroni[3]); de Plutarcho, ubi eius nomen coniectura nititur, res incerta est[4]); quae alii scriptores ita exposuerunt, ut cum Tuditano consentiant (cf. adnot. ad fr. 4. 5. 8), non sunt ita comparata, ut necessario eum transscriptum esse existimandum sit.

Pauca igitur restant, quae ad Tuditani historiam proprie adumbrandam non sufficiunt; neque enim, quoniam qui eius librorum memoriam seruauerunt, antiquitatis studiosi fuerunt, ullum fragmentum a grammaticis uel lexicographis ad uerbum excerptum est.[5]) hoc unum propter Ciceronis iudicium ueri simile est eum Graecorum doctrinam secutum de Aboriginibus egisse et res Romanas ex more historicorum illorum usque ad suam aetatem pertexere in animo habuisse patrioque sermone eum usum esse.

1) Bremer iur. anteh. q. supers. p. 35 sq. etiam fr. 3 magistratuum libro attribuit, fr. 2 et 4 'incertis libris'.

2) Indicem suum auctorum de arca Numae effossa se ex Varrone hausisse Plinius ipse significauit; sic enim eum conclusit: *ipse Varro humanarum antiquitatum VII, Antias secundo libros fuisse et q. s.* Roth etiam in libro XII eius uerba latere posuit, at libri XII et XIII, in quo Tuditanus nominatim una cum L. Pisone, Antiate, Cassio Hemina, Varrone citatus est, eundem indicem auctorum habuerunt.

3) Ps.-Victor de orig. g. R. 10, 4 eius nomen uel apud Varronem uel apud Dionysium inuenerat; uid. comm. meum p. 88. 91.

4) Non habebit tamen me refragantem, si quis, cum Tuditanus nusquam a Plutarcho laudatus, Liuius autem multum in Flaminini uita adhibitus sit (*De font. Plut.* p. 82) atque easdem fere pecuniae summas indicauerit quas Plutarchus, librorum scripturam *οἱ περὶ τὸν ἰτανὸν* uel *οἱ περὶ τουιτανὸν* mutauerit sic: *οἱ περὶ τὸν Τίτον*, intellegens Titum Liuium, qui etiam Sull. 6 sic a Plutarcho citatus est.

5) Inter hunc Sempronium Tuditanum et Sempronium Asellionem uix controuersia erit de fragmentis, quae fuit sententia Krausii p. 178); nam, ut alias dubitationes taceam, uno loco Dionysii excepto, quo Sempronium adfert auctorem rei modo secundum Gaium Sempronium (Tuditanum) narratae, hic semper aut C. Sempronius aut Tuditanus appellatur, Asellionis reliquiae omnes sub Asellionis nomine seruatae sunt.

CN. GELLIVS

Gellios complures historiae scribendae operam nauasse Cicero de diuin. 1,26,55 (fr. 21) et Dionysius Halicarnasensis (1,7,3) plerisque uiris doctis tradidisse uisi erant[1]), cum Niebuhr (H. R. II p. 10. n. 11) et post eum alii, in primis Nipperdey (Philolog. VI p. 131 sqq. = Opusc. p. 399 sqq.), O. Meltzer (Fleckeis. ann. CV p. 429 sqq.), Muenzer (*R. E.* VII c. 998—1000), reliquiis, quae sub Gelliorum nomine ad nos peruenere, ad unum Cn. Gellium, cuius praenomen testimoniis Dionysii (fr. 11. 17), A. Gellii (fr. 15, 30), Censorini (fr. 28) constat, relatis etiam locos illos ita interpretati sunt, ut unum Gellium Ciceronem et Dionysium in animo habuisse dicerent. hic enim fontes suos recensens cum primo loco nominat Porcium Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum, deinde Aelios, Gellios, Calpurnios, tandem subiungit alios homines haud obscuros (*οὐκ ἀφανεῖς*), quorum nomina adscribere superuacaneum ducit, eum hac laudandi ratione non id egisse apparet, ut complures Aelios, Gellios, Calpurnios significaret, sed, posteaquam primarios auctores cum binis nominibus sollemniter enumerauit, ne nimis longa series euaderet, secundarios breuiter ex more loquendi et apud Romanos et apud Graecos usitato pluralem numerum ponentem pro singulari addidisse. itaque unius Aelii Tuberonis, unius Gnaei Gellii, quem postea uel sic uel uno nomine Gellii significauit, unius Calpurnii Pisonis apud Dionysium nobis uestigia occurrunt. similiter Cicero l. s. s. uni Coelio, quem ante se habuit, ut eius auctoritatem augeret, antiquiores apposuit exemplaque nominauit Fabii

---

1) Vossius p. 34 remoto, ut credebat, Aulo Sextum et Gnaeum Gellios historias scripsisse arbitratus erat, Krause tamen denuo p. 202 sqq. tres distinxit, Gnaeum, Aulum, Sextum, ex quibus Sextus sola auctoritate libri de orig. g. R. (16, 4) defensus est. — Quae ratio intercesserit inter Cn. historicum et L. Gellium, Crassi, Antonii, L. Philippi aequalem, oratorem, cos. a. 72. 682. cens. 70. 684, quem Cicero de legg. 1, 20, 52 et Brut. 27, 105 familiarem suum atque in Bruto 47, 174 Romanarum rerum non inmemorem fuisse dicit, non potest dignosci. uid. Muenzer *R. E.* VII c. 1001. 1005. hic L. primus suae gentis magistratibus inclaruit. Cn. historicus totum se litterarum studio abdidisse uidetur.

et Gellii: *Omnes hoc historici, Fabii* (fr. 15), *Gellii*[1], *sed proxime Coelius* (fr. 49). alio tamen eiusdem loco nomen coniectura intrusum est (de legg. 1, 2, 6), ubi, cum tot historicos Romanos enumeret, quot nusquam alibi, Fabium, Catonem, Pisonem, Vennonium, Antipatrum, Clodium, Asellionem, Macrum, Sisennam, aegre sane Gellium vel Gellios desiderabis, quippe quibus eo quem modo tractauimus loco praecipuum locum tribuerit. quam ob rem quod postquam Antipatri dicendi genus laudibus extulit, sic pergit: *Ecce autem successere huic belli* [sic enim omnes Vahleni libri, unus a secunda manu exhibet *bello*] *Clodius, Asellio, nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam*, lenissima medela Guilielmus *belli* mutans in *Gellii* et ipsum locum etiam mihi quondam sanasse uisus est et desiderium illud expleuisse. quamquam iam tum me offendit eundem in hoc libro successisse Coelio Gellium, in illo alio Gellio Coelium idque eis locis, quibus Ciceronis aetates eorum definire interesset, neque tamen Vahlen in ed. sua a. l. s. 'bellos' cum apta ironia a Cicerone uel Attico Clodium et Asellionem dici potuisse mihi persuasit, aut H. Iordan (Herm. VI p. 209) Valerium (Antiatem) praeferens. itaque aut *illi* scribendum (duorum nominum exemplis Cicero etiam 2, 23, 59 contentus fuit) aut '*belli*' cruce notandum est. Certius de loco Nonii (s. u. bubo p. 194) transigam: *A. Gellius historiarum libro I: Et quod bubo in columna aedis Iouis sedens conspectus est.* neque enim Gellii alicuius historiae a Nonio citatae sunt (itaque non satis est cum Nipperdeyo l. s. p. 133 = p. 401 praenomen ut a librariis interpolatum deleuisse), neque Auli Gellii a quoquam. inuitum ergo illum nomen eius, cuius noctes Atticas saepissime exscripsisset, numquam nominasset, calamo exarasse ueri simillimum est. leuitas autem Noniana in auctoribus transscribendis quater substituto perperam pro Claudio Coelii nomine aliisque exemplis satis demonstrata est. quaeritur h. l. pro quo. de Coelio uero propter diuersitatem praenominis cogitari non potest. restat Asellio ab Augustino propositus atque etiam a Meltzero (l. s. p. 431 sq.) et L. Muellero (in edit. Non. I p. 285) probatus, cuius 'historiae' etiam alio loco (fr. 4) a Nonio citatae sunt.

Iam quaeritur, qua aetate hic Cn. Gellius uixerit, de qua omnino nihil memoriae proditum est. sed cum Cicero uno certo loco (de diu. l. s. s.) eum scripsisse diserte dicat ante Coelium, qui

1) Vsus hic loquendi cum Graeco conspirat, quo formula οἱ περὶ Γ. a Dionysio (6, 11, 2: Λικίννιος καὶ οἱ περὶ Γέλλιον) unus ille Γ. significatur, ita tamen ut oculati testimonii fides non interponatur.

historias suas post C. Gracchi tribunatum condidit (annis fere 120. 634—110. 644), a Censorino autem eius testimonium de ludis saecularibus a. 146. 608 (fr. 28) adferatur, denique Cn. praenomen in gente Gellia praeterea non inueniatur, nil inpedit, quominus idem Gnaeus Gellius, contra quem M. Porcius Cato pro L. Turio — incertum quo anno — dixit (Gell. 14, 2, 21. Iordan. Cat. p. 62), annales scripsisse uideatur[1]), dummodo a Gellio iuuene Turium accusatum, historias iam prouecta aetate editas esse censeamus, idemque etiam in numis inter a. 154. 600 et 134. 620 cum uir monetalis esset, nominatus esse (Mommsen *Roem. Muenzwesen* p. 543 sq. n. 144).

Inscripsit autem Cn. Gellius libros suos 'annales', in qua inscriptione omnes scriptores consentiunt, initiumque fecit scribendi ab antiquissimis temporibus, quibus enarratis totum librum primum compleuit. altero libro originem urbis exposuisse uidetur usque ad id tempus, quo Sabinis raptis spes prolis et urbis diuturnitatis firmata esset, nam ipsam reconciliationem maritorum patrumque tertio libro pertexuit (fr. 14. 15). tum ceteros libros quibus finibus circumscripserit, prorsus incertum est, illud constat, res eius anni qui cladem Gallicam sequebatur, fuisse in libro quinto decimo (fr. 25) et annum 216. 538 in libro tricesimo tertio (26), denique eum res Romanas usque ad suam aetatem persecutum esse et per se credibile est et fr. 28 confirmatur. libros fuisse minimum nonaginta septem (fr. 29) quod Charisius testatur (fr. 29), numerus propter magnitudinem in dubium uocatus est[2]); ad quae tamen Liuius in sexto, hic in quinto decimo, ad quae ille in uicesimo tertio, hic in tricesimo tertio libro peruenerat: potuit igitur fieri ut eis rebus quibus Liuius quinquaginta fere, hic, qui ex more historicorum illorum suae aetatis res prolixius describeret, nonaginta septem libros compleret.

Lingua fuit latina, ut fragmenta grammaticorum docent (uid. infra p. CCX), sed quo genere scribendi usus sit, cum uno fr. (15) excepto perpauca frustula ad uerbum seruata sint, non potest definiri. artem uero oratoriam neglexisse uidetur, omnem potius curam in rebus conquirendis et excutiendis posuisse, antiquariorum

1) Haec est sententia Vossii p. 34, Nipperdeyi p. 134 = 402 aliorumque. — Haakh in *Pauly Realencyklop.* III p. 661 filium eius historicum fuisse putat.

2) F. Maixner (*Ztsch. f. oesterr. Gymn.* 1878 n. 332) numerum in XLVII mutauit, Muenzer (Herm. XXXII p. 472) uanitate grammatici alicuius eum fictum esse coniecit.

more, qui tum etiam in nobilitatem inuaserat (uid. supra p. CCII sq. *Wahrheit u. Kunst* p. 307 sqq.). nam fragmenta eius abundant Graeca recondita eruditione nominibusque a Graecis fictis, maxime de inuentoribus litteraturae (2. 3), lutei aedificii (4), medicinae (5), mensurarum et ponderum (6), disciplinae augurandi (7), idemque Catonem, ut uidetur, imitatus in origines urbium gentiumque inquisiuit, etiam aliorum Italiae populorum et urbium (8. 9. 10) et causarum originisque ueterum institutorum diligenter rationem habuit (fr. 25. 17), denique preces Hersiliae ad Neriam Martis uersas ad uerbum inseruit (fr. 15). quae quidem rerum accuratio etiam alibi manufesta est, ut recte omnes scriptores annalium inscriptionem seruauerint; nam per singulos annos etiam regum res digessit (fr. 11. 18), computationem nescio quam secutus, si numerus fr. 25 Gellii est, non Macrobii[1]), in qua quidem ratione cum ex fama uulgata omnes minutias arriperet atque etiam alios auctores adiret (Catonem fr. 1. 10, Cassium Heminam fr. 25. 28), non mirabimur, quod cum secum ipse discreparet, adrogantiam Dionysiani iudicii expertus est[2]), simul autem ex hac amplitudine materiae enarrationisque prolixae et fusae magnitudinem numeri librorum aliqua ex parte explicabimus.

Antequam tamen ad scriptores, qui nominatim Gellii mentionem iniecerint, transeamus, quaedam fragmenta quo iure sub Gelliorum auctoritate exstare uoluerimus demonstrabimus, cum uulgo ad alium scriptorem relata sint. ex his unum seruauit Solinus (fr. 7), quod cum antea Coelio adscriptum esset, iam Krause (p. 201) dubitauerat, an rectius Gellii esset. quae coniectura nunc Mommseni libris, in quibus aut *Gellius* aut *cellius* scriptum est, firmata est. alterum apud eundem Solinum (fr. 9) inuenitur sed librorum scripturis Caelio tribui uidetur. exhibent enim (uid. appar. crit.) *c . . caelius* uel *g. coelius* uel *gaius coelius* uel *gaius caelius* uel *coelius* uel *celius.* iam uero hunc Coelium non esse confundendum cum L. Coelio Antipatro, qui res ante bella Punica gestas nisi in transitu non attigit, recte monuit Mommsen (proleg. ad Solin. p. XIII), sed quod eundem citatum esse a Strabone 5, 3, 3 p. 230 et a Seruio ad Aen. 10, 145 existimauit, priore loco in codicum scripturis Acilii

1) Numerus fr. 28 est Censorini, de numero fr. 27 error Macrobii subesse uidetur.

2) de Gellio et Macro (fr. 19): *οὐδὲν ἐξητακότες οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν δυνατῶν.* fr. 20 *οὐδὲν ἐξητακότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς — εἰκῆ τὸ προστυχὸν ἀποφαινόμενοι.*

nomen latet recte a Schweglero restitutum (fr. 1), altero non est, cur Coelium diuersum esse ponamus ab Antipatro (fr. 52). itaque cum Krausio et Rothio Gnaei Gellii nomen restituendum est, quae mutatio intuenti codicum scripturas uix grauior ei uidebitur, qui Gellii nomen etiam cum simplici *l* scriptum esse meminerit (cf. C. I. L. I n. 347. 877 et cod. Neapol. scripturam a. pr. m. p. 54, 25 K.) atque etiam priore Solini loco in pluribus libris mss. pro *Gellio* esse exaratum *Cellio*. Tertius locus est Plinii (fr. 8), qui, quamquam et in indice et in ipso libro Gelliani nomen exstat, cum de Gelliano scriptore omnino nihil nec a Plinio nec a quoquam alio memoriae sit traditum et Gellii nomen ante Valerianum, qui utroque loco eum excipit, facillime transire potuerit in Gellianum, a nobis Gellio, quem quater citauit Plinius, adsignatus est. uid. p. CCIX. Praeterea Mercklin in *obseru. ad Festum* p. 13 (in indice lect. Dorpat. 1860) duobus eius scriptoris locis Cn. Gellii nomen lacunis haustum esse censet, quorum uno p. 351 agitur de Talassione, ipsius autem historiarum scriptoris nominis ne littera quidem in codice hodie conspicitur, altero (p. 181 fr. 64) litterae *lius historiarum* rectius litteris *Coe* praepositis, ut uulgo factum est, supplendae esse mihi uisae sunt. nam Coelius etiam alio loco (p. 352 fr. 47) a Festo citatus est, Gellius nusquam. priore loco coniectura incertior est, quam cuius ratio habeatur.

Sed unum fragmentum etiam ex eorum numero, quae apud Krausium habes (p. 206), expulimus: *Et Gellius, 'Huius Chalcae'*, neque enim apud Charisium, in quem a Putschio — nescio quibus auctoribus — intrusum erat, posteaquam is Henrici Keili opera ex codice Neapolitano emendatus est, nunc legitur. Fateor tamen etiam de aliis fragmentis suspicionem mihi subnatam esse, num huius Gellii essent, etsi ea eicere non sum ausus. quae enim sententia, cum in praefatione facile locum habere posset, a me primo loco posita est, eandem praeter Gellium etiam Sallustium et Catonem in litteras rettulisse Vopiscus dicit, unde cum Catonis uerba, quae ille in animo habet, Aulus Gellius noctibus suis Atticis inseruerit (Cat. orig. fr. 83) Gelliumque historicum Vopiscus uix nouerit, ex errore quodam seu Vopisci seu eius quem transscripsit, Gellium grammaticum in historicorum numerum inlatum esse probabile est. hoc autem saepe factum est, ut, si ex scriptore aliquo alius auctoris uerba reciperentur, utriusque scriptoris nomina adscriberentur. Denique etiam de uno Macrobii loco (fr. 27) dubitari potest, num recte receptus sit. Macrobius enim lib. 3, c. 17 de legibus Romae contra

luxuriam latis egit, primum de lege Orchia, cuius uerba, quod prolixa sint, se praeterire dicit, tum de lege Fannia lata 'anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem quingentesimo octogesimo octauo' (sic libri), de qua Serenum Sammonicum referentem facit iocumque Lucilii adnectit, quo centussem eam dixerit, denique de ceteris deinceps legibus sumptuariis. de eadem uero re etiam Gellius in noctibus Atticis 2, 24 disseruit plerumque Atei Capitonis, quem ad modum ipse dicit, coniectanea secutus, ita tamen ut lege Orchia praetermissa exordiatur a lege Fannia, quae C. Fannio M. Valerio Messalla consulibus (anno Varroniano 593) lata sit, eiusdemque uersus Luciliani mentionem fecit. quae quidem apud utrumque scriptorem consensio tam mira est, ut fieri non possit quin Macrobio etiam hic Gellium ante oculos fuisse suspicio moueatur. quae cum ita essent, ut nihilo minus haec uerba locum suum in Gellii historici fragmentis retinere paterer, non id me adduxit, quod annus ille Gellii Macrobiani (Mommseni chronol.² p. 129) nec cum ratione Catoniana, quam fr. 25 secutus erat, nec cum Varroniana, qua lex a. 161. 593 lata est, concinit, ut numerus nescio cuius leuitate corruptus esse uideatur — sed potius illud, quod Macrobius quamuis saepe A. Gellii noctes Atticas expilaret, tamen numquam eius nomen apposuit, annales autem Gellii duobus aliis locis (fr. 24. 25) citauit.

Sed ut redeat unde digressa est oratio, primus Gellii mentionem fecit Cicero (fr. 21 cf. adn. ad 12), tum, cum Liuius nusquam eum attulerit neque adhibuisse uideatur, Dionysio Gnaei Gellii prolixitas magis adrisit, ut tribus locis ad eum solum (fr. 11. 16. 17), totidem una cum Licinio (18. 19. 20) ad eum nominatim prouocaret, multisque aliis auctoris nomine omisso eum Dionysii narrationi subesse ueri simile est. ut quae de Sabinarum raptu apud eum exposita habes, ad Gellii auctoritatem redire (fr. 12) reliquiis, quae ab A. Gellio seruatae sunt, collatis iam perspexit Merkel (proleg. in Ouid. fast. p. LXXXII), deinde aut ad Gellium aut ad Licinium Macrum quae 3, 39 scripsisset, recte ratione inita collegit Kiessling (De Dion. f. p. 30 sq. cf. fr. 18 c. adn.) idemque (p. 35) ad eum referri posse monuit, quae 1, 42 de Caco narrauit (fr. 7 c. adnot.). de fr. 10 cf. p. CCVIII. praeterea Plinius in septimo (fr. 2. 4. 5. 6) et tertio libris (fr. 8) aliquot Cn. Gellii[1]) locos inseruit, tres (fr. 15. 30. unum cum libro 8 c. 14 euanuit) A. Gellius grammaticus. qui post hos

1) Gnaei praenomen in indice libri VII est adscriptum, in ipso libro simpliciter eum Gellium dicit.

Cn. Gellium, ut Censorinus (fr. 28), aut simpliciter Gellium laudauerunt, ut Vopiscus (fr. 1)[1]), Seruius (fr. 10. 33), Macrobius (24. 25. 27), Solinus (7. 9), Marius Victorinus (fr. 3), Priscianus (adnot. ad fr. 26), uix ipsum excerpserunt, neque aliter iudicauerim de Charisio, apud quem septem frustula Gelliana (12. 13. 14. 22. 23. 26. 29 p. 54 K.) uno loco coniuncta sunt propter formas in datiuo et ablatiuo plur. primae declinationis in *abus* exeuntes allata, praeterea tantum modo duo (fr. 31. 32). Ex hoc tamen indice caue ne diuturnam Cn. Gellii memoriam et auctoritatem fuisse concludas; Plinii enim ceterorumque cognitionem eius a Varrone originem duxisse Muenzer *Quellenkrit.* p. 376 docuit. quid? quod ne a Dionysio quidem omnibus locis eum ipsum inspectum esse certum est, cum fr. 18. 19. 20 cum Licinio (Macro) ita coniunctus sit, quasi huic auctori cessisset (uid. infra cap. de Licinio).

Eandem igitur Cn. Gellius sortem passus est quam Sempronius Tuditanus, uir item antiquitatis studiosus (uid. supra p. CCIII), nisi quod illius quaedam frustula ad uerbum a Varrone excerpta posteritati seruata sunt.

1) Vid. supra p. CCVIII.

L. COELIVS ANTIPATER[1])

Prorsus nouam uiam in historia scribenda, cum res non modo narraret sed etiam exornaret, ingressum esse L. Coelium Antipatrum identidem Cicero praedicauit. nam illos, qui ante eum in annalibus conficiendis uersati essent, solam rem tenuisse, uerba minus curasse, hunc arte quadam et ratione uerba et elegisse et collocasse primumque se erexisse et historiae maiorem uocis sonum addidisse.

1) B. A. Nauta et G. Groen van Prinsterer a. 1821 ex quaestione litteraria, quae a facultate Lugd. Bat. proposita erat *De L. Coelio Antipatro historico belli Punici secundi,* tam diligenter et accurate egerunt, ut utriusque commentarius annalibus acad. Lugd. Bat. a. 1821 insertus praemio dignus esse iudicaretur. a quibus libris, quamquam Nauta in fragmentis ad res gestas referendis nimis ingenio suo indulsit, ut aliquot eius coniecturas repetere inutile uisum sit, tamen in plerisque rebus etiam nunc proficiscendum est. post eos de Coelio O. Meltzer *De L. Coelio Antipatro belli Punici secundi scriptore* Lipsiae 1867 diligenter et docte egit, tum ipsa fragmenta tractauerunt O. Gilbert (*Die Fragm. d. L. C. A.* in Fleckeiseni suppl. X p. 363—479, ex quo libro aliquot notae editionis prioris nunc suppletae sunt) et paulo post Gu. Sieglin (cum eadem inscr. in eisdem suppl. XI p. 1—92), qui illius argumenta magnam partem refutauit, sed ne ipse quidem aliorum plausum tulit, quod Coelium et bellum Punicum scripsisse posuit et aetate prouectum originem urbis usque ad suam aetatem continuatam; tres ei aduersarii in indice phil. X p. 384—400, G. F. Vnger, O. Gilbert, R. Poehlmann exstitere (uid. infra p. ccxiv). Ex eo certamine, quo de auctoritate Coelii et usu apud inferiores scriptores uiri docti disputauerunt, eos commentarios, qui etiam nunc mentione digni mihi uisi sunt, infra p. ccxxv sq. citabo. Quoniam libri Vlr. Kahrstedtii (*Geschichte der Karthager von 218—146.* 1913) et Frid. Leonis (*Geschichte der roem. Literatur I* 1913, quo de Coelio p. 336—341 agitur), postquam eae paginae quae antecedunt, iam typis exscriptae sunt totumque hoc uolumen iam ad finem perductum et absolutum, in manus meas peruenerunt, nunc, id quod doleo, filo meo paucas notulas inserere potui.

In nomine Coelii scribendo, cum in talibus rebus libri mss. uix magnum momentum habeant, secutus sum titulorum lapidibus uel aeri incisorum auctoritatem. ex decem enim locis, in quibus hoc nomen in Mommseni C. I. L. uol. I exstat, unus incertae aetatis exhibet *Caelius* (n. 845), alter (n. 844) *Kailius*, ceteri (n. 270. 382. 479. 571. 641. 858.

sed priusquam uirtutes eius explicem, pauca ea, quae de eius aetate memoriae prodita sunt, componam. atque Cicero quidem duobus locis (de legg. 1, 2, 6 et de orat. 2, 12, 52), quibus de historicis Latinis loquitur, eum post Pisonem (trib. pl. 149. 605. cons. 133. 621) recenset, uno (Bruti 26, 102) ante eum. in quo loco uiri docti cum offenderent, neglexerunt Pisonem non in ipso oratorum ordine a Cicerone adlatum esse, sed, cum iam usque ad Carbonem descendisset et, ut cur Carbone forum tenente plura iudicia fieri coepissent, explicaretur, quaestiones perpetuas (quae illo adolescente a Pisone institutae essent) commemorasset, quasi in parenthesi etiam orationis Pisonis et annalium mentionem adiectam esse (27, 106). sed cum reliquis Ciceronis locis egregie conuenit, quod in ipso Bruto Coelius Fannium (cos. a. 122. 632) excipit idemque de legg. l. s. aetati Fannii, quem modo una cum Catone, Pisone, Vennonio nominauerat, coniunctus fuisse dicitur. fac igitur eum natum esse eodem fere quo Fannium anno, 174. 580[1]), uel paucis annis post: nihil cum hac sententia pugnabit, immo optime consentient uerba quaecunque omnino de Coelio prodita sunt. ita enim, quod Cicero in Brut. et de orat. l. s. scripsit, et magister familiarisque L. Crassi esse potuit, qui anno fere 140. 614 natus est, et consuetudine uti Gai Gracchi (fr. 50), qui anno 153. 601 natus est, illo tamen minor natu fuit, si quidem Coelius in eorum numero in Bruto positus est, de quibus ut de senioribus se ante Carbonem et Gracchos dicturum esse Cicero professus erat (25, 96).[2]) utique historias edidit post C. Gracchi mortem, cum aperte de eo ut de mortuo locutus sit (fr. 50)[3]), et ante Asellionem, quem ei successisse Cicero scripsit (de legg. l. s.).

1125) *Coelius* uel *Coilius*, in quibus numus (382) est cusus a. 109. 645, inscriptiones lapidi incisae a. 94. 660 (n. 571) et a. fere 54. 700 (n. 479. 641). unde Antipatri historici aetate Caelii formam iam Coelio cessisse apparet.

1) Ad eundem annum etiam Meltzer p. 6 peruenit aliunde in ratiocinando profectus.

2) Mitto locos leuioris momenti, ut Vell. 2, 9, 6, ubi Coelius 'Sisenna uetustior' dicitur, uel Pompon. de orig. iur. 1, 2, 40 p. 4 Momms., ubi in eis qui profecti sint a P. Mucio et Bruto et Manilio, propter iuris scientiam positus est.

3) Si Coelius fr. 56 se uidisse scripsit, qui ex Hispania in Aethiopiam nauigasset, alienis fabulis deceptus est, quarum ubertate tum homines delectabantur. Eudoxus ille non fuit, qui aut Africam non circumnauigauit aut, si nauigauit, redux non est factus. Vid. Berger *Erdkunde d. Griechen*[2] p. 569 sqq.

De ipso autem Coelio perpauca comperta habemus. fuit igitur oriundus gente plebeia illa quidem sed nobili.[1] nam quod fuerunt qui eum propter Antipatri cognomen ad libertinos detruderent, loci illius Suetoniani inmemores fuerunt, quo primum omnium libertinorum L. Voltacilium Pitholum Cn. Pompeii Magni magistrum historiam scribere orsum esse ex Nepote discimus 'non nisi ab honestissimo scribi solitam ad id tempus' (Suet. de gram. et rhet. 27 p. 124 Rf.). aut quis illa aetate libertinum in foro uersatum esse credet? nam Coelius in Bruto propter eloquentiam et artem oratoriam locum aliquem obtinet. denique idem docuit iuris scientiam et cum multos tum L. Crassum discipulos habuit (Brut. l. s. s.)[2], idque, qui tum mos erat, et exemplo suo forensi et consultus responsis de iure datis. Graecis autem studiis eum ingenium suum excoluisse cum omni eius liberali eruditione appareat, et generis dicendi illa aetate usitati et litterarum cognitionis, qua instructus etiam Hannibalis asseclas explorauit et in usum suum conuertit, tum quod relicta ceterorum historicorum Romanorum uia, qua res ab urbis origine repetere solebant, unum bellum grauissimum maximeque anceps Thucydidis exemplo motus scribendum suscepit.[3] fuit autem id bellum Hannibalis. nam quod Cicero, ubi 'prooemium belli Punici' citauit (or. 69, 229 fr. 1), bella numeris non distinxit, superuacaneum id esse duxit, cum tum Coelii historiae in multorum manibus essent[4]), tum uero ipsis reliquiis demonstratur, quarum ut certissima

1) In magistratibus illius aetatis L. Coelii Antipatri nomen nusquam inuenitur. nam quod Closset p. 475 eum uergente saeculo urbis sexto natum esse et a. 137. 617 quaesturam administrasse adfirmauit, Pighii coniecturae temere credidit.

2) Caue tamen Coelium domi Crasso fuisse existimes eum studii iuris ciuilis et hortatorem et magistrum, qui significatur a Cicerone de orat. 1, 55, 234. is fuit C. Aculeo, id quod recte monuit Meltzer p. 8. cf. de orat. 1, 43, 191. 2, 1, 2.

3) Quod tamen Sieglin p. 55 sqq., cui E. Zarncke *Der Einfluss d. griech. Litt.* p. 37 sqq. adsensus est, ut prooemium eius a Coelio etiam exscriptum esse demonstraret, Liuii tertiae decadis prooemio ut Coeliano usus est, hoc argumentum nullum est, atque etiam aliis locis, quos adfert, Thucydidis imitatio apud Liuium conspicua est, non continuo etiam Coelii probatur, cuius uerborum reliquiae tenuiores sunt, quam ut pro Liuio in hac quaestione substitui possint. Etiam Xenophontis descriptio pugnae Cunaxensis Liuio Cirtensem describenti (30, 11 sq.) exemplo fuit (Zielinski *Die letzten Jahre des zweiten pun. Kriegs* p. 150); de Coelio nihil constat.

4) Brut. l. s. *scriptor, quem ad modum uidetis, fuit — luculentus.*

argumenta adferam, iam primo libro et Sagunti urbis mentionem fecerat (fr. 10) et a Sempronio consule a. 218. 536 celocem in Africam missam esse narrauerat, ut uiseret locum, ubi exercitum exponeret (fr. 12). quis igitur, cum ceteri alterius belli anni septem libros explerent, et totum primum bellum Punicum et secundi primos annos uno libro absoluta esse credet? accedit quod fragmenta pleraque ad alterius belli certas quasdam res pertinent, nullum ad primum. quae si concessa erunt, tertii belli uix quisquam patronus exsistet, praesertim cum huius uestigio in reliquiis Coelianis careamus.

Verum tamen exstant fragmenta quaedam (49. 50. 52. 53. 56), quae ad res non solum extra belli Punici alterius sed etiam omnium trium fines positas pertineant, quae causa fuerat Lachmanno (II p. 20) et Krausio p. 184, ut usque ad suam aetatem eum res deduxisse censerent, Pluessio (De Cinc. p. 48), ut eum praeter belli Punici historiam prouectiorem aetate rerum Romanarum annales scripsisse suspicaretur, eamque sententiam Gu. Sieglin l. s. s. multis aliis fragmentis Coelianis ad eos tractis confirmasse sibi uisus est. uerum tamen oblitus est Theopompum aliosque rhetores digressionum multitudine et uarietate se iactasse rerumque scriptores apud Graecos eorum exemplum secutos plerosque magnam inde historiae partem eis, quibus legentes delectaret, explere solitos esse.[1]) multis igitur locis etiam nunc, unde Coelius in belli Hannibalici enarratione exorsus sit, uidemus, ut de urbis Capuae origine (fr. 52) aut de urbis Petiliae natura (53 cf. 31), de loco quodam Tarenti, unde nomen inuenisset (35), de Cumano Apolline (54), de Auerni natura (51), Alpium longitudine (13), Africae incolis (55) et circumnauigatione (56), de somniorum miraculis (49. 50), quibus ut animos titillaret, occasionem somnii Hannibalici arripuerat. alia apud Sieglinum fragmenta aut aliorum scriptorum sunt (Gellii fr. 7. 9. Coelii Rufi oratoris, uid. infra p. CCCXXXVI, Acilii fr. 1) aut ab omni rerum narratione abhorrere uidentur (fr. 31) aut non habent quo referri possint (47. 48. 64). denique ueteres scriptores unum Coelii opus historicum nouerunt; nam aut solo nomine eum citauerunt (Cicero praeter fr. 1, Liuius, Plinius omnibus locis) aut uel sic uel, idque saepius, inscriptione numeroque libri addito (annalium semper Nonius, historiarum commentarii Vergilii et grammatici). itaque fragmenta inter duo opera partiri noluimus.

---

1) Vid. etiam O. Gilbert in ind. phil. l. s. s. p. 38. Seeck *Kalendertafel* p. 106 sq.

Inscriptio ipsa accuratius a solo Cicerone (fr. 1) indicata est, *belli Punici*, quae uerba u. *alterius* supplenda esse modo uidimus. nominatiuus, quo caremus, dubius est. neque historiarum neque annalium mihi placet; additus enim diuerse a duobus auctoribus erat, qui ipsa uerba excerpserant, et ab inferioris aetatis scriptoribus diligenter descriptus est. restat '*libri*' et fortasse nomen eius, ad quem Coelius eos miserat, *L. Aelii*, ut post alios (Popmam, Vossium, Nautam, Krausium) Fr. Marx scita disputatione[1]) restituit. nam cum in fragm. 24 B meliorum codicum consensus pro uulgata scriptura '*Lucilius*' hoc nomen exhibeat, de eadem autem uerborum transiectione, quae uituperatur, in prooemio belli Punici L. Coelium Antipatrum egisse Cicero testis sit (fr. 1), quem saepe cum illo ignoto auctore, qui rhetorica ad Herennium composuit, concinere constat, non ad Laelium, ut hic uulgatur, eum scripsisse consequitur, sed ad L. Aelium, philologum illum et Graecae et Latinae linguae peritissimum, quod nomen apud Ciceronem facile Laelii nomine obscurari potuit. accedunt aliae causae. nam C. Laelius Scipionis amicus iam a. 128. 626 mortuus erat, at uero Coelius post C. Gracchi necem (fr. 50) opus suum confecit, L. Aelius autem etiam a. 100. 654 Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus est et redux magister Varronis et Ciceronis fuit. tum quo uno loco Coelius inter Fabios et Cornelios, utris faueret, aperuit, his etiam obtrectauit (cf. fr. 17 c. adn.) Fabiumque Pictorem citasse uidetur (fr. 49). Forsitan in inscriptione additus sit etiam librorum numerus, qui septem fuisse uidentur. nam tot laudati sunt neque plures fuisse uidentur, quoniam libro septimo iam ad proelium quoddam a. 203. 551 commissum Coelius descenderat (fr. 44), quod etiam Liuius in eodem libro, quo toti bello finem imposuit, narrauit.[2]) ut uero singulorum librorum, quoad fieri poterit, breuiter argumenta distribuamus, primum prooemio de sermonis genere, quo usurus esset, rhetorum more exposuit et fortasse, si recte Roth de fr. 2 iudicauit, de fontibus a se adhibitis. num deinde quaedam, quem ad modum Polybius, de primo bello et de rebus ante bellum Hannibalicum gestis praefatus sit, discerni non potest. sed terminauit primum librum clade ipsa Cannensi narrata (fr. 22). quae post eam in castris Punicis facta sunt, iam pertinebant ad alterum (25).

---

1) *Stud. Luciliana* p. 96—98. Proleg. auct. ad Herenn. p. 136 sqq.

2) Ne incerta cum certis miscerem, consilio in adn. fr. 46 Carthaginis mentionem non feci.

libro tertio forsitan iam peruenerit oratio usque ad pugnam Senensem (30), sexto usque ad Scipionis aduentum in Africam (41), denique septimo ad belli exitum.[1] Inscriptio igitur haec euasit: 'L. Coelii Antipatri belli Punici alterius libri septem ad L. Aelium.'

De genere dicendi haec sunt Ciceronis praeter fr. 1 testimonia: De legg. 1, 2, 6 (quo loco adhortatur Ciceronem Atticus, ut ad historiam aggrediatur): *Fannii aetate coniunctus Antipater paulo inflauit uehementius*[2] *habuitque uires agrestis ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut adcuratius scriberent.* De orat. 2, 12, 54 (loquitur Antonius): *Paullum se erexit et addidit historiae maiorem sonum uocis uir optimus, Crassi familiaris, Antipater. ceteri non exornatores rerum sed tantum modo narratores fuerunt.*[3] *Est, inquit Catulus, ut dicis, sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam uarietate colorum neque uerborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpoliuit illud opus; sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolauit; uicit tamen, ut dicis, superiores.* Brut. 26, 102: *L. Coelius Antipater scriptor, quem ad modum uidetis, fuit ut temporibus illis luculentus, iuris ualde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister.* Arte igitur dicendi Coelius non solum ipse ingenium iudiciumque excoluerat eorumque exemplum imitatus est, qui ante eum uiri nobiles Graece historiam scripserant, sed etiam alios sua et auctoritate et eruditione docuit; in eis multis summam laudem L. Licinium Crassum, oratorum sua aetate principem, consecutum esse constat, cuius speciem splendidam Cicero in libris de oratore oculis subiecit, in quibus quod eum adhortantem fecit (3, 49, 184 sqq.), ut non modo orationis perpetuitas et conuersio uerborum (i. e. ambitus uel periodus) numeris astringatur sed etiam inflatum et tumidum dicendi genus membris minutioribus discerpatur, quae tamen ipsa numeris uincienda sint, audimus stili Asiani praecepta habemusque etiam nunc eius documenta in Crassi

---

1) Vnger (Philol. 40 p. 183 sqq.) primis quinque libris Coelium binos annos, ceteris ternos complexum esse statuit idque ita ut ab initio anni etiam liber inciperet. mutandus tamen ei fuit in fr. 22 numerus Prisciani (in II).

2) Cf. Dionys. ad Pomp. 4, 4 (de Xenophonte): *κἄν ποτε διεγεῖραι βουληθῇ τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα ταχέως σβέννυται.*

3) Cf. Cic. pro Marc. 2, 4: *copia, quae non dicam exornare sed enarrare res tuas gestas possit.*

orationum fragmentis, quae Cicero seruauit.[1]) atqui in uulgari disciplina nondum Romae illa tradita esse ipse Crassus uel Cicero (de orat. 3, 49, 188) professus est, Coelius autem illud praeceptum membris minutioribus et numerosis orationem discerpendi, quod Hegesias in rhetorum scholas inuexerat, tam inscite arripuerat (fr. 8. 9. 41. 49), ut etiam eius ineptias, quas Cicero acerbe castigat (orat. 67, 226), imitaretur et propter numerum ne nomen quidem discindere uereretur (fr. 24 B). est et hoc manufestum tirocinii indicium et numerus etiam in formam usitatorum uersuum fictus, uelut hexametri dactylici (fr. 24 B) uel tetrametri trochaici partis (fr. 5)[2]), quae uitia Coelii discipulus Crassus orator uitauit, qui quamquam item conuersionem orationis membris minutioribus numerosisque carpsit, Ciceroni eam perpoliuisse uidebatur, non dolauisse ut eius magister. hinc summa admiratione oratorem effert, Coelium autem, quem primum maiorem historiae sonum addidisse resque exornasse, non tantum narrasse Atticum historicum et Antonium contemptorem uerborum elegantiae laudantes fecit, ipse rudem dicit cuius uires agrestes horridaeque sint, opponitque illis Q. Lutatium Catulum, Graecae doctrinae elegantem arbitrum, omnibus artis disciplinae praeceptis eum defuisse iudicantem. denique eius excusationem cauillatus est, qua propter uerborum traiectionem numerosamque sententiarum conclusionem a L. Aelio ueniam petierat (fr. 1), quem 'exili littera' obscura linguae monumenta 'expedientem' (Varro de l. l. 7, 2) talium elegantiae artificiorum taeduisse consentaneum est.[3]) contra Frontoni Coelii breuitas sententiarum (hunc enim dixit historiam scripsisse uerbis multiiugis, Coelium singulis notans, ad Ver. 1, 1 p. 114, uid. s. p. CXLVI) uerborumque exquisitissimorum studium, quo etiam Ennium 'studiose aemulatus esset'[4]), uehementer adrisit.

---

1) Vid. Marx ad Herenn. p. 136 sqq. Norden *Kunstprosa* p. 134 sqq. 174 sqq.

2) Clausulas quasdam in eius fr. Leo l. s. p. 339 notauit.

3) Inter eos, qui in adnotationibus Ennii et Lucilii et historicorum certis notis usi essent, Fragm. Parisinum de notis apud Keilium VII p. 534 enumerauit Aelium, 'postremo Probum' (cf. Gell. 6, 9, 11 sq.). — Proprietates quasdam scribendi Coelii Ad. M. A. Schmidt in Sertis Hartelianis p. 204—207 collegit; paucae tamen sunt neque ullius pretii.

4) Ad M. Caes. 4, 3 p. 62 N., quem locum Vahlen Enn.^{2} p. XXVI sq. recte interpretatus non poetam aliquem, ut Naber in indice p. 269 aliique, sed hunc Antipatrum dictum esse monuit. Claudii quidem Quadrigarii poeticum colorem etiam Gellius (17, 2, 3), item antiquitatis

Descriptio tamen generis dicendi a Cicerone non est absoluta. deest enim orationum a Coelio fictarum mentio, quibus primus exempla Graeca imitatus historiam exornauit, id quod explicari non potest nisi ita, ut illum orationes ab historiae arte separare non potuisse neque fictas ab eis, quae uere habitae essent, distinxisse censeamus. nam Cato eas tantum modo quas ipse dixerat orationes, ut rerum quasi monumenta essent, in origines suas receperat, Coelius uero in annalibus suis etiam Poenos loquentes et Romanos uel Poenos inter se in senatu uerbis certantes induxerat (fr. 5. 6. 16. 26. 47. 58), quas orationes, ut ornamentis et luminibus historiam inlustraret, ipsum commentum esse uix quisquam negabit. quid? quod nescio an earum orationum summae, quae apud Liuium libri XXI initio leguntur neque ex Polybio originem ducunt, ad ipsius Coelii artem reuocandae sint. neque enim Liuius quas inseruit orationes omnes totas suo ingenio suaeque inuentioni debebat.[1]) uidetur autem Coelius adiutus esse in hoc suo consilio ea re quod Silenus, quem primarium auctorem ei fuisse mox ostendemus, multas orationes historiae inseruit. nam etsi ad Chaeream et Sosylum pertinent, quas ineptias Polybius (3, 20) acerbe reprehendit, antea tamen etiam aliorum loquacitatem a ueritate aberrantium inprobauerat, in quibus etiam Silenum fuisse ueri simile est. Polybii autem uerba etiam huc transferenda sunt: *Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι προσπεπτωκυίας αὐτοῖς ἤδη τῆς τῶν Ζακανθαίων ἁλώσεως οὐ μὰ Δία περὶ τοῦ πολέμου τότε διαβούλιον ἦγον, καθάπερ ἔνιοι τῶν συγγραφέων φασί, προσκατατάττοντες ἔτι καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερα ῥηθέντας λόγους, πάντων ἀτοπώτατον πρᾶγμα ποιοῦντες. — πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σωσύλος οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν. οὐ γὰρ ἱστορίας ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἔμοιγε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν.*

Quoniam hisce uerbis Coelii dicendi proprietatem exposuimus, nunc ad fidem eius historicam examinandam et aestimandam transimus. quae quaestio in illis rerum scriptoribus fere tota pendet ab auctoribus, qui ab eis in usum uocati esse uideantur. Coelius

---

Enniique admirator, laudauit. superuacanea igitur est Duentzeri coniectura (*Ztsch. f. Gymnasialw.* 1877 p. 424), qua non solum Aquilium pro L. Coelio substituit sed etiam uerba '*eumque studiose aemulatus Aq.*' post '*Plautum*' transposuit.

1) Vid. Lachmann De f. Liu. II 114 sq. Nissen *Untersuch.* p. 27 sq. 92. 263 sq. *Gesch. Litt.* II p. 299 sq.

uero polliticus erat se 'ex scriptis eorum qui ueri arbitrantur' (fr. 2) hausturum esse, Hecataei ueritatis professionem (fr. 332) in prooemio imitatus, neque eum in uno fonte exscribendo acquieuisse ex Liuio (fr. 29) discimus, ubi de Marcelli morte triplicem gestae rei memoriam ab eo editam certiores nos fecit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuisset, tertiam quam ipse (Coelius) pro inquisita ac sibi comperta attulisset. quibus uerbis hercle haud exigua ut illis temporibus laudatur diligentia et industria, ut per se credibile sit clarissimos scriptores, qui antea bellum Hannibalicum scripsere, ei haud ignotos fuisse. ac de Catone quidem id constat. etenim quod post uictoriam Cannensem Maharbal Hannibali suaserat, A. Gellio teste paene ad uerbum secundum Catonem narrauerat (fr. 25 c. adn.)[1], tum Fabius (fr. 49) ita a Cicerone cum Coelio consociatur, ut si non ipsum nomen Fabii apud Coelium at consensum tamen quendam inter eos Cicero inuenisse uideatur; Liuius autem postquam 22, 8, 5 famam ad Fabii Cunctatoris laudem propensam sine dubitatione recepit, in adnotatione c. 31, 8—11, ubi ipse eam refutauit, illam non solum posteros auxisse concessit sed etiam Coelium (fr. 21) eiusdem erroris propagationis insimulauit. quid? quod, quoniam in ea libr. XXI et XXII parte, quae ex Polybio non uersa est, Liuio Coelium potissimum ducem fuisse infra uidebimus, hac autem Fabiana belli gerendi ratio summis laudibus celebratur, aduersariorum consiliis obtrectatur, certe ueri simile est Fabiana lectione eum ad hanc de rebus illius aetatis Romanis sententiam perductum esse.[2]) iuxta Fabium tamen primarium inter eius fontes locum obtinet Silenus Siculus.[3]) nam et illum et Sosylum Lacedaemonium in Hannibalis castris uixisse, quamdiu fortuna passa esset, eiusque belli gesta ut multos memoriae prodidisse ex Cornelio Nepote (uit. Hann. 13, 3) comperimus. imitatus igitur ille Alexandrum Magnum et ipse res gerere et gestas a uirtutis suae praeconibus inlustrari cupiuerat. quin etiam usque eo uestigia eorum, qui Alexandri res scriptis ornauerant, pressisse ui-

1) Vis tamen uerborum Catonianorum inminuta est a Coelio.

2) Falso Nauta p. 16 et Krause p. 186 M. Fuluii Nobilioris fastos in fontibus a Coelio adhibitis enumerauerunt, loco quodam Charisii (1 p. 138 K.) usi. qui quamquam nondum sanatus est, tamen hoc constat, Coelii nomen nulla auctoritate a Fabricio intrusum esse. uid. Keilii adnot. a. h. l.

3) Vid. G. Bujack *De Sileno scriptore Hannibalis.* Regim. 1859. p. 5. 14. 18. Zielinski *Die letzten Jahre* p. 120 sqq.

dentur Sosylus et Silenus, quibus tertium Polybio auctore (uid. l. s. s.) adiungimus Chaeream, ut, quemadmodum illi, ita ipsi quoque, ut quasi heros dux suus in praecipua deorum tutela fuisse uideretur, somnia, portenta, prodigia fingerent, quibus illius aut res adiutae essent aut magnitudo significata. haec enim causa fuit Chareti, Alexandri rerum scriptori, ut ab Hercule, Apolline, Satyro identidem somniis Alexandro Tyri expugnationem praedictam esse ementiretur (Plut. Alex. 24. Geier *Alex. M. rer. script.* p. 294 sq.)[1]), eadem Sileno, ut Hannibalem, cum Saguntum cepisset, in somnis a Ioue in deorum concilium uocari uisum esse scriberet; quo cum uenisset, Iouem imperauisse, ut Italiae bellum inferret, ducemque ei dedisse unum e concilio, iuuenem diuina specie, quem sequeretur (uid. Coel. fr. 11 c. adn.). quibus expositis nemo, opinor, dubitabit, quin ad Silenum eiusque similes scriptores referenda sint quae dicit Polybius 3, 47, 6: *Ἔνιοι δὲ τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς ταύτης* [Alpium], *βουλόμενοι τοὺς ἀναγινώσκοντας ἐκπλήττειν τῇ περὶ τῶν προειρημένων τόπων παραδοξολογίᾳ, λανθάνουσιν ἐμπίπτοντες εἰς δύο τὰ πάσης ἱστορίας ἀλλοτριώτατα. καὶ γὰρ ψευδολογεῖν καὶ μαχόμενα γράφειν αὐτοῖς ἀναγκάζονται. ἅμα μὲν γὰρ τὸν Ἀννίβαν ἀμίμητόν τινα παρεισάγοντες στρατηγὸν καὶ τόλμῃ καὶ προνοίᾳ τοῦτον ὁμολογουμένως ἀποδεικνύουσιν ἡμῖν ἀλογιστότατον, ἅμα δὲ καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν.* et c. 48, 5: *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς ἐρημίας, ἔτι δ' ἐρυμνότητος καὶ δυσχωρίας τῶν τόπων ἔκδηλον ποιεῖ τὸ ψεῦδος αὐτῶν. — ἥρω τινά φασιν ἐπιφανέντα συνυποδεῖξαι τὰς ὁδοὺς αὐτοῖς.* Talia hercle Polybii ueritatem offenderant bilemque commouerant. Hannibal autem e Graecia Siciliaque scriptores exciuerat, qui arte tum probata et uulgata inbuti in historia ementirentur, quae argutiis uarietateque homines et delectarent et sua admiratione inplerent (*Wahrheit u. Kunst* p. 236 sq.). Sosyli quidem rerum ab Hannibale gestarum fragmentum arte oratoria res ipsas obscurans nuper repertum est (Wilcken Herm. 41 p. 103 sqq.). diligentia autem Sileni quod a Cicerone (fr. 11) laudatur, ad abundantem et fusam copiam, qua res uel minimas et leuissimas coaceruauerat, pertinet (Nipperdey in praef. ad ed. mai. Nep. p. XXXI), non ad studium omnia religiose explorandi, quod in alio eius opere quod *Σικελικά* inscriptum

1) Infra similem uiam Sullam in commentariis ingressum esse uidebimus.

erat. Dionysius Hal. desiderauit. nam diuersos scriptores, Antigonum, Polybium, Silenum, miscens pauca (i. e. res tantum patrias) ex eis, quae ipse de Romana archaeologia expositurus esset, eos dicit scripsisse eaque unum quemque 'οὐδὲ ἀκριβῶς αὐτῷ διεσπουδασμένα ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθέντα.'

Quae autem modo propria fuisse Sileni disputauimus, magnam partem ea apud Coelium Antipatrum redeunt. at concedi posse negabis, hunc hominem Romanum secutum esse eum scriptorem, quem in hostis patrii laudem scripsisse uix quemquam fugere posset. recte id quidem. sed etiam maius in Coelio fuisse uidetur studium res ab eis Romanis, qui ante scripserant, satis ieiune et exiliter memoriae proditas fabulis quibusdam mirabilibus exornandi, maior etiam superstitio (cf. fr. 19 et 20), qua talia somnia et ostenta cupide arriperet. largam autem materiam rerum nouarum peregrini scriptores suppeditabant et extero colore antiquitateque testimonii rebus coaequali quasi confirmabant. exempla inuenerat apud Graecos. nam etiam Ctesias Persicis monumentis gloriatus erat Clitarchusque in Alexandri uita Darei regis uirtutem summa laude praedicauerat (*Wahrheit u. Kunst* p. 54 sq. 71). nimirum uarietate et arte dicendi scriptores hominum animos magis alliciebant et delectabant quam fide et auctoritate rerum narratarum, neque iniuria Pomponio (de orig. iur. 1, 2, 40 p. 4 M.) Coelius plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedisse uidetur. sed quodcunque fuit in causa, secutum eum Silenum esse ex luculento Ciceronis testimonio (fr. 11) constat. quod nescio an inde etiam magis comprobetur, quod ex ipsius Coelii historiis Sileni narrationem a Cicerone sumptam esse ueri simile est. quis enim eum ita Coelium et Silenum, quem hoc uno loco nominat, inter se comparasse credat, ut certum illud iudicium proferre posset? etiam apud Liuium (26, 49, 3) unum locum quo Silenum citat, cum Sileni nomine ex Coelio haustum esse coniecerim.[1])

Hinc igitur mira illa apud Coelium somnia Hannibalis fluxerunt (fr. 11. 34), hinc incredibilis ille militum numerus, quibuscum Scipionem ad Africae oras appellentem fecit (fr. 40): inepte enim uolucres ad terras delapsas clamore militum ait atque tantam multitudinem conscendisse naues, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui uideretur.[2]) Silenum imitatus et ex antiquis annalibus

1) Eadem est sententia G. Michaelis *De ratione* et q. s. p. 63.

2) Etiam ex hac re studium quoddam Hannibalis apparet. cf. Bujack p. 13. contra Silenus numerum scorpionum, qui Carthagine noua expugnata a Romanis capti essent, ita inminuerat, ut auxerat Valerius

similia somnia excerpta collegit (49) et ex eorum qui tum uiuebant sermone (50)[1]) in librum suum transtulit. denique quod scriptores Hannibalici miras quasdam et inauditas difficultates ab Hannibale in Alpium transitu superatas esse fabulati erant neque a quoquam ante eum cum exercitu praeter Herculem Graium eas traiectas esse finxerant (Corn. Nep. Hann. 3, 4. Bujack p. 8. 14 sq.), similiter Coelius, cum ceteri prosperam Scipionis in Africam traiectionem sine terrore ac tumultu fuisse scripsissent, ne historia sua descriptione procellarum maris careret, omnes caelestes maritimosque terrores eius naues perpessas esse exposuerat, ita tamen ut nulla nauis mergeretur (fr. 40)[2]). Polybius uero haec Sileni mendacia spreuerat, ceterum Hannibalis ei assentatorum ubertatem materiae Romanam famam longe superantis atque supplentis corrigentisque necessariam fuisse, praesertim cum ipse etiam alia Poenorum monumenta, ut titulum promunturii Lacinii, compararet, per se consentaneum est, multaque famae Carthaginiensis uestigia per totam eius belli historiam nunc Kahrstedt in tertio uolumine rerum Carthaginiensium Meltzeri indicauit, qui materiam a Polybio congestam recte pluris aestimauit quam iudicium (p. 393). quid enim? Phylarchine aut Fabii in operibus idem sui partes quasdam superstruxit? sed si bini eodem auctore utuntur, excerpta non semper concinunt. quod si ea quae apud Coelium ad Silenum redire uidentur, a Polybio castigata et abiecta sunt, suo iudicio obsecutus materiam scite explorauerat et elegerat, Coelium autem omnia ea, quae mentem originemque Carthaginiensem spirant, non continuo ex Polybio transscripsisse sequitur, sed etiam ultra ascendentem auctorem eius expilasse, ut rhetorum recenti inter Latinos disciplinae satis faceret suamque laudem augeret. itaque etiam hoc, quod se intra fines rerum gestarum non continuit, sed etiam urbium origines, naturam, situm, uictum aliaque admiranda complexus est (uid. s. p. CCXIV. CXLII), non solum ex Catonis sed etiam ex Graecorum rhetorum imitatione repetere poterimus.

Coelius igitur et enarrationis colorem Sileni imitatus esse[3]) et

Antias. sexaginta enim apud Silenum inuenit Liuius, undeuiginti milia apud Antiatem.

1) fr. 56 ad *αὐτοψίαν* suam prouocauit, forsitan etiam 'famam' de Marcelli morte (fr. 29) ex ore hominum perceperit.

2) Descriptionem tamen illam, quam legerat apud Coelium, Liuius non omnino uidetur abiecisse sed (30, 24, 6) transtulisse ad Octauium.

3) Quoniam iter Hannibalis ab Hispania in Italiam factum multo pluribus exornatum est regionum, fluminum, urbium nominibus a Liuio quam a Polybio, iure tuo etiam hanc Polybii (3, 36) uituperationem in

singulas quasdam res exornandi causa ex eo inseruisse uidetur, quamquam illud caue me existimare putes Coelium patriae suae inmemorem in historia totum quasi ad Poenos transisse. ars Graeca fuit, animus Romanus, ornamenta ab Hannibalis admiratoribus mutuata, robur ex annalibus Romanis expressum.[1])

Ex his autem quae modo disputauimus, exiguam fidem eis fabulis[2]), quas rhetorum Graecorum more infectus interposuit, habendam esse sua sponte elucet. in ceteris rebus propter eam quam supra uidimus in fontibus adhibendis et examinandis diligentiam eius, qua ultra famam (annalium) laudationemque Marcelli filii in rem inquisiuerat, ut tandem eam pro comperta proponere posset[3]), atque etiam hostium memoriam comparauit, auctoritas maior fuisse uidetur, neque est cur laudem a Valerio Maximo (1, 7, 6) ei tributam 'certum eum historiae Romanae auctorem' fuisse detrahamus aut ab eo fr. 17 sine certa causa decus seruati ad Ticinum consulis P. Scipionis a filio ad seruum Ligurem delegatum esse censeamus. nam plures auctores illud tradidisse et famam obtinuisse Liuius addidit.[4]) Polybius tamen cum proelium Ticinense narraret, de periculo patris tacuit (3, 65, 11) uulnerisque postea in transcursu meminit (c. 66, 2), pietatis uirtutisque filii adulescentis non ante librum decimum (c. 3, 2—6), idque ita ut eam totam ad C. Laelii amici auctoritatem referret, quo saepe Scipio Africanus praecone rerum a se gestarum usus est (Liu. 26, 51, 1. 30, 36, 3). quam ob rem etsi tum filium de patris salute fortiter dimicasse non negauerim rhetoresque, quod Liuius uerum esse maluit, libentibus animis eius laudem auxerunt et propagauerunt, serui tamen decus iniquo silentio

— —

Silenum dictam esse conicias eandemque cadere in Coelium: *Ἵνα δὲ μὴ τῶν τόπων ἀγνοουμένων παντάπασιν ἀσαφῆ γίνεσθαι συμβαίνῃ τὴν διήγησιν, ῥητέον ἂν εἴη, πόθεν ὁρμήσας Ἀννίβας καὶ τίνας καὶ πόσους διελθὼν τόπους εἰς ποῖα μέρη κατῆρε τῆς Ἰταλίας. ῥητέον δ' οὐκ αὐτὰς τὰς ὀνομασίας τῶν τόπων καὶ ποταμῶν καὶ πόλεων, ὅπερ ἔνιοι ποιοῦσι τῶν συγγραφέων, ὑπολαμβάνοντες ἐν παντὶ πρὸς γνῶσιν καὶ σαφήνειαν αὐτοτελὲς εἶναι τοῦτο τὸ μέρος.*

1) Vid. C. Peter *Liuius u. Polybius* p. 75. *Kritik* p. 82—99.

2) Similia tamen plus quinquaginta annis post etiam Tubero qui legerent, credere uoluit. uid. fr. 8.

3) Nescio an a Gracchis etiam ad eius familiae tablinum aditus ei patefactus sit. certe Weissenborn ad Liu. 23, 35, 19, quaecunque ad Ti. Sempronii Gracchi (cons. 215. 539) res gestas pertinerent, copiosissime a Liuio exposita esse recte animaduertit. Liuius autem in his partibus Coelio usus est.

4) Vid. Woelfflin Herm. XXIII p. 307—310.

oblitteratum esse quam filii celeberrimi per se probabilius est. quodsi gentes nobiles de memoria rerum conformanda cum ira et studio inter se certasse supra (p. XLIII sqq.) recte disseruimus, Fabianam autem a Coelio redintegratam esse aliis quibusdam indiciis apparet, laudes Cornelias si non iniuria inminutas, tamen non ultra ueritatem elatas esse consequitur. haec autem gens multarum aliarum honores ex monumentis expulit, et cum Coelius ad historiam scribendam aggrederetur, modo Polybius praeconio belli improspere incepti, gloriose confecti eam cumulauerat. ita mihi utriusque et dissensus et consensus explicari uidetur. neque enim Graecus materia Fabiana carere potuit, cuius usum Romanus aperte professus est[1]), ut nobilitatis uterque iram et inuidiam in C. Flaminium euomuerit. nam cum in consulatu suo patrum uoluntatem et auspicia, quae penes patres essent, minus curaret, illi eum non cum senatu modo sed etiam cum dis immortalibus bellum gerere criminati sunt, eamque ob causam, quod religionem et signa rerum futurarum neglexisset (fr. 19. 20), ad Trasumennum cecidisse cum magno rei publicae uulnere narrauerunt.[2]) deinde ut Fabium arte oratoris exornaret cum Coelii consilium et ratio esset, idem unum ex eis ipsis Hannibalis scriptoribus adhibuit, in quos ille eius artis acerbus aduersarius et inimicus grauissimis criminibus inuectus erat. quamquam igitur per tempus Coelio licuit historiam Graecam belli Punici alterius cognoscere, tamen, si cognouit[3]), opus toto caelo distans spreuit tacuitque rediitque ad Silenum.

Magna uero apud aequales Coelii historia auctoritate et fama floruit. testis est incerti auctoris ad Herennium liber de ratione dicendi, annis 86. 668—82. 672 scriptus[4]), in quo uel ipse uel eius auctor (Marx Proleg. p. 119) exempla se sumpsisse profitetur ab oratoribus Catone, Gracchis, Laelio, Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio, ceteris, item a poetis et historiarum scriptoribus (4, 5, 7), in ipso tamen opere oratorum et poetarum ternos auctores nominatim citauit eosque raro, historicorum unum Coelium, ut eius uitium uerborum transiectionis reprehendat (fr. 24B). causa autem haec

1) Nam famae de seruo auctorem (fr. 17) Fabium Coelius nominauisse uidetur. cf. s. p. CCXV.

2) Quod iudicium huic simile de Terentio Varrone apud Liuium exstat, fortasse item Coelii fuit.

3) Sic Niese *Goetting. gel. Anz. 1890 p. 894.* Wachsmuth *Einleit.* p. 656 aliique. Sieglini contraria opinio (p. 69) ab omnibus inprobata est.

4) Omitto h. l. Valerium Antiatem, de quo num Coelio usus sit infra agam.

fuisse uidetur, quod non solum artem oratoriam exercuit sed etiam cum C. Graccho usque ad necem eius familiaritate coniunctus (fr. 50) eiusque gens plebeia erat. sed quamquam rhetor ille sub dominatione Mariana librum suum composuit ueriusque ipse animo Gracchis quam optimatibus fauebat (cf. 4, 22, 31; 54, 67; 55; 68; 9, 13), tamen ne nobilitatem a scholis suis deterreret, mediam quandam uiam ingressus neque nobilium oratorum exempla spreuit et de historicis Coelium nominauit ut familiarem C. Gracchi eundemque nobilitatis fautorem, — praeter Corneliam gentem, in quam tam uehementi odio ardebat, ut exemplum quoddam insereret, cuius testimonio Tib. Gracchus a Scipione Nasica ipso ferociter trucidatus esset.[1])

Rhetorum scholis etiam Cicero ad Coelii cognitionem deductus est. nam adulescentibus ut scriptoris tum uulgati genus dicendi stili iudiciique exercendi causa proponebatur notusque fuit etiam Bruto et Attico amicis (Brut. 26, 102). meminit ille aliquot locis eius de arte historiae meritorum (uid. p. CCXVI) et a. 45. 709 cum libros de diuinatione scriberet, ab Attico petiit (ep. 13, 8), ut 'epitomen Bruti Coelianorum' (praeter Panaetii περὶ προνοίας) sibi mitteret. nam Brutus ut Fannii (uid. s. CXCVI) et Polybii (Plut. Brut. 4), sic etiam huius epitomam confecerat, idque ita, ut fabulas multas in eam transferret[2]), nisi Cicero epitoma admonitus ipsas Coelii historias in manus sumpsit; de septem quidem locis, quibus eas citauit, quinque (fr. 11. 20. 34. 49. 50) in primo de diuinatione libro exstant, unus (fr. 19) in eo, quem de natura deorum eodem tempore scripsit (de fr. 1 uid. s. CCXVII).

In primis autem Liuius per tertiam decadem Coelium exscripsit[3]); nam cum Polybius scriptor Graecus eius desideria non omni ex

1) 4, 55, 68. cf. 4, 22, 31. Marx l. s. p. 152 sq.

2) Inseruit eas eis, quae secundum Posidonium περὶ μαντικῆς exposuerat (usque ad 1, 40, 86). cf. Th. Stiche *De fontib. lib. Cic. de diuin.* (Diss. Jen. 1875) p. 15 sqq.

3) Nitzsch (*Annal.* p. 13 sqq.) Liuium in tertia decade Polybio non esse usum sed eorum consensum inde esse natum, quod Silenus et a Polybio et a Coelio esset exscriptus, hic autem (exceptis ultimis eius libris) primarius Liuio dux fuisset, contendit idque pluribus exsecutus est C. Boettcher (*Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im XXI u. XXII Buch* in Fleckeiseni suppl. V). alii ab ea sententia exorsi, inter se tamen diuersi frustula Liuii discerpti pluribus auctoribus (Claudio Quadrigario, Valerio Antiati) tribuerunt, ex quibus nomino H. Hesselbarthium (*Historisch-kritische Untersuchungen zur dritten Dekade des L.* 1889), G. Soltauium (in progr. Zabernensibus a. 1894. 1896, omnia complexum *Liuius* p. 56—94), H. Sandersium (*Die Quellenkontamination im XXI u.*

parte expleret, eius et narrationem rebus urbanis multis ne pietati erga patriam deesset, ex Coelio suppleuit et sobrietatem fabulis aliisque nugis, quarum uarietate delectaret.[1]) ipsius tamen auctoritatem Coelii tanti Liuius aestimauit, ut rem quandam, quam et ille et alii scriptores 'haud sine causa' praetermisissent, pro certo ponere uereretur (23, 6, 8), de morte Marcelli, de qua uariarent auctores, aliis spretis solam Coelii famam protulisse satis haberet (fr. 29) cumque ceteros scriptores cum fastidio quodam refellere soleret, de hoc, ubi ab eo recedit, leniter et honorifice loqueretur (fr. 14. 18) et quasi doleret (fr. 17), id quod post Nautam p. 17 recte animaduertit Meltzer p. 46 sq. nominatim uero laudauit eum undecim locis (praeter locos modo allatos 21. 28. 29. 33. 39. 40. 42), plerumque ita ut eum aut reiceret aut rem a Polybio praetermissam inde extremae narrationi adnecteret. multo saepius in ipso orationis Liuianae

XXII B. d. L. 1891), alii Polybii usum intra partem quandam decadis Liuianae se continuisse, fueruntque qui omnino uel Polybium uel Coelium a Liuio in usum uocatum esse negarent. at dubitari non posse quin Polybius et Liuius paene ad uerbum saepe consentiant, etiam Nitzsch concessit, argumentaque eius redarguit C. Peter (*Zur Kritik der Quellen d. roem. Geschichte* 1879 p. 91—99), postquam Niebuhrii, Fr. Lachmanni, Schwegleri sententiam secutus pluribus exposuit a Polybio Liuium per totam decadem pendere (*Ueber die Quellen des XXI u. XXII Buchs des Livius* in programm. Portensi a. 1863). nouis argumentis maxime ex dicendi genere petitis eam Woelfflin (*Antiochos von Syrakus und Coelius p. 22 sqq.*), Luterbacher (*De font. libr. XXI et XXII T. Liuii*), Gutschmid (*Kl. Schr. IV p. 212 sq.*) aliique confirmauerunt. sed eas opiniones omnes recensere non est huius loci; indicem uirorum doctorum, qui eam quaestionem plus minusue feliciter tractauerunt uel tetigerunt, Soltau in libro suo *Livius* p. 10—12 composuit. — Nuper Vd. Kahrstedt (*Gesch. d. Karthager* III p. 141—362) singulas quasque tertiae Liuii decadis partes denuo acriter persecutus eum ab initio Coelium, ex quo etiam praefationem belli Hannibalis exscripsisset, in manibus habuisse contendit; cum autem hic Silenum, Fabium aliosque annales adhibuisset et cum Polybio comparasset, Liuium ad eum delatum primum de rebus in Sicilia et Graecia magna gestis ipsum adisse, tum ab a. 206. 548 etiam de Hispania et Graecia primoque loco de Africa. quacum disputatione id consentio, fundamenta Liuiana tertiae decadis in Coelio et Polybio posita et ipsum opus admixta ex annalibus Romanis materia constructum Polybiique auctoritatem ceteris longe praeferendam esse; quod tamen omnia, quae ei ex annalibus Romanis fluxisse uiderentur, continuo commenticia ueritatisque ratione contempta ad libidinem ficta esse arbitratus in historia pro nihilo duxit, hoc ne rerum Carthaginiensium quidem scriptori concedo.

1) Ita haud raro factum esse, ut ipse Liuius secum pugnaret, post alios a C. Petero (*Quellen des Livius* p. 7 sqq. 45. *Kritik* p. 82—99) pluribus expositum est.

tenore Coelii uestigia plus minusue expressa agnoscimus. cuius rei aliquot exempla libet proponere.

Velut pugnam ad Trasumennum commissam explicans Liuius in plurimis rebus ita consentit cum Polybio, ut, quoniam mihi quidem eum a Liuio in usum uocatum esse abunde constat, etiam hic quaedam ex hoc hausta esse censeam.[1]) cf. Liu. 22 c. 1, 3. c. 2. c. 3, 1—3; 5—10. c. 4, 1; 3—4; 6—7. c. 5, 3. c. 6, 5—12. c. 7, 1; 5—*iussisset;* 6—7 cum Polyb. 3, 77—85. Si unum Polybium auctorem eius pugnae haberemus, diu res esset conclamata, nam iam ante hos centum annos is locus inuentus et postea saepe numero commendatus est, quem nunc certis argumentis Kromayer euicit (*Antike Schlachtfelder* III 1 p. 148—213). est in ripae lacus parte orientali, ubi uia inter uicum Torricella montemque Colognola a lacu discedit, ut ad Perusiam uersa iugum ascendat. hic Hannibali, ut sequamur Polybium, dum iter inter montes Cortonenses a sinistra parte, lacum Trasumennum a dextra facit, locum insidiis speculanti ille *κατὰ τὴν δίοδον* se obtulit *αὐλὼν ἐπίπεδος*, in quem ab omnibus lateribus uel natura uel ab hostibus inclusum Flaminius prima luce ex castris ad ipsum lacum positis profectus iter iuxta eum permensus intrauit et fortiter cum suis pugnans trucidatus est, cum ceteri in itinere inter lacum et montes (i. e. inter uicos Montigeto et Torricella) turpiter perirent. Turbauit tamen rem Liuius. nam eum alio loco decertatum esse opinari iam in editione priore (p. CCXXVII) exposui, post me etiam Kromayer[2]), quod locum illum natum insidiis fuisse dixit, 'ubi maxime montes Cortonenses Trasumennus subiret', Romanosque 'uixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum agmen pandi coepisset' (c. 4, 2 sqq.), 'a lateribus montibus ac lacu, a fronte et ab tergo hostium acie clausos esse' (c. 5, 6). diuersae igitur de situ loci opiniones Liuio Polybioque subiectae erant. illum tamen non temere ab hoc discessisse, sed certum aliquem auctorem secutum esse, qui illa loca bene sciret, ex multis disputationibus apparet, quibus post alios maxime a Nissenio (mus. Rhen. XXII p. 565—582) et a Stuerenburgio (in program. Thom. Lips. 1883. 1889) multis uiris doctis persuasum est castra a Flaminio extra montem Gualandro, ubi nunc uia a Cortona Perusiam ducens lacum tangit, pridie pugnae posita

1) Vid. C. Peter *Kritik* p. 29—33.

2) *N. Jahrb.* XXV p. 189, postea tamen (*Ant. Schlachtf.* p. 154) ab ea sententia discessit.

esse, tum uero cladem acceptam esse in eo campo, qui per arcus speciem per quinque milia passuum a lacu ad montes patet et ab occidente iuxla illum montem perangusta uia intrari potuit, ab oriente (prope uicum Passignano) alio colle clausus est. non est meum in certamen, ubi re uera pugna commissa sit, descendere; restant enim dubitationes de locis accuratius definiendis, illud addo uiam Romanam antiquitus, cum mons Gualandro undis lacus allueretur, super eum montem ductam esse Flaminiumque intra eum castra locasse, quo graui argumento Kromayer recte sententiam suam defendit.[1]) denique ne fugit quidem Liuium diuersitas loci. nam apud Polybium Hannibal ab utraque parte post montes milites suos circumduxit (*τοὺς Βαλιαρεῖς καὶ λογχοφόρους κατὰ τὴν πρωτοπορείαν ἐκπεριάγων ὑπὸ τοὺς ἐν δεξιᾷ βουνοὺς τῶν παρὰ τὸν αὐλῶνα κειμένων ἐπὶ πολὺ παρατείνας ὑπέστειλε· τοὺς δ' ἱππεῖς καὶ τοὺς Κελτοὺς ὁμοίως τῶν εὐωνύμων βουνῶν κύκλῳ περιαγαγὼν παρεξέτεινε συνεχεῖς* c. 83, 3 sq.), contra apud Liuium (c. 4, 3) 'Baliares ceteramque leuem armaturam post montes circumducit, equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat'; nimirum ab hac parte lacus Romanos incluserat.[2]). etiam in ipsius pugnae descriptione discrepantias quasdam Liuii Polybiique offendimus. nam secundum Liuium Hannibal cum Afris Hispanisque in aperto castra locauit (c. 4, 3), ita ut Flaminius quod hostium ex aduerso erat, cerneret, ab tergo modo ac super caput deciperent insidiae[3]), atque tum demum, cum (omnes) Romanos clausos lacu ac montibus et circumfusos suis copiis haberet, signum inuadendi dedit (c. 4, 4 sq.).

Atqui ex eis ipsis rebus, quas Liuius Polybio inseruit, casu quodam contigit, ut quasdam ex Coelio sumptas esse compertum habeamus (fr. 19. 20 c. adnot.). haud dubitanter igitur quae Liuiana non

1) Scripta uirorum doctorum omnia, quibus de hac quaestione actum est, Kromayer l. s. p. 148—150 enumerauit, quorum quattuordecim causam montis Colognola susceperunt, triginta duo eam, cuius patronus Nissen exstitit (prope uicum Tuoro), sex in diuersas partes abierunt uel de certo loco desperauerunt; praeter suam quinque tabulis tabulas diversarum sententiarum depinxit.

2) Longe alia ratione Kahrstedt l. s. p. 191 sq. in hac pugna describenda Polybio Liuium nondum usum esse sed memoriam suam ex annalibus et auctore Carthaginiensi, qui quidem maiorem ei materiae partem praebuisset, contaminatam Coelio debere, quam nihil aliud quam scite et dramatice exposuisset. at qui arte contaminandi Coelii Liuium spoliat, pro re certa paene obscuram substituit.

3) In hac re facit cum Liuio Zonaras 8, 25 *ἐπὶ μετεώρου σὺν ὀλίγοις αὐτὸν ἰδὼν* (Flaminius Hannibalem).

ex Polybio originem ducunt in primis septem libri XXII capitibus, ad Antipatrum referemus. sunt autem haec: c. 1 (except. paragr. 3 dimid.). 3, 11—14 (cf. adnot. ad fr. 19), ex cap. 4 ea quae iam commemorauimus, 5, 1—2; 6; 8. 6, 1—4. 7, 5 (de Flaminii corpore); 8 nomen praetoris; 9—14. sunt autem haec ita comparata, ut et artem oratoriam facile prodant, maxime exornationes, quae prae leuibus minutiis accuratam ipsarum rerum diligentiam absterserint uel obscurauerint multaque poetarum more de hominum affectibus narrauerint, quae ab historiae Polybianae maiestate et religione abhorrerent, et Romanum auctorem militum suorum uirtutem atque etiam Flaminii constantiam defendentem cladem que soli Punicae astutiae tribuentem.

Similiter res se habet in cladis Cannensis narratione (Liu. 22, 44—50. Polyb. 3, 112—116. cf. C. Peter l. s. p. 46—48). nam etiam hic pleraque Liuius sumpsit ex Polybio, sed dilucidam expositionem neglegenter excerpendo aliasque res addendo rem peruertit et obscurauit. iam Liuii enim aetate etiam alia de clade illa fama increbuerat, qua fide historica posthabita id agebatur, ut Fabii laus eiusque qui eum secutus est, Aemilii Pauli praedicaretur, omnis culpa in Varronem neglectamque ab eo religionem auerteretur, uictoria autem Hannibalis non ingenio aut uirtuti sed solis strategematis (quae et inepte excogitata sunt et partim illis locis inutilia erant, cf. C. Peter l. s. p. 68) tribueretur.[1]) huic famae se addixerunt Appianus et Dio[2]), quaedam ex ea inspersit Liuius: c. 44, 5—7 (de consulum discordia), c. 46, 9 (Volturnus uentus aduersus Romanis coortus), 48, 2—4 (Numidarum strategema), 49, 1—12 (Pauli mors); 16—18 (Romanorum occisorum quaedam nomina et ordines). 50. 51 (quae post pugnam in castris Romanis Punicisque gesta sint). contra res quasdam ad pugnam recte intellegendam necessarias omnino omisit, expugnatam ab Hannibale arcem Cannensem, in quam a Canusio commeatus aliaeque res ad bellum administrandum utiles trans-

1) Cf. Appian. Hannib. 26: *νίκην ἀρίστην τε καὶ σπάνιον ἐξενεγκάμενος ἡμέρας μιᾶς στρατηγήμασι τέσσαρσι.*

2) Noli enim existimare Dioni bellum Punicum alterum scribenti (XIII—XVII) Liuium primarium fontem fuisse uid. infra p. ccxxxii n. hoc ea re refutatur, quod eae ipsae res, quas Liuius respuit uel breuiter commemorat, apud Zonaram uel Dionem tamquam unice uerae scriptae exstant. cf. C. Peter l. s. p. 67. 69. E. Schwartz *R. E.* III c. 1694 sq. — Kahrstedt p. 362 et Coelio et annalibus Liuio non ignotis eum usum esse censet. — De Plutarcho cf. *Quellen d. Pl.* p. 51—57. 74—80 et supra p. xcix sq.

portatae erant (Polyb. 3, 107, 2—5), proelium ante cladem a Varrone feliciter commissum, quo Romanorum animi fiducia erecti erant (c. 110, 5—7), castrorum positorum et mutatorum accuratas descriptiones numerosque additos (c. 110, 8 sqq. c. 111, 11); denique eam rem, in qua pugnae discrimen positum esset, initio neglexit, Romanorum legiones magis densatas quam mos esset, Carthaginiensium mediam aciem in lunae formam a cetera prominentem et tenuem (c. 113, 3; 9), tum uero, quasi nota esset, ipsam narrationem instituit (22, 47, 5 sqq.) aliasque res ita turbauit et obscurauit, ut Polybio ad eas ordinandas et perspiciendas opus esset.[1]) etiam discrepantiae inter Liuium Polybiumque inueniuntur (C. Peter p. 46 sq.). uelut M. Atilius proconsul Polybio teste pugnae interfuit, Liuio (c. 40, 6) morbum excusans ex castris Romam rediit; dextro Poenorum cornu apud Polybium (c. 114, 7) praefuit Hanno, apud Liuium (c. 46, 7) Maharbal, denique numerus Romanorum occisorum Liuianus multo maior est quam Polybianus. cum uero etiam in hac narrationis Liuianae parte, quae non redeat ad Polybium, quaedam cum fragmentis Coelianis (fr. 22. 25 cf. adnot.) concinant, Coelium nos habere apud Liuium contaminatum cum Polybio constare uidetur.

Sed certa quaedam Coelii uestigia etiam in aliis partibus narrationis Liuianae apparere adnotauimus ad Fab. fr. 11 et Coel. fr. 21, ubi quam postea reiecit de Fabii dictatura Coelii sententiam, eam antea sine ulla dubitatione eum amplexum esse uidimus.[2]) sed multo maior eorum euadat numerus, si Zonarae uel Dioni et Appiano Silenum primarium ducem fuisse cum Bujackio p. 31 et Meltzero p. 49 arbitrati, in quibuscunque Liuius cum eis consentit, illos Sileno, hunc Coelio — a quo Silenum in usum uocatum esse supra exposuimus — usum esse statuerimus. at etsi multa sunt quae huic opinioni fauere uideantur, atque certa quaedam ratio intercedit inter eam Liuii partem, quae non fluxerit ex Polybio, et Zonaram Appianumque uel inter illam et horum alterutrum[3]), tamen hoc mihi certum


1) Vid. Kromayer l. s. III 1 p. 330 sqq., ubi Polybii et Liuii uerba inter se comparata sunt, et p. 383 sqq. hinc editionis meae prioris indicem errorum Liuianorum cumulaui. contra Kahrstedt l. s. p. 212 sqq. contaminationem duorum auctorum etiam hic a Coelio repetiit, uid. s. p. CCXXVIII.

2) Etiam Sileni nomen Liu. 26, 49, 3 cum re ex Coelio desumptum uideri supra monuimus.

3) Vid. adnot. ad fr. 11. 18. 19. 33. 42 et quae exposita habes apud C. Peterum l. s. p. 65 sqq. cf. Schwartz l. s. II c. 218.

est, ipsum Silenum ab eis non esse exscriptum. plurima enim in eorum libris inueniuntur, quae, cum minus decerent Hannibalem, a Sileno eius amico omnino non potuerint memoriae prodi, multaque prodigia aliaeque res, quas nisi Romanus uix quisquam memoria dignas esse putauerit, quae tamen pleraque ita ab utroque exposita sunt, ut non ipsos sed eorum auctorem (uel auctores) et Sileni et Romani alicuius scriptoris famam contexuisse manufestum sit. quis autem ille auctor fuerit uel qui auctores, ne coniectura quidem adsequi poterimus, illud iure meo adfirmare posse mihi uideor, fabulas et narratiunculas ab eis etiam magis quam a Coelio factum erat, auctas, fidem autem historicam minutam esse.

Sed ut ad rem redeamus, Liuius praeter Polybium et Coelium in libris XXI—XXX etiam alios fontes citauit Cincium 21, 38, 3, Fabium 22, 7, 4, Pisonem 25, 39, 15, Claudium Acilii interpretem 25, 39, 12, Valerium Antiatem 25, 39, 14. 26, 49, 3. 28, 46, 14. 29, 35, 2. 30, 3, 6; 19, 11; 29, 7, Ennium 30, 26 et, ut eos locos mittam, ubi (ut 21, 47) diuersas eiusdem rei expositiones inscite miscuit et confudit, 23, 6, 6. 26, 49, 1 sqq. 30, 16, 12 quae tres auctores de eadem re memoriae prodidissent, aperte distinxit. ergo, quoniam de eis Liuii partibus, quae non sint ex Polybio uersae, nisi aliis testimoniis ad Coelium reuocamur, quaestio ambigua est, num recte ad eius auctoritatem referantur, ne coniecturas coniecturis cumularemus, eas hoc loco enumerare noluimus, praesertim cum de libris XXI et XXII hoc iam absoluerit pater meus, de l. XXIII—XXVII susceperit G. Michael[1]): satis mihi esse uisum est stemma quoddam depinxisse, ut quae sit nostra de Liuio sententia, dilucide explanetur:



1) *De ratione, qua L. in tertia decade opere Polybiano usus sit.* Diss. Bonn. 1867. Kahrstedt quid ipse sentiret, l. s. p. 143—362 persecutus est.

Insequenti aetate post Liuium Coelium citauerunt Valerius Maximus, qui tamen sua sumpsit aut ex Liuio (fr. 11. 19) aut ex Cicerone (fr. 50)[1]), tum Plinius tribus locis (13. 51. 56 cf. adnot. ad fr. 19)[2]) et Festus duobus (47. 64). Quintilianus de eo tacuit. Denuo autem Hadriani aetate eius memoria resuscitata est, qui imperator, ut erat uetusti generis dicendi cupidus, Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit (Spart. Hadr. 16,6) aliosque ut eum legerent adduxit. itaque factum est, ut Pomponius eum nosset, Fronto (uid. supra p. LVIII)[3]) identidem eius mentionem faceret atque quaedam ex eo etiam Gellius (in libro X: fr. 25. 59) noctibus suis insereret.[4]) denique eius amicus Iulius Paulus poeta, 'uir bonus et rerum litterarumque ueterum impense peritus' et propter summam doctrinam ab eo laudatus (1,22,9. 5,4,1. 16,10,9. 19, 7, 1), quem etiam consultum de uocum quarundam ui 'exquisite et comperte' disserentem induxit, esse idem uidetur, qui in Coelii historiarum libro primo[5]) uocabula singularia notauerat et explicauerat (Krause p. 189). sic enim ipsum loquentem induxit Charisius 2 p. 217 K.: *Coelius hist. I: 'Commodum est, satis uidetur* (fr. 24).' *'Nec enim pro sufficienti' inquit Paulus 'accipi debet sed pro pari et aequo.'* praeterea Charisius eodem se usum esse dicit 1 p. 143 K. (fr. 10): *'Saguntinorum' Coelius, 'Saguntium' Sallustius,*

1) Longam Prinsterer p. 82 sq. deduxit seriem scriptorum, qui Coelio usi essent, multa tamen quae uana sunt, pro certis affirmauit. neque enim hic agitur, qui scriptores Coelium adhibere potuerint, sed a quibus eum adhibitum esse certa uestigia exstent.

2) Praeter indd. lib. II. III. XXXI, in quibus Coelius citatus est, eius nomen etiam in indice libri XXXVI exstat. ibi tamen pro *Coelio, Galba* ex cod. Bambergensi Brunn de indic. Plin. p. 44 scripsit *C. Galba.* certa usus Coeliani uestigia apud Plinium praeter l. s. indicatos nusquam deprehendimus. De Antipatro 8, 11 uid. infra p. CCXXXVI sq. — Cornelium Nepotem supra omisimus, cum Silenum descripsisse uideatur. cf. Bujack p. 8. 14. C. Peter p. 72.

3) *Coelianum excerptum,* cuius meminit Antoninus ad Fronton. ep. gr. 6 p. 253 est Coelii Rufi oratoris, id quod ex sententiarum conexu apparet: *Materiam cruentam misisti mihi. necdum legi Coelianum excerptum, quod misisti, nec legam priusquam sensus ipse uenatus fuero. sed me Caesaris oratio uncis unguibus adtinet.*

4) Neque Cassium Dionem neque Appianum ipsum Coelium adhibuisse mihi satis certis argumentis Zielinski (*Die letzten Jahre* p. 118 sqq. 144 sqq.) demonstrasse uidetur. uid. s. p. CCXXIX n. CCXXX sq. apud Plutarchum nullum eius uestigium cernitur.

5) Hunc enim solum librum addito libri numero laudauit Charisius. similiter ex Sisennae Milesiis solum laudauit librum tertium decimum.

ut Paulus in Coelii hist. lib. I notat[1]) et p. 126 K. quo loco item illa duo nomina coniuncta sunt, neque dubito, quin etiam ceteri Coelii loci, quos citauit Charisius (12. 15. 27. 60), non ex ipso excerpti sint sed cum interpretatione ex Pauli libro, qui etiam in Afranio similem curam posuisse uidetur (Charis. 2 p. 241 K. '*Spattaro' Afranius in Aequalibus, quam uocem frequenter apud eum positam ait Paulus ἐξουθενισμοῦ uim sensumque sufferre*).[2])

Num uero praeter hunc Paulum etiam alii grammatici, quorum studium talia aucupandi ultra Hadrianum durauit, ut Statilii Maximi, singularium apud Catonem et Ciceronem interpretis, ex Coelio uerba singularia collecta explicauerint, nunc discerni nequit. illud uix quisquam dubitabit, quin Nonius, qui duodecim locis Coelium laudauit ('annales' 5. 7. 9. 23. 30. 38. 41. 43. 44. 45. 46. 57), aut Priscianus, qui tredecim ('historias' 2. 3. 4. 6. 8. 22. 26. 32. 36. 37 c. adn.), non ipsum Coelium excerpserint sed aliorum thesauros Hadriani aetate completos, in quibus exempla, qualia requirebant, iam congesta inuenirent, expilauerint. idemque cadit in eos, qui excerpta Bobiensia de uerbo (fr. 16) et scholia Vergilii Leidensia et Bernensia composuerunt (fr. 35 cum adn.), et in Philargyrium (48), qui singulis locis Coelii meminerunt, denique in Seruium, qui septies (31. 35. 52. 53. 54. 55. 58) aut uerborum aut rerum causa Coeliana protulit. Martianum Capellam Coelii notitiam debere Plinio (adn. fr. 56) et Macrobium Gellio (adn. fr. 25)[3]) in adnotatione monuimus. Nominis igitur memoria a grammaticis propagata est, ipse tamen legi desitus, neque inter fragmenta Ammiani l. 15, 10, 10 recepi, ubi Woelfflin (*Antiochos u. Coelius* p. 55) sagaci illa quidem sed parum firma coniectura eius uestigium indagasse sibi uisus est; quae de usu Coelii apud Diodorum, Florum, Eutropium, Aurelium Victorem, Orosium coniecturae prolatae sunt, uix ad ueri similitudinem accedunt.

Superest ut de fragmentis quo iure ea receperimus, disputemus. atque de eis quidem quae num. 1—60 insigniuimus, uix

1) Cf. similem dictionem Gell. 6, 9, 11: *Aelium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium scripto 'occecurrit' dixisse, Probus adnotauit et haec eius uerba posuit: — Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII 'speponderant' scripsisse annotauit uerbaque eius haec posuit:* fr. 57.

2) Suidas IV p. 147 Bhdy in septem scriptorum numero qui Pauli nomen gesserunt, etiam Paulum quendam Tyrium rhetorem adfert, qui Hadriani aetate Τέχνην ῥητορικήν, Προγυμνάσματα, Μελέτας composuit, sed in neminem melius ille de Coelio liber quadrare uidetur quam in Gellii litteratum amicum.

3) Vnde famam Coelianam fr. 17 nouerit, non liquet.

lis exorietur. nam quamquam fr. 2 et 26 Meyer orat. p. 469 in Coelio Rufi orationum reliquiis posuit, tamen illud quiuis rectius Coelii historico tribui concedet, atque etiam alterum (26) eam ob causam eiusdem esse sine dubitatione censeo, quia nusquam[1]) Priscianus, apud quem utrumque exstat, Coelium Rufum laudauit, saepe Coelium Antipatrum, eumque (ut hic) semper uno Coelii nomine, cui aliis quidem locis etiam libri, unde quodque fragmentum originem duceret, numerum adscripsit. ne ex eis quidem fragmentis (5. 57, uid. appar. cr.), quae sub Caecilii nomine in quibusdam Nonii libris manu scriptis propagata sunt, cum argumento ex historiis aut orationibus ea sumpta esse indicetur, timeo, ne aliquod O. Ribbeck Caecilio uindicet.[2]) de Coelio autem Rufo etiam hic cogitari ideo nequit, quod apud Nonium alia eius uestigia non reperiuntur, cum ex orationibus, quas Antipater finxit, idem etiam alia fr. seruauerit (23. 45).

At dubia res est, num fr. 61—65 ad Antipatrum recte pertineant. etenim fr. 61 etiam ex Coelii Rufi orationibus decerptum esse potest, quem, cum de aquis orationem habuerit, haud improbabiliter Meyer p. 470 in illa his uocabulis *perpetuum salientem* usum esse suspicatur. magis mireris, quod fr. 62 in incertis exstare uolui. semper tamen Priscianus, cui hoc fr. debemus, uno Coelii nomine Antipatrum, etiam p. 383 H., qui locus proxime antecedit, significauit; itaque quoniam in l. VII paulo ante de eadem re agens (p. 380), item inter multa alia testimonia, Lucium Caesarem citauit[3]), in sexto autem p. 270 H. '*Caesarem in auguralibus*', errore L. Caesaris nomen post uarias corruptelas L. Caelio cessisse uidetur. cf. Nipperdey in edit. Caes. mai. p. 785. — fr. 63 et 64 lacunis ita sunt deprauata, ut certum iudicium ferre non sim ausus. fr. 64 ne Coelii quidem nomen integrum mansit; solis enim litteris *lius* libri Festi incendium pepercit, etsi Mercklinium (*Obseru. ad Fest.* p. 14 ind. lect. Dorpat. 1860) uerum uidisse uix concedam Gellii nomine lacunam explentem; Coelius enim etiam alio loco (fr. 47) a Festo laudatus est, Gellii historiae numquam. — at fr. 65 libenter Gellio tribui, quo-

1) In codd. Prisciani XIII p. 8 H. oratio quaedam M. Coelii de uestitu et uehiculis laudatur, sed ex altero loco, ubi eadem uerba inserta sunt VI p. 226 H., nunc recte M. Catonis nomen restitutum est. cf. Hertz adn. a. h. l.

2) Contra quae alia fr. Caecilii comoediae inscriptione omissa a Nonio proferuntur, aperte numeros et originem comicam prae se ferunt.

3) In omnibus libris mss. utroque loco ubi Lucius Caesar laudatur, uel Lucii praenomen omnibus litteris exaratum est uel Lucilii substitutum.

niam eandem caluariae formam Charisius duobus locis et Priscianus (uid. Cn. Gell. fr. 26 c. adn.) ex Gellio notauerunt, ex his autem scriptoribus Flauium Caprum uel quisquis illa de orthographia conscripsit, sua hausisse ueri simile est.

Haec igitur, cum de eis dubitationi locus sit, infra in fragmentis deesse noluimus. contra exclusimus haec quae uulgo Coelio Antipatro tribuebantur:

1. Charis. I p. 138 K. (Krause p. 194. Roth. fr. 3 p. 314): *Coelius tamen ait per i locutos quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliori scriptum rettulisse.* sed hic locus ita in codice Neapolitano scriptus est: *Nobiliore comparatiua Plinius e putat abla finiri stn̄ ait per i locutos quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliori scripta retulis.* nusquam igitur Coelii nominis uestigia uides, et ne locus quidem, ubi historici alicuius fragmentum latere uideatur, ibi indagari potest. de emendatione horum uerborum adeas H. Keilii adnotationem.

2. Quae fragmenta Gellius ex Claudii Quadrigarii primo annali laudauit (fr. Claud. 13. 22. 23. 24), eadem Nonius ut ex Coelii annali primo sumpta esse inseruerat (Krause p. 119), quam rem C. Peter (*Das Verhaeltniss des Liu. u. Dion. zu einander* etc. p. 5) ita expedire studuit, ut ex more, quo illorum temporum historici aliorum uerba non mutata in suos libros transferre solebant, etiam haec Claudium ex Coelio mutuatum esse coniceret. sed primo quas res Claudius primo libro tractauit (ab anno 390. 364 usque ad a. 311. 443 uel ad finem belli Samnitici), Coelius aut omnino non attigit aut, si attigit, breuiter et in transcursu, ut Claudius in hac narrationis suae parte uix Coelio fonte uti potuerit, deinde certa quaedam uestigia exstant, quibus Nonium ut multa ita etiam haec ex Gellio neglegenter exscripsisse indicetur. unum enim ex fr. illis (22) ita exhibuit Nonius *Arma plerique abiciunt atque inermis in latebras se inlatebrant.* ubi quod Kretzschmer (*De Gell. font.* p. 33) comparatis Gellii uerbis *Arma plerique abiciunt atque inermi inlatebrant sese. inlatebrant uerbum poeticum uisum est,* Nonii illud *in latebras sese illatebrant* nisi ex Claudii uerbis Gelliique interpretatione temere confusis explicari non posse censuit, idem etiam hic Nonium ex Gellio pendere neque quidquam ualere Nonii in historici nomine discrepantiam docuit. cf. Hertzii Gelliana p. 106 sqq. et adnot. nostras ad Claud. fr. s. s.

3. Quintil. 1, 5, 61: *Ne in 'a' quidem atque 's' litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque*

et apud Caelium legimus 'Pelia cincinnatus' et apud Messalam 'Bene fecit Euthia' et apud Ciceronem 'Hermagora', ne miremur, quod ab antiquorum plerisque 'Aenea' et 'Anchisa' sit dictus. et 1, 6, 42: *Neque enim 'tuburchinabundum' et 'lurchinabundum' iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec 'hos lodices', quamquam id Pollioni placet, nec 'gladiola', atqui Messala dicit, nec 'parricidatum', quod in Caelio uix tolerabile uidetur, nec 'collos' mihi Caluus persuaserit; quae nec ipsi iam dicerent* (Krause p. 194. 195). Haec uerba recte rettulerunt Prinsterer p. 74 sq. et Meyer p. 467 sq. ad M. Coelium Rufum, cuius saepe meminit Quintilianus. suadet hoc et Messallae, Ciceronis, Calui uicinitas et Taciti iudicium (dial. 21), quo antiquitatem sectatum esse Rufum confirmatur. Coelium autem Antipatrum nusquam nominauit Quintilianus.[1])

4. Cic. de orat. 3, 38, 153: *Inusitata sunt prisca fere ac uetustate ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae. sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius 'Qua tempestate Poenus in Italiam uenit', nec 'prolem' aut 'subolem' aut 'effari' aut 'nuncupari', aut, ut tu soles, Catule 'non rebar' aut 'opinabar', aut alia multa, quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe uideri solet.* Haec uerba propter Poeni commemorationem ab omnibus sine dubitatione Antipatro assignabantur, donec Meltzer p. 36 potius C. Coelium Caldum oratorem (cf. Muenzer *R. E.* IV c. 195 sq.) significatum esse perspexit. cum enim aperte loqueretur Crassus de eis tantum modo praeceptis, quae oratoribus essent seruanda, ex historiis exemplum petere omnino non potuit. at C. Coelius Caldus, qui tribunus a. 107. 647, consul 94. 660 fuit et tum maxime (habitum enim de oratore dialogum Cicero a. 91. 663 fingit) eloquentia florebat, quem etiam 1, 25, 117 Crassus aequalem suum dicit, optime hic locum suum habet.

5. Duos Solini locos, quos etiam Krause p. 201 dubitanter in Coelianorum fr. numero posuit, unum ex librorum auctoritate, alterum de coniectura nos Cn. Gellio reddidimus (fr. 7 et 9). uide supra p. CCVII sq.

6. Plin. n. h. 8, 11: *Antipater auctor est duos* [elephantos] *An-*

---

1) Quod Nauta p. 51 huius Coelii fr. 41 posuit: Quintil. 8, 3, 35 *Coelius ac Sisenna 'Albenti coelo'*, euanuit codicibus diligenter excussis. nunc enim locus ille sic scribitur: *Idem putat a Terentio primum dictum esse obsequium, Caecilius a Sisenna 'Albenti caelo'*.

tiocho regi in bellicis usibus, celebres etiam nominibus fuisse. etiam nouere ea (Krause p. 200). sed hic Antipater, quod iam Vossius monuit De hist. graec. III p. 391 Westerm., non fuit Coelius sed scriptor quidam Graecus, uel is qui librum conscripsit *περὶ ζώων* (schol. Apoll. 89 p. 392 M.), uel cognatus et dux regis Antiochi Magni (Wilcken *R. E.* I c. 2512). nomen eius in externis eius libri auctoribus a Plinio allatum est, idque propter hunc locum; ita enim respondent auctores indicis ipsis laudationibus: Herodotus paragr. 7. Antipater paragr. 11. Aristoteles paragr. 28. Demetrius physicus paragr. 59. Democritus paragr. 61. Coelii nomen in huius libri indice non exstat.

7. In Strabonis loco quodam (5, 3, 3 p. 230), quo de Romae origine agitur, Cramer et Meineke de coniectura — libri enim exhibent ὁ *κεκύλιος* uel ὅ *γε κύλιος* — Coelii nomen substituerant. sed Schwegleri coniecturam, qua ὅ *γ' Ἀκύλιος* emendauit, multo praeferendam esse docuimus supra p. CXXII sq. itaque apud nos est fr. C. Acilii primum.

Denique ne quid desideretur, non persuasit mihi Nipperdey (*Opusc.* p. 401) apud Festum s. u. Mamertini p. 158, ubi, postquam pluribus, unde Mamertini nomen inuenissent, exposuit, haec adiecit *Cuius historiae auctor est Alfius libro primo belli Carthaginiensis,* pro *Alfio* reponendum esse *Coelium.* nulla enim est causa cur de Alfii nomine, ex qua familia etiam alii scriptorum laude inclaruerunt, dubitemus. accedit quod ne ueri simile quidem est, Coelium tam copiose in belli alterius Punici historia de Mamertinorum nomine egisse. itaque Alfius infra locum suum obtinuit. Etiam apud Arnobium 3, 40, qui Caesium quendam de dis penatibus disserentem inducit, iniuria Caesii nomen Canterus in Caelium mutauit. intellegendus est Caesius Bassus et poeta et grammaticus, de quo Persii amico uid. O. Iahnium in comm. ad Pers. p. 211—214. proleg. p. XXVIII et Skutschium *R. E.* III c. 1312 sqq. Agmen claudat hic locus a Prisciano laudatus (8 p. 382 H.): *Inpubes libripens esse non potest neque antestari.* quem altera codicis Halberstadiensis manus Coelio assignauerat, nunc uero Hertz meliores libros, qui tantum non omnes *melius* praebent, secutus detraxit et aut ad C. Aelium Gallum, qui librum de significatione uerborum, quae ad ius ciuile pertinent, scripsit, aut ad M. Liuium Drusum, quorum uterque iuri operam dedit, rettulit (uid. eius adnot. ad Prisc. l. s. et *De Liuii fr. comment. part. II* p. 17 sq.).

Fragmentis Coelianis duo fragmenta subiunxi 'eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt'; horum enim ille Antipater quasi chorum duxit.

⟨PAVLVS⟩ CLODIVS[1])

C. Clodium Licinum hinc in alterum uolumen relegaui (p. CVII sq. 77 sq.), sed etiam quae hic relicta sunt duo fragmenta incerta sunt. eorum prius titulo a Q. Claudii Quadrigarii annalibus distat, argumento ut initium eorum defendens[2]) consentit, alterum praenomine ab eis distinguitur. itaque quoniam frustra in *Παύλῳ* nomine mutando laboratum est[3]) (nam etiam praenomine Pauli Romani usi sunt, Mommsen *R. F.* I p. 34 sq.), temporum autem ratione Quadrigarius ex Ciceronis indice ueterum historicorum Latinorum saepe laudato excluditur, hunc Paulum cum Ciceronis Clodio coniunximus et hoc loco inter Coelium et Asellionem interposuimus. haec enim

1) Vt numerum eorum, qui tum ad historiam accedere possent, angustum fuisse monstrem, alios Clodios uel Claudios (praeter Quadrigarium) recensebo: Appius Claudius Pulcher cos. a. 54. 700, mortuus a. 49. 705. is, ut ait Cicero (Brut. 77, 267) 'et satis studiosus et ualde doctus, tum etiam exercitatus orator et cum auguralis tum publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit', librique eius augurales, quorum etiam fragmenta pauca apud Festum ad nos peruenerunt (Bremer Iur. anteh. I p. 243 sq.), commemorantur a Cicerone eius amico in epistula quadam ad eum data (ad fam. 3, 11, 3), praeterea nihil de studio eius litterarum accepimus. cf. de eo Drumann-Groebe II p. 186 (160) sqq. Muenzer *R. E.* III c. 2849. Hic certe nobilis fuit ut ceteri eius aetatis historici, at inter eos locum non obtinuerunt Seruius Clodius, eques Romanus, Aelii Stilonis gener, grammaticus (Suet. de gr. 2 p. 101 Rf.), qui multum in glossis interpretandis uersatus est (Goetz *R. E.* IV c. 65 sq.), Sex. Clodius rhetor (Suet. de gr. et rh. 29 p. 124 Rf.), M. Antonii triumuiri magister, fortasse idem, qui Graece de diis scripsit (Arnob. 5, 18. Lactant. inst. 1, 22, 11), Clodius Tuscus, item grammaticus, is qui ephemeridem Augusti aetate scripsit (Funaioli p. 467. Schanz II 1[3] p. 529 sq.).

2) Niebuhr H. Rom. II 3. Schwegler I 39 n. II 11 n. 5. Niese *R. E.* III c. 2859.

3) *Κοΐντῳ* uel *Κουαδριγαρίῳ* Schweighaeuser, *Πουβλίῳ* uel *Ποπλίῳ* Lachmann De font. Liu. I p. 36 n., *Πωλίωνι* Hulleman *De Paulo qui fertur Claudio* p. 4.

ille (de legg. 1, 2, 6): *Ecce autem successere huic belli Clodius*[1]*, Asellio, nihil ad Coelium sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam.* quem autem citauit Plutarchus libellum ἔλεγχον χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον), is item in temporibus examinandis uersatus erat et quasi fundamenta ταῖς χρονικαῖς συντάξεσι Appiani substruxerat, ut haud absurde haec fragmenta ad idem opus referri potuerint.

1) Sic exhibet liber Heinsianus a sec. m. *glodius* Voss. 84 et 86 a sec. m., *gladius* Voss. 86 a pr. m.

CN. AVFIDIVS[1])

Cn. Aufidii historiae memoria una mentione continetur Ciceronis (Tusc. 5, 38, 112): *Pueris nobis Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat* [etsi caecus erat] *nec amicis deliberantibus deerat et Graecam scribebat historiam et uidebat*[2]) *in litteris.* eundemque etiam ipse uiderat et audiuerat (de fin. 5, 19, 54): *Equidem e Cn. Aufidio praetorio, erudito homine oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moueri diceret.*

Praeterea certo hoc accepimus, cum liberis orbatus esset (quem dolorem fortiter sustinuit, Cicero p. 991 ed. Orell.² p. 337 M.), adoptatum esse ab eo Oresten e gente Aurelia (Cic. de dom. 13, 35), cetera tamen quae de eo identidem recocta sunt, aut dubia aut falsa sunt, tribunatus a. 114. 640, quem Plinii nat. hist. loco quodam (8, 64) abusus Pighius finxit, ab Harlessio (p. 48) ad tribunatum alius Cn. Aufidii a. 170. 584 rectius relatus (cf. Klebs *R. E.* II c. 2288 sq.), aut praetura Asiatica a. 107. 647, quae utrum ab hoc patre an ab eius filio cos. a. 71. 683 administrata sit, incertum est. neque enim annus constat.[3])

Reliquiae eius historiae a. fere 90. 664 scriptae ad nos non peruenerunt. nam unus locus, quem in eis posuit Krause p. 298 (et Roth p. 326), prodiit ex officina eius qui librum de origine gentis

1) W. Harless *De Fabiis et Aufidiis rerum Rom. scriptoribus* (diss. Bonn. 1853) p. 45—52.

2) Sic enim recte libri, minus apte Bentley *uiuebat.*

3) Hanc quaestionem Rothius p. 326 mouit, qui primus inscriptionis cuiusdam (apud Boeckh. *C. I. Gr.* tom. II p. 1063 n. 2349ᵇ) meminit, quo Adramyteni iudicibus ex aliis ciuitatibus ut lites dirimerent arcessitis gratias agunt; eius prima uerba haec sunt: *Ἀρχόντων γνώμη περὶ ὧν προεγράψαντο καὶ ἡ βουλὴ προεβούλευσεν, [περὶ τ]ῶν παραγεγονότων δικαστῶν ἀπὸ τῆς [ξέ]νης [δεδι]κακότων τάς τε κατὰ τοὺς νόμους συνεστηκυίας δίκας κα[ὶ τ]ὰ [ἀ]ναπεμφθέντα [δόγματ]α ὑπὸ Γναίο[υ Α]ὐφιδίου Γναίου ὑοῦ τοῦ ἀν[τι]στρατήγου.* supplementa sunt Boeckhii.

Romanae (18, 4) ficticiis laudationibus exornauit, alter, quo uniuersae Armeniae magnitudo (ap. Plin. n. h. 6, 27) definitur, fuit Aufidii Bassi, ut nunc in uolum. II p. 98 suo loco repositus sit. neque enim plebeia gens Aufidia, quae uix centum annis ante in uitam publicam processerat, multas res habuit quibus gloriaretur, aut multos gentiles qui legerent et diuulgarent, praesertim cum doctrinam suam iactans Graeco sermone (hoc enim *Graeca historia* dicit, uid. supra p. CXVIII sq.) usus esset Latinusque tum historiam Romanam occupasset. In litteris tamen post eum etiam alii Aufidii uixerunt.

SEMPRONIVS ASELLIO[1])

De uita Sempronii Asellionis, cui qua auctoritate a Popma, Lachmanno, Krausio Publii praenomen adscriptum esset frustra quaesiui, hoc a Gellio accepimus, eum sub P. Scipione Africano tribunum militum (cum Rutilio Rufo, item tribuno militum App. Iber. 88 et C. Lucilio, qui satiras scripsit, Vellei. 2, 9, 4) ad Numantiam fuisse (fr. 6), id est annis 134. 620 et 133. 621, quibus Scipio in Hispania rem gessit. libri autem eius descenderunt minimum usque ad annum 91. 663 (fr. 11, uel 86. 668 aut 83. 671 cf. adn. ad fr. 13), unde eum et summa senectute ad historiam sese conuertisse apparet et perpaucis annis, postquam uel equo uel inter contubernales comitesue merere coepit, ad illum tribuni magistratum prouectum. natus igitur est ante a. 150. 604 i. e. duodeuiginti annis ante tribunatum, ita tamen ut ultra annum 160. 594 uix regredi liceat. historiae scriptae esse uidentur inter annos 90. 664 et 80. 674. quocum tempore optime concinit Cicero, qui l. s. s. eum post Clodium Coelio Antipatro successisse scripsit.[2])

Appellauit autem eum, ut eius languorem et inscitiam reprehenderet. de ratione tamen historiam scribendi se diligenter meditatum esse ipse pluribus in prooemio professus est (fr. 1. 2). duas enim res sibi proposuerat, non tantum modo ipsa facta enumerare sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare,

1) W. Stelkens, *Der roemische Geschichtsschreiber Sempronius Asellio* (Progr.) Crefeld 1867. W. Eggert, *Sempr. As. quem locum quamque uim inter hist. Rom. habuerit.* Diss. Rostoch. 1869. ex illo libello pauca adnotaui, ex hoc nihil.

2) A. quidam Sempronius Asellio a. 89. 665 praetor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab eis qui faenerabant, in foro occisus est. Liu. per. 74. Valer. Max. 9, 7, 4. App. b. c. 1, 54. quem caue cum Rothio p. 323 confundas cum historico. nam qui, ut de aliis difficultatibus taceam, a. 134. 620 tribunus militum fuit, uix quadraginta quinque annis post praetor creatus est. meliore iure eundem hunc historicum esse censeas cum Lucio Asellione, a quo praetore a. 100. 654 egregie Siciliam prouinciam administratam esse scripsit Diodorus 36, 8, id quod post alios suasit Stelkens p. 11.

tum bonis uiris ad rem publicam defendendam excitatis, segnibus a prauis rebus deterritis rei p. prodesse[1]); denique aliquo loco res, nisi quibus ipse interfuisset, se non scripturum esse eum praedicasse ex fr. 6 consequitur. atqui iuuenes illos in Scipionis contubernio Numantino de Polybii historia collocutos esse Asellionemque eam cognouisse exponere uix pluribus uerbis opus est. itaque quae in Asellionis prooemio cum ea consentiunt, haec ab ipsa didicit, de *ἀποδεικτικῇ ἱστορίᾳ*, quam nos pragmaticam dicimus, et de utilitate historiae, quam non ut Cato et Piso ad mores ciuium emendandos rettulit, sed ut Polybius ad rationem rei p. administrandae perspiciendam, et de materiae circumscriptione.[2]) simul Ciceroni Coelii admiratori languidam et inscitam eius historiam uisam esse

1) Duae in fr. 2 insunt difficultates diuersis rationibus temptatae (quas in appar. crit. enumeratas reperies, ipse codd. scripturam maxima ex parte retinui). nam primum accusatiui adiect. *alacriores* et *segniores* adiectiuorum prolepticorum modo cum uerbo *commouere* coniuncti sunt, quorum usus apud poetas frequens est, ab historicis non spretus (cf. ex exemplis apud Kuehnerum *Ausfuehrl. Lat. Gramm.* II p. 179: Liu. 21, 33, 3: *utraque simul obiecta res oculis animisque inmobiles parumper eos defixit* et Weissenborn-Mueller a. h. l.), tum formae comparat. adi. et *alacer* et *segnis* cum praepositione *ad* construi solent: Auct. ad Herenn. 2, 30, 48: *multos alacriores ad maleficia futuros.* 2, 31, 50: *nos alacriores ad relicum persoluendum.* Cic. de fin. 1, 10, 34: *nec segniorem ad respondendum reddidisti.* pro Font. 7, 17: *segniores ad imperandum.* Liu. 24, 13, 11: *segnior ad credendum factus.* cf. Nep. Thras. 2, 2. *segnis* autem non modo est is, qui piger in faciendo sed omnino is, qui inhabilis ad faciendum (cf. Verg. Aen. 10, 619), oppositus *strenuo* (*πολιτικῷ* Polybii, cf. Plaut. Truc. 493: *Strenui nimio plus prosunt populo quam argute cati*). denique omnis offensio subleuatur, si pro *quicquam* reposueris *quosquam.* in altero enuntiato fr. 2 duplex illud '*iterare id fabulas*' suspicionem plerisque uiris doctis mouit; alterutrum igitur ab eis de contextu expulsum est. uerum tamen, si leniter *ex eo libro* in *ex eo bello* mutaueris, usque ad prius *iterare* oratio bene fluit, sed etiam, nisi uerba quaedam delere mauis (cf. app. crit.), reliquum, dummodo ad prius *fabulas* ex seqq. subaudias *narrare est,* et hoc dilatum et post uncinos, intra quos quae breuius iam fr. 1 extr. professus erat commonet, cum amplificatione puerorum repetitum sententiam clausisse concedas.

2) Cf. Polyb. 4, 2, 2 [ubi se ad opus suum adductum esse primum Arati historia exposuerat]: *δεύτερον δὲ διὰ τὸ καὶ τοὺς χρόνους οὕτως συντρέχειν τοὺς ἑξῆς καὶ τοὺς πίπτοντας ὑπὸ τὴν ἡμετέραν ἱστορίαν ὥστε τοὺς μὲν καθ' ἡμᾶς εἶναι τοὺς δὲ κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν, ἐξ οὗ συμβαίνει τοῖς μὲν αὐτοὺς ἡμᾶς παραγεγονέναι τὰ δὲ παρὰ τῶν ἑωρακότων ἀκηκοέναι.*

intellegimus spretumque eum esse in rhetorum scholis et ab eorum imitatoribus.

De inscriptione autem operis hoc quidem ex ipsius uerbis (fr. 1) certo constat, Asellionem libros suos non inscripsisse annales, neque umquam hoc nomine citati sunt. sed utrum *rerum gestarum libros* an *historias* praeferamus, incerti haeremus. utrumque enim haud spernendis testimoniis nititur, illud Gellii (fr. 6. 10. 11. cf. etiam Charis. fr. 13), hoc Charisii (12), Nonii (4. 2 A), Seruii (14) et schol. Bernensis (9), Prisciani (3).[1] cum autem Asellio fr. 1 se eorum sententiam, qui 'res gestas' a Romanis perscribere conati essent, amplexum esse significauerit atque Gellius ipsum Asellionem in manibus habuisse uideatur, magis inclino ad eam inscriptionem, quam auctoritas tuetur, quam ad historias, quas testium numerus. forsitan rerum gestarum libros inscribens uertere in animo habuerit Graecorum πραγματείαν.[2])

Sermo librorum fuit patrius (fr. 1—6. 10—14). non omnes autem res a Romanis gestas enarrandas suscepit, sed a ratione ueterum annalium scriptorum etiam in hac re digressus Graecosque imitatus eas tantum modo, 'quibus gerendis ipse interfuit' (fr. 6), ita tamen, ut illorum exemplo terminum illum ultra suae uitae spatium remoueret et de Lepidi consulatu a. 137. 617 (fr. 4) et de extremis belli Numantini annis (uid. fr. 5 cum adn.) iam in libro quarto ageret; tum quinto libro Ti. Gracchi mortem exposuit (fr. 7), quarto decimo, si Rothii coniecturam admodum probabilem sequimur, M. Liuii Drusi necem (fr. 11). sed quod Charisius rem quandam ex quadragesimo libro se sumpsisse adfirmat (13), procul dubio aut ipse aut librarii errorem commiserunt. nam siue illa ad a. 86. 668 siue ad a. 83. 671, ultra quos annos propter aetatem uix descendere potuit, pertinet (cf. adn. ad fr. 13), quis, cum antea circiter quaternorum annorum res singulis libris complexus esset, tunc singulorum annorum rebus etiam ternos libros eum expleuisse credat? minus mihi ut in re incerta esse exploratum uidetur, quo modo numerus ille corruptus restituendus sit.[3])

De fide Asellionis nihil compertum habemus. nam quamquam quibus rebus gerendis aut ipse interfuisset aut quas ab aliis, qui

1) Minus accurate Gellium fr. 5 citare uoluisse per se manifestum est.

2) Etiam Stelkens p. 14 hanc inscriptionem praefert, sic eam constituens *Asellionis rerum a Romanis gestarum libri XIV (uel XV)*.

3) Muenzer (Herm. XXXII p. 472) hunc numerum uanitate grammatici alicuius fictum esse coniecit.

interfuissent, audire posset, scripsit, tamen nemo rerum scriptor eum laudauit, ut quae ex eius libris fragmenta seruata sunt, soli grammaticorum diligentiae, qui uerborum causa eius libros peruoluerant, debeamus. quid? quod praeter Ciceronem ante Hadriani aetatem omnino nemo eius ne mentionem quidem iniecit[1]) atque ne in Gellii quidem notitiam, apud quem dimidia fragmentorum pars (1. 2. 5. 6. 7. 8. 10. 11) exstat, peruenit, nisi posteaquam noctes Atticae iam ad finem perductae sunt (Mercklin *Citiermethode d. Gell.* p. 704 adn.). cetera fragmenta leguntur duo apud Nonium (4. 2 A), singula apud Seruium (14), Priscianum (3), in scholiis Vergilii Bernensibus (9), duo apud Charisium (in eo capite quod est de aduerbio, fr. 12. 13). de his tamen uix dubium erit, quin ipsi Asellionem non inspexerint sed ex libris aliorum grammaticorum, qui accurate etiam numeros librorum addiderant, eius fragmenta transtulerint, id quod de Charisio etiam pro certo haberi potest, nam is, cum alteri loco (fr. 13) adscripserit *ubi Fl. Caper 'quamuis artificiosus dici non possit, ut malitiosus'*, aperte significat se Asellionis uerba sumpsisse ex Fl. Capro, qui — incertum est qua aetate — de dubio sermone libros conscripsit et, ut erat uerborum antiquorum studiosus, multa ex antiquis potissimum scriptoribus exempla collegit.

1) Hic illic consensus quidam cum Appiano (cf. adn. ad fr. 5. 7. 11) animaduersus est, etiam cum Plutarcho (adn. ad fr. 7), neque tamen eos Asellione usos esse crediderim.

M. AEMILIVS SCAVRVS

Vidimus medio saeculo urbis septimo duo noua historiae genera effloruisse, rhetoricum et pragmaticum. sed eodem tempore homines quidam nobilissimi etiam uitas ipsi suas describere coeperunt, M. Aemilius Scaurus et P. Rutilius Rufus, Q. Lutatius Catulus et L. Cornelius Sulla.[1]) quamquam enim iam antea fuerant qui res a populo Romano gestas enarrantes etiam suas res innecterent atque — id quod Catonem fecisse certo accepimus — in eis laudandis et praedicandis haud parci essent, tamen illi ut eis tantum modo factis, quae ad rem publicam spectarent, aliquid tribuendum esse existimauerant, ita quae memoriae mandarentur solas has res dignas duxerant, quibus rei publicae utilitatibus seruiissent, neque eas in historia a re publica ausi erant separare. itaque quod ei de quibus nunc loquimur suas uitas separatim edidere, imitati sunt eorum adrogantiam, qui inter maiorum suorum statuas etiam suis templa aliaque publica aedificia ornauerunt (*Wahrheit u. Kunst* p. 297 sq. 212 sq.), fortasse etiam Arati opus a Polybio propter ueritatem et diligentiam laudatum; est tamen hoc senescentis patriae amoris et ingrauescentis sui ipsorum partiumque cupiditatis, quae et in re p. et in litteris tum prouenire coepit.

Atque Sullam quidem postea demonstrabimus id commentariis suis egisse, ut res suas, quippe quas diuinitus adiutus gessisset, celebraret et crimina in se collata defenderet, neque pepercisse eum laudi suae gloriaeque et per se credibile est et compluribus locis confirmatur. etiam Catuli aliquot uestigiis indicatur hoc consilium fuisse, ut laudem suam, quam Marius obscurauerat, in lucem reuocaret et inlustraret. at de eis, qui primi huic historico generi ope-

1) De eis peculiaribus libris egere L. Wiese, *Commentatio de uitarum scriptoribus Romanis.* Progr. gymn. Ioachimsth. 1840. W. H. D. Suringar, *De Romanis autobiographis siue iis qui de sua ipsi scripserunt uita.* Lugd. Bat. 1846. G. Misch, *Gesch. d. Autobiographie* I p. 110 sqq. 126 sqq. — E. Pais, *I frammenti all' autobiografia di M. Emilio Scauro e la Lex Varia de maiestate. Estratto dai Rendiconti d. acad. dei lincei* X 2 p. 50—60.

ram dederunt, de Scauro et Rufo nihil nisi hoc memoriae traditum est, spreta eos modestiae specie, qua qui nunc uitas suas legendas proponunt, uti decorum esse existimant uel potius existimabant, cum in suis rebus praedicandis aliena esset ueteribus, non esse ueritos de se quod sentiebant aperte proferre[1]), quae laudatio sui tum omnino fastidium aut molestiam non excitabat, quamquam Scaurus in narrando etiam suam personam induxit (fr. 3. 6). haec enim sunt Taciti uerba memoratu digna in uita Agricolae c. 1: *Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam uirtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi uitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo uirtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.*

M. igitur Aemilius Scaurus[2]) anno 162. 592[3]) genere ille quidem patricio sed pauperibus parentibus et obscuris maioribus natus erat. nam pater, Marci praenomine (act. triumph. Capit. C. I. L. I[2] p. 49 Momms.), carbonarium negotium exercuerat (Aurel. Vict. de uir. ill. 72). etiam ipse aliquamdiu num patris uestigia secutus argentariam faceret dubitauit (Aur. Vict. l. s.), tum uero cum summo arderet potentiae et honorum studio rem p. capessere statuit atque, etsi paruulam hereditatem a patre acceperat (fr. 1) et haud raro rerum inopia impediebatur, industria, ingenio, prudentia, calliditate hoc effecit, ut iam in consulatu princeps senatus dictus 'memoriam prope intermortuam generis sui renouaret' (Cic. pro Muren. 7, 16). ad hunc tamen honoris gradum ei aeque ac nouo homini enitendum et laborandum erat (Ascon. l. s.). primo autem in Hispania publice

---

1) Cf. Cicero ad fam. 5, 12 (ad Lucceium), 8: *Scribam ipse de me multorum exemplo et clarorum uirorum.* Plutarchus in libello suo '*Περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως' τὸν πολιτικὸν ἄνδρα* se ipsum laudare etiam debere exemplis docuit. uid. Wiese p. 13 sq. Suringar p. 1 sq.

2) Eius uitam exposuere Des Brosses, *Vie de Scaurus pour servir de supplément aux mémoires écrits par lui-meme. Mémoir. des inscr.* XXIV p. 235—260. Drumann I p. 25—28, Groebe p. 18—20. Suringar p. 4—8. Klebs *R. E.* I c. 584—588. ipse summa quaeque ex ea tetigisse satis esse duxi, sed neque haec ex ea sumpta esse et alia multa a me omissa esse concedo.

3) Hic annus apparet ex Asconio ad Scaur. p. 20 K.-Sch. 24 St., qui Scaurum anno 90. 664, cum a Q. Vario tribuno plebis reus citaretur, septuagesimum alterum annum egisse scripsit.

eius opera laudata est, cum corniculum mereret, tum in Sardinia stipendia fecit sub L. Aurelio Oreste (Aur. Vict. l. s.), qui consul a. 126. 628 bellantes Sardos subegit, et paulo post aedilitatem curulem adeptus est, in qua cum propter paupertatem ludorum apparatu et magnificentia populi oculos in se conuertere non posset, 'iuri reddendo magis quam muneri edendo studuit' (Aur. Vict. l. s. cf. Asc. l. s.), tum praeturam et ex ea Sardiniam prouinciam (Asc. l. s.). tandem, posteaquam a. 117. 637 repulsam tulit (Cic. pro Muren. 17, 36), ad consulatum enisus est a. 115. 639 cum M. Caecilio Metello eodemque anno cum nondum censorius esset, a L. Metello Cn. Domitio censoribus princeps senatus dictus est (cf. locos a Drumanno I p. 26 n. 67 [p. 19 n. 4] collectos). consul uero domi militiaeque de ciuitate bene meritus est. domi enim legem de sumptibus tulit (Aur. Vict. l. s.), ex qua hoc inseruit Plinius n. h. 8, 223: *Saurices et ipsos hieme condi auctor est Nigidius, sicut glires, quos censoriae leges princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cenis ademere quam conchylia aut ex alio orbe conuectas aues.* quo cum instituto quae Gellius de lege quadam Aemilia proposuit, 'qua non sumptus cenarum sed ciborum genus et modus praefinitus esset' (2, 24, 12) ita concinunt, ut etsi Gellius hanc legem post Sullae leges recenset et Macrobius (3, 17, 13) seu Gellio ipso seu eodem quo Gellius fonte usus Sulla mortuo Lepidum consulem a. 78. 676 eam tulisse adfirmat, tamen eandem legem ab utrisque dictam esse censuerim tribuerimque Plinii auctoritatem amplexus Scauro. hunc enim ut hominem nobilitatis studiosum ueterem parsimoniam atque cenarum tenuitatem reuocare conatum esse multo magis est ueri simile quam Lepidum, qui in ceteris Sullae aduersans in hac re eius consilia (Gell. et Macr. l. s. s.) uix secutus est. tum uero idem Scaurus legem rogauit de libertinorum suffragiis (Aur. Vict.), qua sui ordinis potestatem eum auxisse probabile est (Mommsen *Staatsv.* III 1 p. 438), eodemque anno etiam in Gallia feliciter bellauit et 'de Galleis Karneis' mense Nouembri uel Decembri triumphauit.[1])

Itaque Scaurus tum primum locum in ciuitate obtinuit et ut iam a. 117. 637, cum Iugurtha legatos, qui Atherbalis crimina re-

1) Haec enim acta triumphalia Capitolina (p. 49²) exhibent: *M. Aemilius M. f. L. n. Scaurus cos. [an.]* DCXXXIIX (= 639 *sec. Varronem*) *de Galleis Karneis.* contra Aurelius Victor eum consulem Ligures et Tauriscos, [sic enim cum Mommseno H. R. II p. 169 scribendum est, *Cauriscos* uel *Gaur.* libri, *Gantiscos* uulg.] gentem Carnis finitimam domuisse atque de his triumphasse scripsit.

pellerent, auro argentoque onustos Romam misisset, largitionum inlecebris restiterat, non quo ipsam rem respueret sed quia largitionem famosam inpudentemque uidebat inuidiamque uerebatur (Sall. Iug. 25, 3), sic etiam quinque annis post (112. 642) in Africam legatus missus, ut Iugurtham ab Atherbale Cirtaque obsidenda reuocaret, animi integritatem seruasse uidetur, certe Sallustius, qui haud ita aeque de eo iudicat, de hac legatione, etsi legati infecta re discessere, nihil ei exprobrare ausus est (cf. 29, 2). tum uero anno insequenti, posteaquam L. Calpurnius Bestia consul bellum contra Iugurtham gerere coepit, ab eo socius et administer omnium consiliorum adsumptus (Sall. 28, 4. 40, 4) magnitudini pecuniae ostentatae succubuit et cum Bestia consule a Iugurtha expugnatus pacem Numidis dedit (c. 29). Tanta autem eius erat Romae auctoritas et potentia, ipsius calliditas et dexteritas, ut etsi plebs summa exardescebat Bestiae inuidia atque Scaurus auctor et socius eius ferebatur, tamen non solum anni 109. 645 cum M. Liuio Druso censuram adipisceretur sed etiam eodem anno, cum censor esset et C. Mamilius Limetanus tribunus pl. rogauisset, ut quaereretur in eos, qui a Iugurtha in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, in trium quaesitorum numero crearetur (c. 40), quo iudicio condemnauit eos (Cic. Brut. 34, 128), quibuscum Iugurthae pecunias partitus erat. ciuium tamen utilitati censor seruiit, cum pontem Muluium, qui tum omnino dirutus fuisse uidetur, restitueret, ut postea eius monumentum diceretur (Aur. Vict. l. s. Ammian. Marcell. 27, 3, 9), uiam Aemiliam, quae a Pisis per Lunam usque ad Dertonam ferebat, muniret (Aur. Vict., Strab. 5, 1, 11 p. 217), agros Galliae cisalpinae palustres exsiccaret (Strab. l. s.).

Sed ut eius honores et laudes usque ad finem persequamur, et augur fuit (cf. Ascon. l. s.) et rem frumentariam, quae ad eum a L. Appuleio Saturnino translata erat, procurauit (Cic. p. Sext. 17, 39. de harusp. resp. 20, 43). tum uero cum a. 100. 654 Saturninus tribunus pl. et Glaucia praetor grauissimas seditiones mouissent nec quisquam eis resistere auderet, Scaurus primus arma sibi afferri iussit Mariumque consulem hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet; sic, ut cum Cicerone (pro Sest. 47, 101) loquar, 'a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, neque umquam ulla uis, ullae minae, ulla inuidia eum labefecit'.[1]) ultra eum

1) Cf. pro Rabir. perd. reo 7, 21. 9, 26. haec Valerius Max. 3, 2, 18 et Aur. Vict. de uir. ill. 72, 9 rhetorice exornauerunt.

diem etiam per duodecim paene annos uitam produxit, nam a. 88. 666 eius uxor Caecilia Sullae nupsit.[1])

Multis igitur rebus publice gestis eius uita abundauit largamque praebuit scribenti materiam. neque tamen ab omnibus pariter celebrata, immo multorum ciuium inuidiam, quam ipse prouocauerat, experta est. nimirum, ut erat uehemens et acer, nec suae nec alienae dignitati parcebat, ut suam potentiam, honorem, dignitatem augeret, ut erat impiger et callidus, arte sua inimicitias se repulsurum telaque in aduersarios retro uersurum esse confidebat idemque, si diffideret, in tempore a consilio causaque desistere non dedignabatur (Sall. Iug. 15,4). itaque ex omnibus iudiciis incolumis euasit. frustra igitur Cn. Domitius iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptauerat, diem dixit apud populum, quod eius opera sacra publica populi Romani deum penatium, quae Lauinii fierent, minus recte casteque fierent (a. 104. 650. Ascon. in Scaur. p. 18 K.-Sch. 24 St. cf. Cic. pr. Deiot. 11, 31. Valer. Max. 6, 5, 5. Cass. Dion. fr. 90), P. Rutilium autem, qui simul cum eo consulatum petierat et superatus competitorem ambitus reum fecerat, absolutione sua non placatus eodem crimine ipse etiam in ius uocauit (Cic. Brut. 30, 113. de or. 2, 69, 280), et cum Q. Seruilius Caepio et M. Brutus eum de repetundis accusauissent, ea crimina non solum refutauit, sed etiam Caepionem reum deferre ausus est (a. 91. 663. Ascon. l. s. p. 19 K.-Sch. p. 24 St. p. Fonteio 17, 38 cf. infra fragm. eius orat.). denique cum insequenti anno Q. Varius Hybrida tribunus pl. legem tulisset, ut quaereretur de eis, quorum ope consilioue socii contra populum Romanum arma sumpsissent, idem Q. Caepio, uetus Scauri inimicus, illi persuasit, ut Scaurum belli concitati crimine in ius uocaret. una autem Scauri uoce accusator repulsus est, cum accepto respondendi loco diceret: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait conuocasse; M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est: utri uos, Quirites, conuenit credere?* (Ascon. l. s. p. 20 (25). Quintil. 5, 12, 10. Aur. Vict. l. s.).[2]) sic omnes impetus aduersariorum auctoritate sua repressit et ne consuetudini quidem cessit, qua cum in censura collega mortuus esset, priusquam munere esset defunctus, alteri censori magistratu abeundum esset, dum tribuni plebis se eum in

1) Qui a Lucilio commemoratus est Aemilius, aut incertus est (L. Mueller p. 200) aut L. Aemilius Paulus, Scipionis Aemiliani pater (Marx, fr. 2, 63 cf. 6, 221. Comment. p. 90).

2) Valerius Max. 3, 7, 8 ad aliam rem falso Scauri uerba notissima rettulit.

uincula coniecturos esse minarentur (Plut. quaest. Rom. 50). neque tamen facere potuit, quin populus, cum Scaurus, quem pauperrimum uidisset, subito omnibus copiis omniumque rerum abundantia circumflueret et propter mercaturam auiditatemque pecuniae etiam inter nobiles male audiret (Cic. de or. 2, 70, 283), maleuola suspicione et rumore se uexaret. quid? quod cum in C. Fimbriam, C. Memmium, C. Norbanum iuratus testimonium diceret, ne creditum quidem ei est.[1])

Haec autem eius animum tam grauiter sollicitabant et urebant, ut quem ad modum in iure aduersariorum crimina suis in eos conuersis refutabat, sic rumorum maleuolentiam, qua ardebat, litterarum scriptarum auctoritate restingueret, non libellorum sed *trium librorum de uita sua* patrio sermone compositorum et orationum in publicum editarum[2]), quas, ut Cato Censorius coeperat, partim etiam illis inseruit[3]), ut fructus laudationum, quibus maiores a posteris colebantur, uiuus praeciperet. itaque Cicero etsi Scaurum laudibus suis non pepercisse aperte concedit[4]), in summa eius praesidii et patrocinii admiratione perseuerat atque etiam Tacitus (l. s. s.) fidem talium librorum eis inminutam esse negat, nec historia eas respuit, si quidem de Scauro plura accepimus quam de aliis uiris eiusdem dignitatis, ut etiam in numerum uirorum illustrium corporis Aureliani receptus sit. ipsi autem libri uix quinquaginta annis post (nam Scaurum prouectum aetate scribendo operam dedisse consentaneum est) nancti non sunt qui legerent, id quod Cicero cum 'lectu utiles' essent, scilicet ad institutionem Romanam, uehementer doluit (Bruti l. s.). causa repetenda est a genere scribendi. nam ut eius testimonio in orationibus Scauri grauitas quidem summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, desiderabatur ars et suauitas (*ψυχαγωγία καὶ τέρψις*), ita etiam historia incompta et sicca uidetur fuisse, eaque etiam gloriatus est. inscripsit enim eam ad L. Fufidium praetorium, qui etiam in aliquo patronorum numero fuit, hominem antiquae seueritatis et integritatis (Cic. Brut. 29, 110. 35, 132. Plin. n. h. 33, 21), ut Coelium Antipatrum imitatus suam operisque sui indolem ciuibus suis commendaret.[5]) sed adscribam ipsa Ciceronis uerba: *De Scauro*

1) Cic. pro Font. 11, 24. de or. 2, 58, 203. Val. Max. 8, 5, 2.

2) Fragmenta earum tantum modo orationum, quas scriptas et editas esse constaret, infra recepimus. de ceteris cf. Meyer p. 253—261.

3) Sic etiam Pais l. s. p. 53.

4) Cf. Brut. 29, 112: *At Cyri uitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam nostris rebus aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam.*

5) De aliorum autobiographorum inscriptionibus uid. infra.

et Rutilio breuiter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem, et est uterque in multis causis uersatus. erat in quibusdam laudandis uiris, etiam si maxumi ingeni non essent, probabilis tamen industria; quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. — in Scauri oratione, sapientis hominis et recti, grauitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad senatoriam uero sententiam, cuius erat ille princeps, uel maxume; significabat enim non prudentiam solum sed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset; quamquam huius quoque ipsius rei, quem ad modum scis, praecepta sunt.

In causis igitur non orationes sed testimonia eum pro reo dixisse Cicero iudicat, multo tamen magis Scaurus habuit, cur in libro suo grauitate et auctoritate indolis suae animos eorum qui legerent moueret propositaque uirtutis et constantiae suae specie omnia opprobria et crimina, quibus petebatur, amoliretur et dilueret. haec tamen ratio eum fefellit. nam quod commentariorum (ὑπομνημάτων) formam induerat, ipse non ea uerecundia motus est, qua Cicero simulata a Lucceio (ad fam. 5, 12, 8) petiit, ut commentariis a se scriptis usus ornatius de se scriberet; nam ab eius natura et aetate et artificiosus ornatus orationis et ille quaesitus pudor afuit, ut libere spem memoriae sentiret et expectaret atque omnia adiumenta auctoritatis propagandae sperneret. sed cum omnino hoc potissimum commentariorum genus per breue temporis spatium integrum manserit atque ab aliis exscriptum et arte exornatum oblitteratum sit, non mirabimur, quod Scauri opus omni arte elocutionis destitutum eam sortem passum est, praesertim postquam Sallustius ipsius Ciceronisque laudes moderatus ad ueritatem redegit.[1])

Vnus Asconius tam diligens fuit, ut orationis Aemilianae explicandae causa ad hunc fontem eruendum penetraret[2]), apud alios

1) Iugurth. 15, 3: *At contra pauci, quibus bonum et aequom diuitiis carius erat, subueniundum Adherbali et Hiempsalis mortem seuere uindicandam censebant, sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, inpiger, factiosus, auidus potentiae, honoris, diuitiarum, ceterum uitia sua callide occultans.* cf. C. Lauckner *Die kuenstlerischen und politischen Ziele der Monographie Sallusts ueber den Iugurth. Krieg* (Diss. Lips. 1911).

2) Lichtenfeldt (De Asc. fontibus ac fide) haec ab eo repetiuit:

autem scriptores numquam nobis contigit, ut eius uestigia indagaremus, etsi multa ex eius uita sumpta latere non nescio.[1]) nomine autem citata sunt fragmenta singula a Valerio Maximo (1) et ab eo qui quartum librum Frontini strategematis addidit (7, quod iam Pighius ann. III p. 103 ad hos Scauri libros rettulit), quae forsitan per unum aliquem medium auctorem ex ipsa uita originem duxerint, cetera per plures; nam nescio quis, uel Iulius Romanus uel huius auctor, et Scauri et Rutilii libros ex obliuione, qua iam obruti erant, protractos excerpsit, cuius diligentiae Charisius omnia Scauri et orationum (1—4) et uitae (fr. 2)[2]) et Rutilii (fr. 7—12) uitae fragmenta debet. in eis solis quidem capitibus (I 17 de analogia et II 13 de aduerbiis) quae pendent a Iulio Romano (uid. supra p. CCXLV) inueniuntur. ex eodem auctore etiam Diomedes Scauri et Rutilii notitiam hausisse uidetur. certe ipsis usus non est. quod si sumes, qua ratione factum esse explicabis, ut ab hoc quinquies (Scaur. fr. 3. 4. 5. Rutil. 14. 15) laudarentur in solis p. 374—385 K. (in eo capite quod est de coniugationibus uerborum), nusquam alibi? ad Seruium denique quo casu unum fr. 6 delatum sit, ne suspicari quidem possumus.

p. 18, 20—19, 5. p. 19, 11—17. p. 19, 22—20, 9. p. 20, 18—23. p. 24, 11—13. uid. Pais l. s. p. 52 sqq.

1) Pais l. s. p. 51 sqq. apud Valerium Maximum ut fr. 1 ita etiam alios locos, quibus de eis egit, inter fragmenta eius recipienda esse censuit (3, 2, 18; 7, 8. 5, 8, 4. 6, 5, 5. 8, 5, 2), maxime ea quae de lege Varia memoriae tradita sunt.

2) An etiam orationes ex uita excerpsit, ut is cui historiarum Sallustii orationes debemus?

P. RVTILIVS RVFVS[1])

P. Rutilius Rufus, qui nulla auctoritate uulgo Sp. f. Sp. n. dictus est, primum inclaruit, cum tribunus militum esset in Scipionis exercitu ad Numantiam (App. Iber. 88. Cic. de rep. 1, 11, 17). tum legatus erat Q. Caecilii Metelli consulis in bello Iugurthino (a. 109. 645) eiusque iussu complures res feliciter gessit. sed a. 107. 647 consulatum petens a Scauro repulsus est atque frustra competitore ambitus reo facto eam repulsam ulcisci conatus est (cf. supra p. CCL). melius ei res cessit tertio anno post, quo cum Cn. Mallio eum honorem adeptus est (a. 105. 649), primus ex sua gente. sed quibus gradibus ad consulatum ascenderit, ignoramus, illud unum certo accepimus (Cic. pro Planc. 21, 52), eum in tribunatu petendo repulsam accepisse; cetera quae apud plerosque de Rutilii quaestura, tribunatu, praetura secundum Pighium decantata leguntur omisi. de ipso tamen consulatu perpauca memoriae tradita sunt. nam cum Cn. Mallius collega una cum Q. Seruilio Caepione proconsule in Gallia infeliciter contra Cimbros et Teutonos pugnaret, ipse in Italia remansit et, cum summus metus Romanorum animos, ne Germani Alpes transgressi in Italiam descenderent, inuasisset, et nouo exercitu conscripto (Frontin. strateg. 4, 1, 12) et aliis rebus (Gran. Lic. p. 14 Fl.) rei p. prouidit militumque animos ita confirmare studuit, ut gladiatorum doctoribus de ludo Cn. Aurelii Scauri arcessitis uitandi atque inferendi ictus subtiliore ratione legiones inbueret (Valer. Max. 2, 3, 2). praeterea tunc eius auspiciis data est Puteolanis *lex parieti faciendo in area quae est ante aedem Serapi trans uiam*, quae etiam nunc exstat in lapide incisa in C. I. L. I. p. 163 n. 577.

Vt uero per totam uitam, ita etiam a. 100. 654 senatus atque nobilitatis auctoritatem defendit et cum Scauro contra Saturninum arma cepit (Cic. pro Rab. perd. r. 7, 21). paullo post (c. a. 98. 656) legatus Q. Mucium Scaeuolam pontificem proconsulem, cum esset eius amicissimus, in Asiam secutus omnibus eius consiliis et rebus

---

1) Vid. E. Pais *L'autobiografia ed il processo Repetundarum di P. Rutilio Rufo. Studi storici per l'antichità classica. Vol. I p. 85—122.*

interfuit[1]), quibus id agebatur, ut prouincialium angustiae et inopia leuarentur, defenderentur autem publicanorum iniuriae. quam ob rem etsi nouem menses Scaeuola Asiae praefuit (Cic. ad Att. 5, 17, 5), tamen eo breui tempore continentia, iustitia, liberalitate Asianorum amorem tantum sibi conciliauit, ut in eius honorem diem festum *Mucia* nominarent (Pseudo-Asc. l. s.) et usque ad Mithridatis aetatem celebrarent (Cic. Verr. 2, 21, 51). non minus autem publicanorum odium in se contraxit (Cic. ad fam. 1, 9, 26. pro Planc. 13, 33), qui cum iudicia tum penes equites essent, et odia, quibus in Rutilium atque in Scaeuolam flagrabant, facile expleri et optimatium partem debilitari adfligique posse arbitrati Rutilium, qui in Asia remansisse[2]) et eadem qua Mucius beneuolentia prouinciam administrasse uidetur, a. 92. 662 uel 93. 661[3]) repetundarum reum fecere. de ipso autem iudicio, etsi saepissime cum Rutilio uirtutem ipsam in exilium missam esse conqueruntur, perpauca ueteres scriptores memoriae prodidere. inmissus igitur a publicanis Apicius quidam, qui propter luxuriam male audiebat (Athen. 4, 66 p. 168 d), Rutilio non solum multa furtim ex prouincia ablata corruptumque pecunia ab eo Q. Mucium exprobrauit (Cass. Dion. fr. 95, 1) sed etiam stupra ac lubidines (Cic. pro Font. 17, 38), sed cum perorasset, Rutilius, ut erat integritatis et innocentiae suae sibi conscius, paene Socratico, ut ait Quintilianus (11, 1, 12), genere defensionis usus 'non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam quam simplex ratio ueritatis ferebat' (Cicer. de orat. 1, 53, 229. cf. Oros. 5, 17, 12), et cum eo ipso tempore eloquentissimi uiri florerent, L. Crassus et M. Antonius con-

---

1) Haec enim tradidit Liuius per. 70, quocum facit Diodorus 37, 5, 1: *ἐκπεμφθεὶς γὰρ εἰς τὴν Ἀσίαν στρατηγὸς ἐπιλεξάμενος τὸν ἄριστον τῶν φίλων σύμβουλον Κόιντον Ῥοτίλιον μετ' αὐτοῦ συνήδρευε βουλευόμενος καὶ πάντα διατάττων καὶ κρίνων τὰ κατὰ τὴν ἐπαρχίαν.* prae hisce testimoniis spernendus est Pseudo-Asconius (p. 122 Or. 202 St.): *Huius* [Scaeuolae] *quaestor Rutilius Rufus damnatus est, quod cum praetore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in prouincia sua.*

2) Secutus sum Haakhium (*Pauly Realencykl.* VI 1 p. 587), qui ad hanc sententiam peruenit collatis uerbis Pomponii (de orig. iur. 2, 40 p. 4 Momms.): *P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit.* etiam hoc inde facile explicatur, quod Rutilius anno demum 92. 662 a publicanis reus factus est, cum iam annis minimum septem ante Mucius ex Asia decessisset.

3) Hic annus computatus est ex loco quo Liuius (per. 70) illorum annorum res persequens Rulilium in exilium missum esse memorat. cf. Fischer, *Zeittaf.* ad a. 93 p. 170.

sulares, tamen eorum eloquentia spreta praeter se ipsum neminem nisi quibusdam ex partibus sororis filium C. Cottam et Q. Mucium amicum causam suam dicere passus est (Cic. de orat. l. s. Brut. 30, 115), eosque, ut uidetur, ea tantum modo condicione, ut nullo apparatu et simpliciter se defenderent. haec autem ipsa animi aequitas etiam magis iudices exacerbasse uidetur, et cum nobilitas tum se non auderet commouere, contra etiam Marius post bellum Iugurthinum eius inimicus summa ope niteretur (fr. 4. Dio l. s.), Rutilius bonis exutus in exilium eiectus est.[1])

Periurio tamen iudicum eum condemnatum esse tum omnium consensu ferebatur, quae opinio eo magis aucta et confirmata est, cum in eius domo minor pecunia inueniretur, quam eum ex Asia deportauisse accusator insimulauerat, eaque ad legitimam et iustam originem referretur (Dio l. s.). ne multa, non propter scelus sed propter animi integritatem, qua inueterata rei p. mala euellere studuerat, et propter optimatium inuidiam uir ille 'non saeculi sui sed omnis aeui optimus' (Vellei. 2, 13, 2) fortunae cedere coactus est. Migrauit in Asiam et, si innocentiae documento opus est, quasi triumphans illic receptus et ab omnibus ciuitatibus rogatus est, ut in sua urbe domicilium collocaret (Val. Max. 2, 10, 5). sed primo Mytilenen se contulit, tum, cum a. 88. 666 Mithridates Romanos, quos in Asia consequi posset, trucidaret, fugit (Cic. pr. Rab. Post. 10, 27)[2]) Smyrnam ibique a Smyrnaeis maxime honoratus et in ciuitatem receptus (Cic. pro Balb. 11, 28. Tacit. ann. 4, 43) a Sulla frustra in patriam reuocatus (Quint. l. s. Senec. epist. 24, 5. 79, 14. 98, 12. cf. Val. Max. 6, 4, 4) consenuit et diem supremum obiit. de anno minus constat. utique uixit a. 78. 676, quo Cicero in itinere Asiatico Smyrnae cum eo collocutus est (Brut. 22, 85. de rep. 1, 8, 13), et anno 77. 677, quo cum sermonem de natura deorum habitum esse fingeret, Cicero eum ut uiuentem commemorauit (3, 32, 80). Paullo certiora de anno eius natali adfirmare possumus. cum enim a. 134. 620 tribunus militum ad Numantiam fuerit et P. Scipionem et D. Brutum a. 138. 616 ex ipsius testimonio (ap. Cic. Brut. l. s.), cum adulescentulus esset, uiderit, ante annum fere 156. 598 eum natum esse Pais l. s. p. 101 computauit. minimum igitur usque ad annum aetatis septuagesimum nonum peruenit.

---

1) Ante ipsum iudicium eum secessisse Dionem testari (fr. 95, 3 *ἀπαξιώσας τοιούτῳ ἔτι ἀνθρώπῳ* [Mario] *συζῆσαι ἐξεχώρησε μηδενὸς ἀναγκάζοντος*) monuit Pais l. s. p. 98.

2) Forsitan causa etiam alia fuerit, Cichorius *Rom u. Mytilene p. 6.*

Quoniam uitam Rutilii publicam propter exilii iniuriam multum in scholis tractatam adumbrauimus, pergimus ad priuatam, in qua non solum eisdem uirtutibus excellebat quibus in publica, summa seueritate et in se et in suos (Front. str. 4, 1, 12), parsimonia (Athen. 6, 108 p. 274 c), grauitate, innocentia, temperantia, sed etiam ardenti et adsiduo doctrinae studio, quam tanto amore coluit, ut etiam sub ipsis Numantiae moenibus cum Scipione de rebus caelestibus disputare soleret (Cic. de rep. 1, 11, 17) atque artam ibi amicitiam cum C. Lucilio poeta iungeret.[1]) auxerat uero insitam ingenii facultatem etiam multa opera et industria (Cic. Brut. 30, 113). nam adulescentulus se ad P. Mucium Scaeuolam, tum ad Brutum et Manilium, 'qui fundauerunt ius ciuile', contulerat, ut ab eis iuris scientiam disceret, et postea celeberrimus iuris consultus Romanus fuit magnumque munus de iure respondendi sustinuit (Pompon. de orig. iur. 1, 2, 40 p. 4 M. Cic. de off. 2, 13, 47. Brut. l. s.[2])). Aurelius autem Opilius, philosophus, rhetor, grammaticus, eius consuetudine ita non carere potuit, ut eum etiam in exilium comitatus sit, quemadmodum paucis annis ante Aelius Stilo Q. Caecilium Metellum, et cum eo Smyrnae consenuerit (Suet. de gram. 6. 2). frequentissime tamen Paenaetium stoicum audiuit maximeque admiratus est (Cic. Brut. l. s. de off. 3, 2, 10) atque totum se stoicis addixit, quorum disciplina maxime eius indoli accommodata mores etiam seueriores et rigidiores reddidit totamque naturam inbuit. quamquam hoc ipsum, si Ciceroni credimus (Brut. 29, 110 sqq.), impediuit, quominus, cum orator ad forum accederet, popularis esset (abhorrebat enim genus orationis stoicum, acutum illud quidem et artis plenum sed exile, ieiunum, obscurum, ab uulgi auribus), sed tamen cum ut stoicus nihil auram popularem curaret in multis causis uersatus est et aliquot orationes etiam litteris mandauit. uelut quam habuit de modo aedificiorum, Augustus, ut iam antiquis hanc rem curae fuisse demonstraret, in senatu recitauit (Suet. Aug. c. 89). neque uero ipsa orationum uerba ulla ad nos peruenerunt.[3]) pendebat enim lectio e genere dicendi, quod, cum in

1) Vid. Cichorius *Untersuchungen z. Lucil.* p. 62.

2) Quod Cicero h. l. scripsit: *sunt eius orationes ieiunae; multa praeclara de iure,* haec laus ad orationes pertinere uidetur, non ad libros separatim de iure editos, cf. Bremer *Iurispr. anteh. q. s.* p. 45. itaque fr. 1 inter hist. fr. locum suum obtinere uolui, uid. adn. ad h. l.

3) Etiam id fragmentum, quod uulgo sub eius nomine ferebatur, cum Iordano Prol. ad Cat. p. XCI eiectum ad Catonem relegauimus. haec enim apud Diomedem p. 376 K. uulgo leguntur: *Ostendor ostentus,*

historia etiam magis nitor quidam argutiaeque requirerentur, etiam a Rutilii uita deterruit, quam ob causam ne Cicero quidem eius mentionem fecit neque quisquam ante Tacitum (in Agric. c. 1), contineturque eius memoria unius grammatici diligentia, ex quo pauca fragmenta (7—15) Diomedes et Charisius (unum etiam Isidorus) excerpserunt (uid. supra p. CCLIII).

Simile igitur fuit genus dicendi Scauri et Rutilii, diuersa indoles et doctrina. itaque hunc Cicero in Bruto (30, 116) inter Stoicos numerauit, illum inter antiquos, ille callide de consilio suo recessit (Sallust Iug. 15, 4), hic constanter, ut 'prope perfectus in stoicis' (Brut. 30, 14), personam suam et locum obtinuit. quod si uterque eadem ratione uitam suam scriptione explicare et defendere conatus est, non sponte id Rutilius suscepisse uidetur. nam ut in uita ipsa saepe grauissimas inimicitias exercuit, sic etiam in libro suo Scaurum sua sponte uehementiam suam effudisse consentaneum est, hic autem iniuriis, mendaciis, periuriis commotus a se uix impetrauit, ut, praesertim cum etiam aliorum famae inique et acerbe maledictum esset amicorumque cohors, qua comitatus in Asiam secesserat, eum instigaret, talia silentio transmitteret. cum igitur Smyrnae litterarum studiis intentus consenesceret (Oros. 5, 17, 13), respondit apud Latinos libris minimum quinque item Latine scriptis. idem uero doctus ille uir et Graecis litteris eruditus (Brut. l. s.) etiam *ἱστορίας* composuit, quas Plutarchus citauit (fr. 5), Athenaeus significauit (6, 108 p. 274 c *Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς*), quarum tria fragmenta (4—6) aperte ad eius uitam pertinent inimicitiasque contra aduersarios spirant. confirmatur hoc Appiani testimonio (Iber. 88), quo *συγγραφεὺς τῶνδε τῶν ἔργων* i. e. rerum ab eo Scipionis iussu ad Numantiam gestarum dicitur. utroque igitur opere

---

quoniam sit tendor tentus. nam ostentaius est frequens: P. Rutilius de uita sua: 'Vni una ostentata est.' idem pro L. Cesutio [sic enim duo codd. Parisini; *idem . . . sutio* Monac.] *ad populum ex hoc deriuauit participium 'quod ego me spero ostenturum', non ostensurum neque tensurum.* at eadem uerba, quae hic Diomedes ex Rutilii oratione, Priscianus 10 p. 520 H. ut ex oratione *Catonis pro Lucio Caesare ad populum* sumpta adtulit, et cum Festus p. 301 uerba quaedam ex oratione Catonis, quam pro L. Caesetio dixerit, laudet (p. 63 Iord.), nusquam orationis, quam Rutilius pro eodem aut similis nominis homine habuerit, mentio fiat, nullus dubito, quin Prisciano de nomine oratoris, Diomedi de cliente fides habenda sit et apud Diomedem lacuna ante u. *idem* statuenda, qua haustum sit Catonis aliquod fragmentum. De aliis eius orationibus, quas dixit contra Scaurum et contra Apicium, quae comperta habemus, iam supra collegimus. cf. Meyer p. 263 sqq.

multa exposita esse sequitur (Nissen *Untersuch.* p. 43). atqui quae infra Latini fragmenta collecta sunt, omnia inscriptionem praeferunt, pleraque etiam numero libri addito, redeuntque ad unum aliquem grammaticum; supersunt fr. 1—3, quae indicio originis omnino carent. primum dubitatum est num suum locum inuenerit (uid. adn.), alterum tamen et tertium cum Polybii auctoritate coniunctum est, tum illud propter patrocinium Africani minoris, hoc propter tempus rei intra uitae eius spatium gestae cum eius uita cohaeret. ad uerba tamen Latinam uitam in Graecorum usum uix interpretatus est, sed ultra eius fines progressus latiore ambitu res, quae apud illos, qui rerum Romae gestarum partiumque inuidiae ignari essent, ad se defendendum necessariae essent consiliumque suum aliqua ex parte detegerent, explicauit et enarrauit. uidetur etiam alia causa fuisse, qua Graecis potissimum uitae suae integritatem probaret. nam Theophanes, amicus Cn. Pompeii, in Mithridatis castris eius litteras inuentas esse prodidit, quibus regem ad Romanos trucidandos incitasset, quas calumnias etsi a plerisque refutatas esse Plutarchus addidit, tamen ex inuidia, qua Rutilius in publicanos incensus erat, facile talis rumor redundare potuit. sed utut haec res se habuit, offensionibus, quas ipse mouerat uel passus erat, magnum spatium concessit, Marii (fr. 4), quem aduersarium et publice et priuatim expertus erat, Cn. Pompeii Strabonis (fr. 5), 'hominis illius dis ac nobilitati inuisi', ut Cicero in Corneliana dixit (Ascon. p. 70 K.-Sch. 61 St.), Apicii (adn. ad fr. 6), qui a publicanis corruptus ipsum in ius uocauerat. sed stoicae disciplinae obsecutus 'damnationem suam sic tulit, tamquam nihil illi molestum esset nisi quod male iudicaretur' (Seneca epist. 24, 4), eademque ratione etiam priuatas inimicitias sic tractasse uidetur, tamquam rei p. salutis interesset crimina uel scelera exprobare ut emendarentur.

Quod autem supra monuimus dignitatem Aemilii Scauri memoria celebratam esse, idem in Rutilium Rufum cadit, de quo etiam plura tradita sunt, quo saepius de eius damnatione et exilio in scholis declamatum est, id quod ut rectius existumetur, ieiunitas Sallustii comparanda est, qua eius in bello Iugurthino merita, etsi eis omnino non inuidet, persequitur (c. 50, 1. 52, 5. 86, 4). enarratae igitur sunt (uid. Pais p. 114—119) res eius quaedam in Hispania sub Scipione gestae apud Appianum Iber. 88, colloquium cum Fimbria a Sulla institutum apud eundem Mithrid. 60, iusta administratio Asiae prouinciae cum Mucio Scaeuola apud Diodorum fr. 37, 5, laudatae eius uirtutes militares apud Ps.-Frontinum 4, 1, 12:

2, 2, apud Valerium Maximum 2, 3, 2, Granium Licinianum p. 14 (Fl.). nolui tamen talia inter fragmenta recipere, quod Pais l. s. suasit, ne dicta quidem, quibus patriae amorem uel integritatem suam professus est (Senec. de benef. 6, 37, 2. Valer. Max. 6, 4, 4), aut excerptum de periurio iudicum ipsiusque constantia apud Dionem fr. 95. nam quamuis res ingenium eius apte repraesentent, illos auctores eius historias non inspexisse pro comperto habendum est.

Vnum tamen apud Graecos praeconem Rutilius inuenit, cuius auctoritate et arte eius laudes diuulgatae sunt, Posidonium Apamensem, qui cum frequenti consuetudine cum eo coniunctus esset (Cic. de off. 3, 2, 10), facere non potuit, quin eius opus ad supplendam cognitionem rerum ante aetatem suam gestarum adhiberet. nam ut stoicus stoicum continuauit, Posidonius Polybium, sic commentarios sodalium praeter ceteros eos in historias transscripsisse consentaneum est. itaque Rutilius ex Polybio eas res sumpsit, quas ille testatus erat; nam quod et Liuius et Gellius eis locis, quibus solis Rutilium citauerunt (fr. 2. 3), eos consociauerunt, hinc explicandum est eademque ratio inter Rutilium et Posidonium intercessisse uidetur (Diels *Sibyll. Blätter* p. 23), quoniam et acerba Posidonii reprehensio, qua Apicium propter luxuriam insectatus est, illius causam defendit (adn. ad. fr. 6), et auaritia Cn. Pompeii, patris Magni, per eum Plutarcho (Pomp. 1. 4. 37. Crass. 6) innotuit. sic igitur Posidonii historiae laudes Rutilii diffuderunt, ut etiam inferiores auctores ei fauerent, contrarie de aduersariis sentirent, sed eadem sorte eius ipsius historia oblitterata est. uelut in Diodori libro XXXVII multa eius indicia conspicua sunt, quae sub Posidonii auctoritate delituerunt[1]), Plutarchus uno loco eius crimini Theophanis refutationem adiunxit (fr. 5), altero ipsius iniquo de Mario iudicio laudem 'τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστός' (fr. 4); Appianus de ea tantum quaestione lis est utrum Posidonium ipsum in manibus habuerit an fontem ex eo deriuatum adierit (cognouerat certe Rutilium per illum Iber. 88)[2]), nam saepe mirum in modum cum Plutarcho concinit, atque praeter ceteros illo auctore usus est. Alios Graecos scriptores, apud quos quidam Rutilii uestigia indagasse sibi uisi sunt, ut Polyaenum (uid. Woelfflini praef. p. XIV), perlustrare operae non est pretium.

Latinam historiam Rutilii a Liuio inspectam esse propter fr. 2

---

1) Vid. Busolt in Fleckeiseni annal. 141 p. 321 sqq. 405 sqq.
2) Ex Appiano Suidas eius nomen sumpsit (p. 626 Bdy.).

ueri simile est.[1]) etiam 'fraus Cn. Pompei' Strabonis (per. 79) et crimina, quae a Floro (3, 18, 14) et Orosio (5, 18, 18 sqq.) ei exprobrantur, itemque quae Mario (cf. adn. ad. fr. 4), eodem ducunt, sed de ratione, qua illo usus sit, iudicium cohibeo.[2])

1) Vid. Nissen *Untersuch.* p. 41 sq. Busolt l. s. p. 345.

2) De fragmentis uitae Latinae, quae ab eisdem grammaticis tradita sunt a quibus Scauri, iam s. p. CCLIII egi. accedit unum Isidori, quod corruptum ab Areualo restitutum est, nisi quod perperam ex quibusdam codicibus pro *uita sua* recepit *uita Scipionis,* quod nomen ex argumento fr. inrepserat (uid. adn. ad fr. 13). — E Granio fragmenta augere nolui. nam quod Flemisch contextum suum ita incohauit *Rutilius memorat,* in palimpsesto exstant litterae RTILIVM ... SAT neque quo Rutilii testimonium pertineat habemus. (De Rutilio iam Camozzi cogitauerat.)

Q. LVTATIVS CATVLVS[1])

Q. Lutatio Catulo pater fuit Quintus (C. I. L. I n. 591 et 592 p. 170), mater Popilia (Cic. de orat. 2, 11, 44), gens plebeia sed familia summa (Cic. pro Planc. 5, 12). Quos gesserit magistratus ante consulatum, memoriae non est proditum. consulatum uero ter frustra petiuit, primum a. 107. 647, quo C. Atilio Serrano cessit, deinde a. 106. 648, quo Cn. Mallio, tum a. 105. 649, quo C. Flauio Fimbriae (Cic. pro Muren. 17, 36. pro Planc. 5, 12). denique contigit ei consulatus anni 102. 652 et C. Marius collega. missus uero hic est in Galliam contra Teutonos, Catulus in Galliam cisalpinam, ut Cimbros ab Italia arceret. quam ob rem obsedit Alpium fauces, quae per Brixentes ad Athesim ferebant, sed a Cimbris repulsus[2]) primo Athesis transitum defendere conabatur, cuius tutandi causa in utraque ripa castella posuerat. ipse cum maiore exercitus parte in dextra fluminis ripa castra habebat, una legio (Plin. 22, 11) sinistrae ripae castellum tutabatur. cum uero Cimbri arborum truncis supra in flumen inmissis pontis, qui castella iungebat, sublicas labefactarent corporumque robora et proceritates ostentarent, qui erant in maioribus castris milites Romani, animis conciderunt atque in fugam se praecipitauerunt; contra altera exercitus pars, quae in sinistra Athesis ripa deserta erat, 'uirtute sua explicata' per hostes erupit proconsulemque fugientem consecuta est.[3])

1) Cf. R. Buettner *Porcius Licinus u. der litterarische Kreis des Q. Lutatius Catulus* (1893).

2) Haec enim tradidit Liuius per. 68 (cf. Frontin. str. 1, 5, 3), cui malo fidem habere quam Plutarcho Mar. 23, qui sua sponte, ne copiarum uires disperderet, ex Alpium faucibus Catulum decessisse scripsit, cf. Muellenhoff *Deutsche Altertumsk.* II p. 137 sqq. uidetur hoc Catulus ipse in uita sua memoriae mandasse.

3) Supra Liuium secutus sum, nam Plutarchus (c. 23) ita Catuli famam restituit, ut eum *ὥσπερ χρὴ τὸν ἀγαθὸν καὶ τέλειον ἄρχοντα*, cum frustra milites ut manerent adhortatus esset, ne effuse Romani fugere uiderentur, ipsum cum aquila antecessisse narraret, at uero legionem illam trans Athesim tam fortiter castra oppugnata defendisse, ut eis expugnatis factoque foedere hostes saluos milites dimitterent, ubi quod aeneum taurum, per quem illud iuratum esset, tamquam spolium post

ita opus erat Marii auxilio, ut Cimbrorum impetui resisteretur. is quintum consul creatus ineunte a. 101. 653 copias suas cum Catulo, cui imperium prorogatum erat, coniunxit Padumque transgressus in campis Raudiis prope Vercellas Cimbros felicissimo proelio fudit fugauitque. cuius uictoriae partem etsi postea Catulus optimatium in Marium inuidia adiutus, cum mediae aciei praefuisset et ipse potissimum cum Cimbris rem gessisset, et libris suis et aedificiis, quae in eius belli memoriam exstruxit (Plut. Mar. 23. Valer. Max. 6, 3, 1), ad se trahere studuit triumphique honore cum Mario dignatus est (Plut. Mar. 27. 44), uulgo tamen fama obtinuit, qua uni Mario haec laus tribuebatur. Anno insequenti Catulus cum ceteris nobilitatis principibus arma contra Saturninum cepit: tum per decem fere annos eius uita latet, credo quia litteris unice deditus erat, donec bello Marsico, ne rei p. deesset, ad militiam euocatus legati munere functus est. etiam in bello ciuili, quod Marsicum excepit, et oratione et manu usus optimatium partes uidetur defendisse. certe Marius cum in urbem ingressus principes nobilitatis, quos nancisci posset, indicta causa trucidaret, Catulum capitis apud populum tribunum quendam accusare iussit, quamquam, si Diodoro credimus, antea benigno in eum fuerat animo.[1]) intellegebat Catulus hanc accusationem nihil differre a condemnatione et, cum necessariis eius uitam deprecantibus hoc unum Marius respondisset *Moriatur*[2]), ipse sibi (a. 87. 667) mortem consciuit[3]). peruenerat uero minimum usque ad annum aetatis sexagesimum alterum. nam quoniam anno 107. 647 primum consulatum petiuit, ante annum 149. 605 eum natum esse sequitur, quo cum tempore fere consentit, quod eum Cicero de oratore 2, 3, 12 (cf. ad Att. 13, 19, 4), quod colloquium a. 91. 663 habitum esse uult, senem dicit.

Mores autem Catuli diuersissimi erant et a Scauro et a Rutilio. summa enim in eo erat comitas, elegantia, humanitas, lenitas, ut

uictoriam Cimbricam in Catuli domum reportatum esse adiecit, auctorem satis aperte ipse significauit (cf. fr. 3).

1) 38, 4, 3: ὁ δὲ τὸ μὲν ἔμπροσθεν ἐγεγόνει φίλος, τότε δ' ἔκ τινος ὑποψίας ἀλλοτρίως ἔχων πρὸς αὐτὸν κτλ.

2) Cic. Tusc. 5, 19, 56. apud Diodorum l. s. ipse Catulus Marium precibus adiit, quocum facere uidetur Cicero de orat. 3, 3, 9.

3) Cicero multis eius memoriam honoribus ornauit, etiam propter filium patronum suum ueramque patris effigiem (mort. a. 60. 694), qui saepe eum in senatu patrem patriae nominauit; locos collectos habes in Orellii onomastico p. 367 sqq. et in Kayseri indice p. 360 sqq. mors patris crudelissima saepe ab eo aliisque descripta et deplorata est.

non solum apud optimates magno in honore esset sed ne apud populum quidem gratia careret (Plut. Mar. 14), desiderabatur in summa integritate seueritas, constantia, grauitas, quam ob rem haud inepte Cicero eum comparauit cum altero Laelio (Tuscul. 5, 19, 56). atque Graecae quidem linguae tum omnes nobiles Romae periti erant, hic uero ita, ut etiam Graecos ipsos ei suae linguae subtilitatem elegantiamque concessisse Cicero Antonium de oratore 2, 7, 28 dicentem faciat, idemque litteratus et eruditus, non antiquo more sed recenti doctrina Graeca imbutus (Brut. 35, 132. de off. 1, 37, 133) philosophiaeque Carneadis academicae addictus, qua percipi nihil posse putabat, adsensurum tamen non percepto, id est opinaturum sapientem, sed ita ut intellegeret se opinari sciretque nihil esse quod comprehendi et percipi posset.[1]) sic non mirabimur, quod ipse ut 'multarum litterarum' cognitionem suam publice ostentaret, Alexandrinorum uirorum doctorum artem imitatus in carminibus, orationibus, historiis componendis uersatus est.[2])

Scribendi autem genus respondebat eius naturae et uitae. laudatur enim a Cicerone etiam orationis eius comitas quaedam et mollitia, tum incorrupta Latini sermonis integritas (Brut. l. s. de orat. 3, 8, 29). maxime tamen ut in uictu cultuque elegantia et nitore delectabatur (Plin. 17, 2. Varro de r. r. 3, 5, 12), ita etiam in dicendo suauitate uocis et leni appellatione litterarum, ut Cicero huic potissimum rei laudem eius oratoriam tribueret (Brut. 74, 259. Quint. inst. 11, 3, 35).

Ex libris autem quos scripsit primum commemoratur is liber 'quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem suum' (Brut. 35, 132), cuius libri sermonem Latinum fuisse inde apparet, quod Cicero ut Latini sermonis integritatem, qua Catulus usus esset, perspicerent, Atticum Brutumque ad eum reuocauit. quamquam H. Iordan (Herm. VI p. 68—81) ex numero historiarum uel commentariorum eum expellendum et libellis adsignandum esse censuit, qui non scientiae rerum sed partium uel unius alicuius hominis consiliis et studiis seruirent, exorsus a loco quodam Frontonis (p. 126 N.), quo Verum imperatorem ita adulatur, ut epistulam eius de rebus bellicis ad senatum scriptam cum aliis clarorum ui-

1) Cicer. acad. 2, 48, 148. Zeller in hist. phil. Graec. I³ p. 525 eum solum Romanum inter Carneadis discipulos nominauit.

2) Etiam artium scientia quadam insignis erat, si quidem Phidiae duobus signis aedem Fortunae Romae ornauit (Plin. n. h. 34, 54).

rorum comparet, non cum eis, quae ab historiarum uel annalium scriptoribus compositae eisque insertae essent, sed cum Catuli litteris, quibus res gestas exemplo historici senatui exposuisset. hoc quidem ex loco lacunis et corruptelis obscurato elucet.[1] at Fronto ipse Catuli auctoritate parum feliciter usus est; nam Veri litterae ex more solito a duce publice ad senatum missae erant, Catuli autem ad amicum aliquem; tum ante Caesarem ad senatum epistulae a consulibus et ducibus non nisi transuersa charta missae erant (Suet. Caes. 56, 6), Catuli opus a Cicerone bis 'liber' dicitur (erat igitur ad paginas redactum) atque cum tribus Scauri 'libris' et cum Xenophonte comparatur, qui de orat. 2, 14, 58 inter historicos enumeratur et ut Catulus propter lenitatem soni dulcitudinemque laudatur. 'mittebantur' autem ad aliquem non modo litterae sed etiam libri, quorum prooemio honori satis fiebat (*Der roem. Brief* p. 243 sqq.), similiterque Coelius ad L. Aelium res gestas 'misit' (fr. 24 B). itaque etsi E. Hauler (Eran. Vindob. p. 213 sqq.) rectius quam Iordani auctor iteratis curis Frontonis uerba legit et sic suppleuit: *ue<rum> turgent elate <p>rolata teneris prope <u>erbis. historia tamen potius splendide perscribenda; si ad senatum scriberetur, etiam caute,* Catulum laudi suae non pepercisse comperimus, id quod per se probabile est, nihil tamen quod Ciceronis testimonium infringat, quod si coniectura supplere licet, epistulae illius ab eo ad L. Lucceium datae (ep. 5, 12) reminiscamur, qua si consulatum suum scribendum suscepisset, commentarios de eo confecturum se esse scripsit, ut eum arte et auctoritate sua ornaret. nam cum A. Furium annales composuisse constet Ennii annales, ut uidetur, continuantem, Lutatius habebat, cur eum idonea materia instrueret Mariumque aemularetur, cuius gratia Archias poeta Cimbricas res tetigerat (Cic. pro Arch. 9, 19. cf. 3, 5 sq.).[2]

Sed omnino dubito, num Fronto Lutatii opus ipse in manibus habuerit; nam iam sua aetate nihilo notiorem eum fuisse Cicero testatur quam Scauri libros Brutumque umquam in suas manus incidisse negantem facit. quae igitur ex eo ad nos peruenerunt reliquiae, omnes exstant in Plutarchi uita Marii et ad pugnam Vercellensem pertinent insertaeque sunt ab eo ita, ut uno quoque loco se Catuli

1) Buettner l. s. p. 178 in eo explicando omnino aliam rationem ingressus epistulam minoris Catuli fuisse suspicatus est scriptamque tempore belli eius Lepidique.

2) Vid. Fleckeiseni ann. CXV p. 751. Buettner l. s. p. 176 sqq. Schanz I 1^3 p. 289. infra p. CCLXVI.

uerborum notitiam aliis debere aperte fateretur. atqui Plutarchus antea, cum res a Lutatio consule infeliciter gestas describeret, eas ipsas mutauerat eique fauerat, tum uero posteaquam Sulla bello interesse coepit, Mario primas tribuit atque etiam facete dictis eum cum hostibus depugnantem fecit, neque tamen omnino a Lutatio desciuit eiusque causae ita subscripsit, ut ex fonte primario ter eius auctoritatem interponeret. illum autem Sullam fuisse ipse Plutarchus significauit, cuius narrationem Catuli testimonio (fr. 1) sic confirmauit: *ὅμοια δὲ καὶ Κάτλον αὐτὸν ἀπολογεῖσθαι περὶ τούτων ἱστοροῦσιν*[1]), atque etiam duobus aliis locis eum oblique citauit: *ὡς τὸν Κάτλον αὐτὸν ἱστορεῖν λέγουσι* fr. 2, *λέγουσιν, ᾧ καὶ μάλιστα τεκμηρίῳ χρῆσθαι τὸν Κάτλον* fr. 3. itaque antequam Cicero Brutum scripsisset, illa Catuli testimonia ex eius libro deprompta esse probabile est, praesertim cum uitam Sullae testimoniis eius abundantem Plutarchus ante Marianam scripserit.

Atque haec quidem sunt quae de hoc Catuli libro comperimus. neque enim grammaticum quemquam aut scriptorem ut ad Scaurum et Rutilium ita ad hunc delatum esse sermonis diuersitate facile explicatur, quoniam ex antiquo illo more ad recentiorem suum auctorem transire solebant.

Etiam ex orationibus, quas litteris mandasse uidetur (Cic. Brut. 35, 132), fragmenta non sunt seruata, neque ulla commemoratur nisi quam habuit laudationem Popiliae matris, qua mos mulieres publice laudandi inductus est (cf. supra p. XXXII). At carmina Catuli duo etiam nunc habemus, quae infra describi iussi (fr. 4. 5). eorum prius aperte ad hunc Catulum a Cicerone refertur, alterum, quo Callimachum (Anthol. Palat. 12, 73) imitatus est, ita concinit cum priore, ut eiusdem esse dicere nemo dubitauerit. ut uero haec ita etiam cetera, quamuis Catulus ipse grauis et sanctus esset, parum seuera fuisse discimus ex Plinii Secundi epistula illa notissima (5, 3), ubi in poetis huius Alexandrini generis Q. Catulum posuit, quem etiam aliorum poetarum familiaritate usum esse eorumque studiis fauisse ex Furii Antiatis et Archiae (Cic. pro Arch. 3, 6) exemplis uidemus.

1) Muellenhoff l. s. p. 125 propter hunc pluralem id improbauit; at cum singulos auctores haberent, ueteres eo numero usos esse constat; cf. ex. gr. ipsum Plutarchum in cap. seq. (26) sic citantem *οἱ περὶ Σύλλαν ἱστοροῦσιν*, tum hanc historiam confirmantem *αὐτὸς ὁ Σύλλας φησί.* substituit igitur ille Posidonium eumque secutus est A. Solari *(Atti del Congresso di scienze storiche Vol. II Sez. I p. 365—373)* sine certis argumentis.

Sed etiam alius libri inscriptio sub Lutatii nomine tradita est, communium historiarum uel communis historiae. eius mentio non inuenitur nisi in scholiis Vergilianis (fr. 6—8), reliquiae, quarum argumenta dignosci possint, pertinent ad urbium Italicarum origines.[1]) cum uero cum Graecis coniungerentur, eas res uel fabulas, quae Italorum Graecorumque communes essent, eo libro tractatas esse Mommsen l. s. arbitratus est; quod quidem studium quoniam apud Romanos increbruerat, inscriptionem ipsam a Graecis Lutatium mutuatum esse suspicatus eram; memineram enim a Polybio (8, 4, 11) *καθολικὴν καὶ κοινὴν ἱστορίαν* coniungi et Timaei historias *κοινὰς ἱστορίας* a Dionysio (in archaeol. 1, 6, 1) appellari ab eodemque (1, 2, 1) singularium gentium historiam opponi *τῇ κοινῇ ἱστορίᾳ* similiterque a Diodoro[2]); pro quo argumento G. Wissowa (*Relig. d. Roem.*[2] p. 67) similitudines quasdam ex historia, uita cultuque Romanorum et Graecorum a Lutatio dictas esse maluit. at et ultra hanc uim patet historia communionis uel *κοινότητος* (potest enim ad aliquot res hominesue referri, ad quos quid pertineat aut unde ortum sit), et alia supersunt fragmenta grammatica (9—13), quae nihil communionis praeferant. itaque aut aliud opus statuendum est aut ad aliam uim eius uocabuli confugiendum. ut Riese (mus. Rhen. XVIII p. 448) euhemeristicam subesse arbitratus est; sed rectius alii de historiis (i. e. fabulis) uulgo notis cogitauerunt, quae sine nomine auctorum diuulgatae essent. quod litterarum genus cum totum *κοινὴν ἱστορίαν* dictum esse praeeunte Wilamowitzio (Herm. XII p. 341) demonstrauit Fr. Leo[3]), tum praecipue uitas scriptorum per manus complurium grammaticorum traditas.[4])

1) Inscriptionem quod Reifferscheid mus. Rh. n. XV p. 605 propter fr. 7 argumentum in *Cumanarum historiarum libri* mutauerat, Th. Mommsen (C. I. L. I[2] p. 313) refutauit.

2) 1, 1, 3: *οἵ τε τὰς κοινὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις καθάπερ μιᾶς πόλεως ἀναγράψαντες κτλ.* 1, 3, 2: *οἱ πλεῖστοι μὲν ἑνὸς ἔθνους ἢ μιᾶς πόλεως αὐτοτελεῖς πολέμους ἀνέγραψαν, ὀλίγοι δ' ἀπὸ τῶν ἀρχαίων χρόνων ἀρξάμενοι τὰς κοινὰς πράξεις ἐπεχείρησαν ἀναγράφειν μέχρι τῶν καθ' αὑτοὺς καιρῶν κτλ.*

3) *Biogr.* p. 20 sq. cf. Busse, mus. Rh. 49 p. 81. Dionys. arch. 5, 17, 3: *ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαῖον εὕρημα τὸ παρὰ τὰς ταφὰς τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπαίνους τῆς ἀρετῆς αὐτῶν λέγεσθαι καὶ οὐχ Ἕλληνες αὐτὸ κατεστήσαντο πρῶτοι, παρὰ τῆς κοινῆς ἱστορίας οἶδα μαθών, ἣν ποιητῶν τε οἱ παλαιότατοι καὶ συγγραφέων οἱ λογιώτατοι παραδεδώκασιν.*

4) Ad Amm. 3 p. 260 Vsen. *ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον, ὡς παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃ κατέλαβον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν συνταξάμενοι, προειπεῖν.*

sic omnia fragmenta cum una inscriptione comprehendi possint, non partienda sunt inter duo opera.

Sed quaestio mota est, num idem Q. Lutatius Catulus consularis et de rebus a se gestis et de grammaticis scripsisse uideretur. emerat enim septingentis milibus numum grammaticum Daphnin, quem breui manumisit[1]), cuius doctrina uti magni eius interfuisse ex pretio apparet. itaque quamquam O. Iahn (Proleg. ad Pers. CXLIII n. 2), cui ipse in Fragm. hist.[2]) adsensus eram, communes historias a liberto Lutatio Daphni et compositas et editas esse coniecit, nunc nihil obstare ratus, quin suo nomine uir consularis utrumque opus publicauerit, Daphnin ex horum scriptorum serie exclusi et ne illud quidem Buettnero (l. s. p. 191 sqq.) concedo a Q. Lutatio communionem operae, in qua a liberto adiutus esset, inscriptione historiarum significatam esse. Sic ordinem numerosque fr. ex editione priore retinere potui satisque habui fr. 10 cancellis inclusisse.[3])

Vsus communium historiarum se intra Verrium, qui etiam ad idus Januar. in fastis Praenestinis (p. 231[2] Momms.) Lutatium citauerat (restant solae litterae LVTA), et Varronem[4]) continuisse ui-

1) Suet. de gram. 3 p. 103 Rf. Plinius (n. h. 7, 128) tamen emisse eum eodem pretio ab Accio Pisaurensi Aemilium Scaurum principem senatus prodidit: nisi subest error, postea hic eum uendidit Lutatio. uid. Detlefsen in mus. Rh. XVIII p 236 sqq., qui recte a patre eum emptum esse uideri exposuit.

2) p. 125—127. cf. Fleckeis. ann. CV p. 750 sq.

3) Pro *Catullo* iam Scaliger *Pacuuium* restituit; eundem enim locum Varro de re rust. 1, 2, 5 citauit, ubi sub *paculi* nomine *Pacuuius* latet (cf. H. Keil in comment. p. 10 et Ribbeck Fragm. trag.[2] p. xxxviii. 78). frustra Baehrens in Catullianis I p. 114 Catullum defendit.

4) Varro ubi de lacu Curtio agere coepit, 5, 148, haec praemisit: *In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia: nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is Cornelius Stilo secutus,* tum singulas sententias persequitur, primum Procilii, tum Pisonis, denique Cornelii et Lutatii, qui quidem idem prodiderint. hinc apparet in uoce illa *secutus*, quam corruptam esse nemo negabit, Lutatii nomen latere. sed etiam *cornelius stilo* emendatione eget, pro quo etsi iam antiquitus *Aelius* substitutus est, L. Aelius ille Stilo a Varrone in his de l. lat. libris nusquam cognomine addito sed semper simpliciter *Aelius* nominatus est (5, 18; 21; 25; 66; 101. 6, 7; 59). unde, nisi hic locus grauioribus mendis deprauatus est, aut sic eum scribendum esse conicio: *nec quod is, Aelius et Lutatius,* aut sic: *nec quod is, Cornelius et Lutatius.* Goetz et Schoell p. 258 (ubi aliae coniecturae minus probabiles collectae sunt) praetulerunt *Cornelius Stilo⟨nem⟩ secutus*; ipse tamen h. l. Lutatium aegre desidero, qui duabus para-

detur, ad quos testimonia commentariorum Vergilii[1]) et singula Solini Ioannisque Lydi redeunt.[2])

graphis post frg. 9) nominatus est. De hoc Cornelio uid. infra p. CCLXXI n. Funaioli p. 103—105.

1) Ex his etiam is, qui originem gentis Romanae fictis auctoribus exornauit, 'Lutatium' cognouerat (c. 9, 2. 11, 3. 13, 7. 18, 1) simulque A. Postumii 'De aduentu Aeneae' (c. 15, 4), quocum a Seruio (cf. fr. 8) citatus erat.

2) Denique ne quid in hoc corpore desideraretur, hunc locum ex commentis Bern. ad Lucanum 1, 544 ab Vsenero editis excerpsi, quem ut ad certum aliquem scriptorem referret, ne Vsenero quidem contigit. est hic: *Atreus Thyestis fratris sui filios ob adulterium Aëropae uxoris suae ad aram mactauit simulato sacrificio. uinum sanguine mixtum uisceraque filiorum eius pro epulis Thyesti adposuisse dicitur, quod nefas ne sol aspiceret, nubibus se abscondit, hoc est eclipsin passus est, Mycenisque nox fuit. sed hoc fabulosum esse inueni in libro Catulli, qui scribitur per mimologiam* [sic Vsener p. 35. περὶ μιμολογιῶν L. Mueller mus. Rh. XXIV p. 622. *liber mimologiarum* Buettner p. 189 *quis cribilus permimologiarum* cod.], *qui ait ⟨Atreum⟩ primum ciuibus suis solis cursus ueros et ante inauditos ostendisse ae persuasisse illum contrarium signis omnibus ascendere et quod ceterae uagae stellae facere dicuntur: et ob hanc scientiam inclutum summoto fratre regnum accepisse. quod in prodigium minores tragoedi conuerterunt.*

L. CORNELIVS SVLLA[1])

L. Cornelium Sullam, cuius uitam resque gestas enarrare non est nostrum sed historicorum, cum a. 79. 675 dictatura abdicata in agros Puteolos se recepisset, ut (quem ad modum centum fere annis post Tiberius) liber negotiis publicis quiete et otio frueretur, ibi et piscando et uenando corpus exercuisse et praeter Bacchi Venerisque uoluptates litteris multum oblectatum etiam historiae scribendae operam dedisse constat (Drumann II p. 496). in qua re tanto studio et tanta adsiduitate uersatus est, ut duobus diebus ante mortem uicesimum alterum librum ad finem perduceret (Plut. Sull. 37). utrum tamen in secessu Puteolano adgressus sit ad hos libros componendos, quos nouissimos Sullae fuisse Suetonius (de gram. 12 p. 110 Rf.) tradidit, ita ut eum omnes uiginti duos libros uno anno absoluisse existimandum sit, an iam cum rei publicae praeesset, initium fecerit, certo diiudicari nequit: illud tamen et per se ueri similius est et extrema uerba fr. 8 eum uix dicturum fuisse arbitror nisi toto suo opere iam perfecto et re publica bene, ut putabat, constituta.

Enarrauerat autem hisce libris res à se gestas, ita ut etiam in secundo de familia sua praefaretur, in cuius fr. 2 de uno ex eius maioribus sermo est, qui anno 212. 542 praetor fuerat; nam cum eius 'familia prope iam extincta maiorum ignauia' esset (Sallust. Iug. 95, 3), eorum rebus erutis et explicatis hanc memoriam restituere magnopere eius intererat, quo quidem in studio et aliarum gentium exemplum imitatus aemulatusque et suam ipse auctoritatem stabiliuisse sibi uisus est.[2]) libro decimo (fr. 16) progressus erat usque ad eas res, quae post pugnam Chaeroneensem gestae sunt (a. 86. 668).[3])

1) C. Vitelli, *Note ed appunti sull' autobiografia di L. Corn. Silla. Estratto dagli Studi italiani di Filologia classica. Vol. VI p. 353—394 (1898).*

2) Vid. infra.

3) Quae Heeren De font. Plut. p. 151 scripsit Sullam profectum esse a bello sociali idque leuiter tantum perstrinxisse, omni fundamento carent.

deinde eum ita ut singulos annos ne singulis quidem libris coerceret, duodecim libros adiecisse et de pugna ad Sacriportum commissa atque in libro XXII quodam modo (τρόπον τινά) de morte sua, quam filius mortuus per somnium praedixisset, locutum esse ex Plutarcho (fr. 19. 21) discimus. nihilo minus imperfectam hanc uitam a Sulla relictam et a L. Cornelio Epicado Sullae liberto suppletam esse diserte Suetonius (l. s.) memorauit. id quod ita explicamus, Epicadum, quae nemo quisquam uitam suam scribens referre potest, suppleuisse, ipsam mortem funusque patroni mortui.[1] a ceteris eum, si qua in eo erat pietas[2], manus abstinuisse inde colligitur, quod Sulla ipse librum suum miserat ad Lucullum, quem eundem filii tutorem esse uoluerat[3], ut ille homo Graece Latineque doctus et elegans res gestas melius disponeret orationemque limaret et perpoliret. quo quidem desiderio Sullam quod sentiret dixisse credemus, certius quam Ciceronem commentarios suos Graecos de consulatu ad Posidonium mittentem, ut ornatius de isdem rebus

1) Cf. de Epicado Osann, *Beiträge zur griech. u. roem. Litteraturgesch.* II p. 359. Goetz *R. E.* IV c. 1311. Funaioli p. 103 sqq. apud Krausium inter ceteros historicos suum obtinet locum. ego tamen eum remoui, quia nihil aliud quam patroni libros ad finem perduxit neque quidquam ad eius auctoritatem refertur, quod ex historiis sumptum esse possit. Edidit uero Epicadus librum de cognominibus (Charis. 1 p. 110 K. cf. Sulla fr. 2 c. adn.) et de metris (Max. Victor. VI p. 209 K.) et de antiquitatibus. in tali enim libro locum habere poterant, quae Macrobius sat. 1, 11, 47, ut sigillarium originem explicaret, ex eo inseruit. Etiam a Varrone, ubi de l. l. 5, 150. 7, 39 (unde lacus Curtius et Luca bos nomen inuenerint) citatur Cornelius, nil obstat, quominus Epicadum dictum putemus, quae est sententia Osanni l. s. s. idem enim sub nomine Epicadi a Varrone etiam ap. Seru. in Aen. 1, 649 laudatur (de arboribus in Sicilia quae lanam ferant) et ap. Plin. loco item ex Varrone excerpto (17, 243), ubi eius nomen pro Epidio restituendum est (*C. Epicadi commentarii, in quibus arbores locutae quoque reperiuntur,* uid. Muenzer *Quellenkr. d. Plin.* p. 154 sq.), praesertim cum a Varrone d. l. l. 7, 39 Epicadi commentarius citatus sit et in indice Pliniano auctorum quidam codd. *Epidicum* exhibeant. uid. Iahni Prolegg. in Pers. p. CXLIII. haud ignobilem grammaticum eum fuisse uidemus ex Arnobio 1, 59, ubi pro *epicam deos*, quod exhibet codex, recte Epicadi nomen restitutum est.

2) Cf. Suet. l. s.: *filio quoque eius Fausto gratissimus fuit; quare numquam non utriusque se libertum edidit.*

3) Vid. fr. 1 Plut. Sull. 6: *Ἔτι δὲ Λευκόλλῳ μὲν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ὧν ἐκείνῳ τὴν γραφὴν ἀνατέθεικε, παραινεῖ κ. τ. λ.* Luc. 4: *ἀλλὰ τήν τε γραφὴν — τῶν ὑπομνημάτων ἐκείνῳ δι' εὔνοιαν ἀνέθηκε.* cf. Wiese p. 15.

scriberet (uid. Vol. II p. IV), aut Iustinum (in hist. Philipp. praef. 5) se epitomen suam non tam cognoscendi quam emendandi causa ad amicum aliquem transmisisse simulantem aut Ausonium (p. 169 P. 104 Sch.) Drepanium proconsulem adhortantem, ut librum transmissum retineat, nisi placuerit. sed Lucullus utrum amici precibus obsecutus sit an eius indoli et generi subito scribendi uerecunde parcere neque quidquam mutare maluerit, nescimus. hoc si fecit, eadem iudicii elegantia ductus est, qua Cicero, etsi Caesar commentarios suos componens alios habere uoluisset parata, unde sumerent, qui uellent scribere historiam, eum pura et inlustri sua breuitate sanos quidem iudicii homines deterruisse adnotauit.[1])

Fuerunt quidem qui cum Heerenio (De font. Plut. p. 151) Sullam sermone patrio usum esse negarent, sed, cum Sallustius (Iug. 95, 3) eum litteris Graecis atque Latinis iuxta atque doctissime eruditum fuisse dixerit, atque ille etiam comoedias Latino sermone condiderit[2]), non uideo, cur uersionem, de qua nihil accepimus, non ipsos Sullae commentarios inspexerint Gellius et Priscianus uel eorum auctores, cum Latina eius uerba adferrent (fr. 2. 3. 20). accedit etiam aliud. ubi enim Plutarchus de Felicis cognomine agit (c. 34), haec facit uerba: *ἐκέλευσεν ἑαυτὸν ἐπὶ τούτοις Εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ Φῆλιξ μάλιστα βούλεται δηλοῦν. αὐτὸς δὲ τοῖς Ἕλλησι γράφων καὶ χρηματίζων ἑαυτὸν Ἐπαφρόδιτον ἀνηγόρευε.* nam si Graece commentarii scripti essent, cur Latinam interpretationem addidit?

Inscriptionem octies Plutarchus (fr. 8. 10 A. 11. 12. 13. 16. 17. 21) *ὑπομνήματα* dicit, Cicero (fr. 9) historiam; Gellius 'rerum gestarum librum secundum' bis (fr. 2. 3) citat, Priscianus (fr. 20) uicesimum primum 'rerum suarum', quibuscum consentit uno loco Plutarchus (fr. 1): *καὶ Σύλλας τὰς ἑαυτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προσεφώνησεν.* unde (neglecto Ciceronis testimonio ut parum accurato) cum aliqua probabilitatis specie libros inscriptos fuisse efficitur *commentarios rerum gestarum.*[3])

1) Brut. 75, 262. cf. Hirt. b. Gall. 8 pr. 5.

2) Athen. 6 p. 261 c: *Νικόλαος δ' ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ ἑκατοστῇ τῶν ἱστοριῶν Σύλλαν φησὶ τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλογέλων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας. ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι ἐν πατρίῳ φωνῇ.*

3) Cf. Cicer. in epistula illa ad Lucceium data 5, 12, 10, ubi se 'commentarios rerum omnium' in illius usum confecturum esse pollicetur.

De consilio autem et ratione, quam secutus Sulla commentariorum libros uiginti et duos scripserit, grauissima documenta Plutarcho[1]) debemus, cuius uita Sullae praeter ceteras multitudine testimoniorum unius scriptoris numeratorumque librorum excellit, idque eius, cuius res gestae narrantur, sed numerus eorum etiam augetur multis aliis indiciis, quae et argumento suo et loco, quo in narratione cum illis testimoniis saepe coniuncta apparent, ad eandem auctoritatem trahuntur (uid. infra p. CCLXXVI sqq.). uerum tamen Plutarchus etiam aduersariorum sententiam cognitam habuit neque eam aspernatus multis criminibus Sullae uitam moresque cumulauit. nam iam Posidonius, etsi eius indoli et doctrinae Sullae superstitionem maxime placuisse consentaneum est[2]), mediam quandam inter Sullae laudatores et obtrectatores ingressus est uiam habuitque sequentes Diodorum et de bello Mithridatico Appianum[3]), fortasse etiam Strabonem;[4]) de Latinis autem L. Cornelius Sisenna primum eius laudes propagauerat, tum uero Sallustius eas temperauit, cum bonis initiis malos euentus eum habuisse scriberet, ut incertus esset, utrum quae post uictoriam ciuilem fecisset, puderet magis quam pigeret disserere (Catil. 4, 4. Iug. 95, 4); chorum tamen inferiorum Liuius ducit, qui cum Sulla de numero militum ad Chaeroneam in utraque acie (uid. adn. ad fr. 15) et de multitudine hostium ad Tifata montem caesorum consentit, Sullanorum tamen in Italia paucitatem auxit[5]), denique pulcherrimam uictoriam (ante portam Collinam) crudelitate, quanta in nullo hominum fuisset, inquinatam esse concedit (perioch. 88). ex hac sententia Velleius (2, 25, 3) adeo eum dissimilem fuisse bellatorem ac uictorem declamat, ut dum uinceret, aequissimo lenior, post uictoriam audito fuerit crudelior. itaque Plutarchus in prima parte uitae per particulas modo Sullae modo eius aduersariis fauet miscetque laudes calumniasque, in pensitandis tamen eis saepius ad obtrectatores quam ad admiratores inclinat.[6]) tum autem, postquam ad res in Graecia et prope patriam

1) Nunc in multis rebus ab ea sententia, quam De Plutarchi fontibus olim proposui, dissentio.

2) Vid. Zelleri hist. Graec. phil. III 1³ p. 575 sq.

3) Vitelli l. s. p. 380 sqq.

4) Busolt l. s. p. 436 sqq.

5) Cf. Eutrop. 5, 7. Oros. 5, 2, 2. hoc loco consulto Liuius numerum mutauerat, aliis Eutropius et Orosius inter se differunt atque etiam eorum libri mss. inter se, sed ita ut multitudinem hostium occisorum seruauerint; neglegentia igitur subest. cf. adn. ad Claud. fr. 84.

6) Vitelli l. s. eas particulas, quae Sullae aequae, et eas, quae in-

urbem gestas transiit, telam ex Sullanis filis pertexere incipit omniaque in Sullae gratiam composuit. quae addidit, ex sua locorum, hominum, temporum scientia hausit (c. 15. 24), atque ut quam diligentissime res exploraret, etiam ad senum Atheniensium memoriam prouocauit (c. 14); sic cum iactatione quadam praefatus ipsas pugnas Chaeroneensem, ubi hostium multitudo oratoria quadam arte exornata est, et Orchomeniam (c. 18—21) multo accuratius et copiosius describit quam ceteras eius uitae.[1]) itaque hic cum in Plutarchi ipsius officinam introspicere eiusque industriam, si qua re postulabatur, cognoscere nobis uideamur, tum et penetrasse eum usque ad eum fontem, ex quo largissimam et certissimam ubertatem haurire posset, et eius fide explorata alius auctoris adiumentum non interposuisse intellegimus.[2]) iam uero quo propius ad discrimen rerum explicandum Plutarchus accedit, eo longius a Sullae auctoritate discedit, atque quod in prima uitae parte conatus erat, texturam Sullanam narrationi suae subdere, primo nunc repetit atque a miraculis ei faustis exorsus eum identidem citat (c. 27. 28); tum de defensione rerum ab eo gestarum, quam c. 23 incohauerat, omnino desperauit eaque uia incessit, quae a Sallustio Liuioque et a Posidonio monstrata erat[3]), neque per cap. 29—36 commentario-

fensae, comparatis uitis Marii et Sullae accurate discernere conatus est, auctores non nominauit, nisi in uniuersum Posidonium, Strabonem, Liuium. — Aliquot exempla adferam: cf. c. 5 Sullam praeturam adeptum esse *τὸ μέν τι θεραπείᾳ, τὸ δὲ καὶ χρήμασι προσαγαγόμενος*, in eodem cap. eum quod ad Euphratem Orobazem ut Romanus tractasset, alios laudasse, alios uituperasse, quod *φορτικὸς καὶ ἀκαίρως φιλότιμος* fuisset, c. 6 crimina de naturae eius uarietate et inconstantia (*ἀνωμαλίᾳ*), c. 9 Romam a Sulla incensam esse *κατ' οὐδένα λογισμόν*, c. 10 in Marii mortem praemium propositum esse *οὐκ εὐγνωμόνως οὐδὲ πολιτικῶς*, cum haud multo ante ab aduersario eius uita seruata esset.

1) Etiam Kromayer (*Antike Schlachtfelder II p. 394 sqq.*) has (et Appiani) pugnarum descriptiones ex Sullae commentariis repetiit.

2) Iubae mentio c. 16 ex aliis excerptis inserta est; nam paulo post in c. 17 in tenore narrationis eam memoriam, cuius uarietatem ex illo adnotauerat, denuo admisit.

3) Vid. maxime c. 30: *Σύλλας μετρίως τὰ πρῶτα καὶ πολιτικῶς ὁμιλήσας τῇ τύχῃ καὶ δόξαν ἀριστοκρατικοῦ καὶ δημοφιλοῦς ἡγεμόνος παρασχὼν — εἰκότως προσετρίψατο ταῖς μεγάλαις ἐξουσίαις διαβολὴν ὡς τὰ ἤθη μένειν οὐκ ἐώσαις ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς τρόπων ἀλλ' ἔμπληκτα καὶ χαῦνα καὶ ἀπάνθρωπα ποιούσαις.* c. 28: *ὁ Σύλλας διέφθειρε τοὺς περὶ Σκηπίωνα τοῖς ἑαυτοῦ στρατιώταις ἠσκημένοις πρὸς ἀπάτην καὶ γοητείαν ἅπασαν, ὥσπερ αὐτὸς ὁ ἡγεμών.* comp. 3: *τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλούστιος.*

rum rationem habuit, dum mors c. 37 describenda esset, quam ipse diuinatione praeceperat. in illis tamen capitibus non uni alicui auctori se addixit. nam modo per singulas particulas cum Appiano concinit modo discrepat. sed quoniam Busolt[1]) pluribus exposuit et Posidonio et Liuio eos usos esse itemque hunc illo, omnes igitur aequitati cuidam studuisse, auctores nominare admodum difficile est, constare tamen uidetur, si Plutarchus et Appianus de Sulla ad uerbum consentiant, hoc ex scriptore Graeco i. e. ex Posidonio sumptum esse[2]) et quo quid Sullae eiusque superstitioni magis faueat, eo certius eius commentarios subesse, id quod ad Plutarchum potissimum pertinet, cuius omina et prodigia longe plura sunt quam apud ceteros atque etiam ad res suscipiendas et exsequendas ita ualent, ut descriptio ab illis separari non possit.

Neque enim Sulla, ut uetus ille Cato Censorius 'haudquaquam obtrectator laudum suarum', aperte se resque a se gestas laudauit sed callide hoc consilium modestiae specie obtexit. omnes enim illas praeclaras res se non suae suorumque uirtuti et prudentiae sed miro cuidam deorum fauori et beneuolentiae debere dixit[3]), qui se singulariter in omnibus coeptis adiuuissent. hinc ex mediis hostium insidiis se incolumem euasisse, hinc repugnantibus et aduersantibus nobilissimis uiris auctoritatem et gratiam consecutum esse, hinc exiguo militum numero incredibiles hostium copias se fudisse fugasseque paucosque ipsum amisisse.

Vt autem Fortunae se quasi filium fuisse omnibus persuaderet, duas potissimum res excogitauit, quae ad id facere uiderentur.[4]) primum enim omnia uaticinia, prodigia, ostenta, somnia diligentissime conquisiuit librisque suis inseruit, ut his luculentis exemplis

1) Fleckeiseni ann. 141 p. 321—349. 405—438.

2) Cf. C. F. Arnold *Untersuch. über Theophanes von Myt. u. Posidonius von Ap.* in Fleckeiseni ann. suppl. XIII p. 114 sqq. Busolt l. s. p. 323. 437.

3) Cf. Plut. Sull. 6: *ἔτι δὲ καὶ δι᾽ ὧν φησι πρὸς τύχην εὖ πεφυκέναι μᾶλλον ἢ πρὸς πόλεμον, τῇ τύχῃ τῆς ἀρετῆς πλέον ἔοικε νέμειν καὶ ὅλως ἑαυτὸν τοῦ δαίμονος ποιεῖν* (fr. 8). c. 34: *οὕτω δὲ ἄρα οὐ ταῖς πράξεσιν ὡς τοῖς εὐτυχήμασιν ἐπίστευεν.*

4) Vid. Misch l. s. p. 139 sqq. Sallustius postquam Sullae uirtutes bonorum initiorum maxime laudauit, eius fortunae ita meminit, ut scite adderet (Iug. 95, 4): *multique dubitauere, fortior an felicior esset.* cf. Plut. Sull. 6: *Σύλλας δὲ πολλὰ δράσας ἄξια λόγου δόξαν ἔσχεν ἡγεμόνος μεγάλου μὲν παρὰ τοῖς πολίταις, μεγίστου δὲ παρὰ τοῖς φίλοις, εὐτυχεστάτου δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἐχθροῖς.* fr. 8.

demonstraret, quam diligenti cura di se semper prosecuti essent, eosque non solum futuram magnitudinem portendisse seque ipsum ad omnes res, quae postea eis auspicibus prospere euenissent, adhortatos esse sed etiam aliorum hominum animos in se conuertisse gloriamque auxisse.[1])

Ita a Postumio haruspice oratum florentissima Samnitium castra se cepisse narrauit (fr. 9), Chaldaeos sibi, cum iuuenis obscuri nominis esset, caelestem uitam et memoriam esse futuram uaticinatos esse (fr. 21 c. adn.), Graecum quendam haud ignobilem diuinitus monitum sibi, cum in Graecia esset, uictoriam Orchomeniam, militem eodem tempore quae in Italia futura essent praedixisse (fr. 16), plurimaque omnia secunda sibi contigisse, cum e Graecia in Italiam traiecturus esset (fr. 18). atque haec quidem sub ipsius Sullae nomine memoriae prodita sunt, sed praeterea etiam haec omina et somnia Sullae propitia, hostibus infesta Plutarcho Sullanam copiam suppeditasse paene pro certo adfirmauerim:

c. 5. *Ἱστορεῖται δέ τις ἀνὴρ τῶν μετὰ Ὀροβάζου καταβεβηκότων Χαλδαῖος εἰς τὸ τοῦ Σύλλα πρόσωπον ἀπιδὼν — θαυμάζειν — πῶς ἀνέχεται μὴ πρῶτος ὢν ἁπάντων*; quod uaticinium ex ipso Sulla fluxisse etiam aliunde confirmatur, uid. adnot. ad fr. 21. accedit quod in c. 4 et 5 bis ipse citatus est, in c. 6 quater usque ad uerba *Ταῦτα μὲν οὖν περὶ τῆς θειότητος.*

c. 7. *ὡς καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς προεσήμηνε. πῦρ μὲν γὰρ αὐτόματον ἐκ τῶν τὰ σημεῖα δοράτων ὑποφερόντων ἀνέλαμψε*

1) Adduci non possum, ut id re uera sensisse credam Sullam, de quo grauiter monuit L. Lucullum *μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι καὶ βέβαιον, ὡς ὅτι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων* (fr. 8 c. adnot.), eumque hominem tam superstitiosum fuisse, qualem se haberi uult. nametsi superstitione non liber erat, prorsus discrepant cum hac natura ea quae Sulla fecit, templa Delphis, Epidauri, Olympiae sine ullo pudore diripiens atque Delphis et deum et sacerdotem superbis facetiis inludens (Plut. Sull. 12). etiam Plutarchus dubitauit, num uera essent quae Sulla de daemonio suo gloriaretur, cf. Sull. 6: *Σύλλας δὲ οὐ μόνον ἡδέως προσιέμενος τὸν τοιοῦτον εὐδαιμονισμὸν καὶ ζῆλον ἀλλὰ καὶ συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον.* imitatus autem est Sulla hac in re Scipionem Africanum maiorem, qui item, ut populus imperia consiliaque sua uelut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequeretur, 'arte quoque quadam ab iuuenta in ostentationem uirtutum compositus pleraque apud multitudinem aut ut per nocturnas uisa species aut uelut diuinitus monita' egit, ut ait Liuius 26, 19, 3, qui haec exscripsit ex Polybio 10, 2 Lycurgi eum id exemplo fecisse exponente.

et quae sequuntur multa prodigia usque ad *ταῦτα μὲν οὖν οἱ λογιώτατοι Τυρρηνῶν καὶ πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδέναι δοκοῦντες ἐμυθολόγουν* et quae seq. usque ad finem capitis.

c. 9. *Οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Μάριον ἐν παρασκευαῖς ἦσαν — τὴν ἐσχάτην δίκην ὑποσχεῖν βουλόμενος.* quae ex Sulla sumpta esse Cicero testatur. uid. fr. 9 c. adnot.

Λέγεται δὲ καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ Σύλλᾳ φανῆναι θεὸν — θαρσήσας δὲ τῇ ὄψει καὶ φράσας τῷ συνάρχοντι μεθ' ἡμέραν ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἡγεῖτο.

c. 11. *Λέγεται δὲ ὑπὸ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, ἐν αἷς ὁ Σύλλας ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἐκίνει τὸν στόλον, ἄλλα τε πολλὰ Μιθριδάτῃ διατρίβοντι περὶ τὸ Πέργαμον ἐπισκῆψαι δαιμόνια — ἐλπίδος πέρα προχωρούντων.*

c. 14. *καὶ τὸ δαιμόνιον εὐθὺς ἐπεσήμηνε — ἐπλήρωσεν ὕδατος τὴν ἀκρόπολιν.*

c. 27. *Ἔτι δὲ Μάρκος Λεύκολλος, εἷς τῶν ὑπὸ Σύλλᾳ στρατηγούντων — ὤκνει. — γενόμενοι δὲ ὑπὸ τούτου* [prodigio] *προθυμότεροι συνέβαλον καὶ νικήσαντες ὀκτακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις ἀπέκτειναν καὶ τὸ στρατόπεδον εἷλον.* antecesserant tria Sullae testimonia.

c. 28. *ὁ δὲ* [Sulla] *καὶ πάνυ πρόθυμος ἦν διαγωνίσασθαι κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν* [contra Marium]. *ἐτύγχανε γὰρ ὄψιν ἑωρακὼς τοιάνδε κατὰ τοὺς ὕπνους. — δυστυχίαν φέρουσαν.* quo cum somnio arte cohaeret pugnae quae sequitur descriptio, cf. *ἐνταῦθα τῷ Σύλλᾳ τὴν κατὰ τοὺς ὕπνους φωνὴν ὁ δαίμων συνετέλει.* paulo post etiam hic Sulla citatus est.

c. 29. *Λέγεται δὲ ἔχων τι χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἀγαλμάτιον ἐκ Δελφῶν ἀεὶ μὲν αὐτὸ κατὰ τὰς μάχας περιφέρειν ἐν τῷ κόλπῳ — τοῖς ἑαυτοῦ συναπολούμενον πολίταις.*[1])

Neque tamen satis habuit Sulla hanc deorum gratiam et uoluntatem declarasse, sed etiam ita eos fauorem significasse uideri uoluit ut, cum hostes in pugnis innumerabiles homines amisissent, ipse

1) Quae c. 38 addita sunt de Sullae funere, ita prae se ferunt singularem deorum benignitatem, ut haec ex Epicadi epilogo, qui eodem animo esse scriptus uidetur atque ipsi commentarii, hausta esse existimauerim. — Fortasse etiam oraculum Sullae datum et qui uersus de illo a Sulla rescripti sunt ex Sullae commentariis in Appiani bell. ciu. 1, 97 (quamquam per alium auctorem) fluxerunt:

Τόνδε σοι αὐτοκράτωρ Σύλλας ἀνέθηκ', Ἀφροδίτη,
ὥς εἶδον κατ' ὄνειρον ἀνὰ στρατιὴν διέπουσαν
τεύχεσι τοῖς Ἄρεος μαρναμένην ἔνοπλον.

paucissimos desideraret. ut ad Chaeroneam undecim hostium milia, Sullae duodecim homines occisi sunt (fr. 15 c. adn.), ad Sacriportum hostium uiginti milia interfecta, octo milia capta, Sullae uiginti tres perierunt (fr. 19), id quod de altera quidem pugna, quoniam Romani cum Romanis pugnauerunt, nemini, credo, Sulla persuadebit, de priore paucis.

Sed grauius est, quod sine ulla religione ac fide memoriam rerum modo gestarum libere mutare et corrumpere ausus, cum eas inuidia et maleuolentia obscurari aut in deterius uerti uidisset, hominum uoluntates et offensiones superbe contempsit omniaque suo studio suaque ira infecit. nolo quaerere, num Archelaum Mithridatis ducem, quem ut hostem Plutarchus satis magnis laudibus effert, suo iure Sulla a proditoris crimine defenderit (fr. 17)[1]), illud paucis nunc adumbrare lubet, quam iniqua et infensa inuidia Marium persecutus sit, idque ita, ut ea eius uitae Plutarchi capita, quibus res ab eo aut cum Sulla aut contra eum gestae continentur, maxime c. 8—10 (bellum Iugurthinum), c. 23—27 maiorem partem (b. Cimbricum), c. 28—35 med. (b. ciuile) comparem. nam cum eam post Sullam scripserit, materiam ad illam uitam collectam eum hic non spreuisse per se ueri simile est et Sullae auctoritate bis laudata confirmatur.[2]) primum igitur in Africa Metellus apud Plutarchum debellauit, non Marius; et quod solum restabat, ut Iugurtha ipse in manus hostium ueniret, id opus periculosissimum Mario ipse Sulla praeripuit: *περιῆλθέ τις νέμεσις* (ut ait Mar. 10) *ἐν τῷ τέλει τῶν πράξεων Μάριον. ἀφῃρέθη γὰρ ὑπὸ Σύλλα τὴν τοῦ κατορθώματος δόξαν, ὡς ὑπ' ἐκείνου Μέτελλος.* quas res prorsus aliter a Sallustio narratas esse quis est qui nesciat? atque quod hic b. Iug. 69, 4 dicit: *Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere postquam sese parum expurgat, condemnatus uerberatusque capite poenas soluit,* propter eam rem Plutarchus (Mar. 8) in Marii inprobitatem et malignitatem uehementer inuehitur, qui, ut Metelli animum offenderet, quem amicum esse sciret Turpilii, omni studio id

1) Haec fuit Suringario causa, ut p. 18 quae Plutarchus rettulit c. 22 et 24 de colloquiis inter Sullam et Archelaum Mithridatemque factis in ipsis Sullae reliquiis poneret. sed eodem iure potuit maiorem uitae Sullanae partem addere a c. 3—30.

2) Sic enim, ut breuitatem excuset, in u. Marii c. 10 Sullanae meminit: *ἐπεὶ τὰ καθ' ἕκαστα μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ Σύλλα γέγραπται.* cf. Michaelis *De ordine uit. Plut.* p. 47.

egerit, ut ille capitis condemnaretur, et cum supplicio sumpto innocentem Turpilium fuisse intellectum esset, de ea re pudoris et uerecundiae oblitus etiam gloriatus sit. uid. *De fontibus Plut.* p. 57 sq. 100 sq. Kiene, *Bundesgenossenkrieg* p. 233—35.

Quod autem Sulla laudem belli prospere confecti occupauit, *ἠνία ταῦτα τὸν Μάριον*, sed minorem Sullam esse arbitratus quam cui inuideret, *ἐχρῆτο πρὸς τὰς στρατείας — καὶ πολλὰ δι' ἐκείνου τῶν χρησίμων κατωρθοῦτο.* tum uero Sulla *τὸν Μάριον αἰσθόμενος ἀχθόμενον αὐτῷ καὶ μηκέτι προϊέμενον ἡδέως πράξεων ἀφορμὰς ἀλλὰ ἐνιστάμενον τῇ αὐξήσει* ad Lutatium Catulum, quem Plutarchus etiam supra eius merita laudat[1]), se confert atque in eius exercitu cum Cimbris pugnat (Sull. 4). qua in pugna ita aciem instituisse Marium Sulla narrauerat (fr. 5), ut suorum militum uictoria, Catulus certaminis et laudis expers esset. uerum tamen eius doli grauissimas eum poenas dedisse (fr. 6). nam cum Cimbri fusi essent, eum, cum prae puluere hostes cedentes cernere non posset, ab eis in persequendo aberrasse, Catulum autem totam rem profligasse atque iure uictoriae laudem sibi uindicasse (cf. *De Plut. font.* p. 101 sq. Kiene l. s. p. 236 sq.). denique simili ratione ductus Plutarchus cum uoluptate quadam illum inludit atque inridet, qui bello Marsico ridiculum in modum uires iuueniles ementitus esset, ut cum imperio contra Mithridatem mitteretur. sed etiam ingrati animi crimen subiit Sulla describens seditionem Sulpicii Rufi, in qua, cum Sullam ex fuga in Marii domum se recepisse et aduersarii generositate per posticam incolumem dimissum esse ab ipso Plutarcho in uit. Marii c. 35 traditum sit, Sulla in commentariis haec protulit: *ἀπαλλαγθῆναι βουλευσόμενος ὑπὲρ ὧν Σουλπίκιος ἠνάγκαζεν αὐτὸν ἄκοντα ψηφίσασθαι περισχὼν ἐν κύκλῳ ξίφεσι γυμνοῖς καὶ συνελάσας πρὸς τὸν Μάριον, ἄχρι οὗ προελθὼν ἐκεῖθεν εἰς ἀγοράν, ὡς ἠξίουν ἐκεῖνοι, τὰς ἀπραξίας ἔλυσε* (fr. 11), eamque memoriam nulla addita discrepantia Plutarchus in Sullae uita c. 8 secutus est, ne cum iniquissimo iudicio de Sulpicii consilio et legibus discreparet (*De font. Plut.* p. 58). Atque haec quidem hactenus.

Denique fragmenta Sullae seruauerunt praeter Plutarchum in uitis Sullae (fr. 4. 7. 8. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 21.), Marii (fr. 5. 6. 11), Luculli (fr. 1) et in *an seni s. g. r.* (fr. 10 A)

1) In hac pugna describenda Catuli commentariis Sullam usum esse supra p. CCLXV sq. docuimus.

duobus locis Gellius (fr. 2. 3), singulis Cicero (fr. 9), Plinius (fr. 10)[1]), Tacitus (fr. 17 A), Priscianus (fr. 20). Fortuna igitur eius commentariis defuit ut ceteris autobiographis, casuque Plutarcho contigisse uidetur, ut Chaeroneae, in parua urbe, ubi uitas suas composuit, cum Sulla auctor eius salutis esset, hoc opus conseruatum in eius manus perueniret (Buecheler in mus. Rhen. 54 p. 1). ipsa tamen eius fama, etsi aequitate Posidonii, Sallustii, Liuii multis in rebus correcta et in ueriorem formam redacta est, non omnino exstingui potuit uestigiaque quaedam uitiatae ab eo memoriae uel turbatae apud posteros reliquit.

1) Plinius hunc locum fortasse sumpsit ex Masurio Sabino, cui quaecunque de coronis expromit, debet, sed quod librorum Sullae consilium fuisset, eum non fugisse inde apparet quod in re, quae per se nullam moueat suspicionem, originis tamen, unde ducta sit, memor caute adiecit *quod si uerum est.* cf. Muenzer *Quellenkr. d. Plin.* p. 157.

L. LICINIVS LVCVLLVS

In L. Licinio Lucullo[1]) constat singularem fuisse et ingenii et iudicii elegantiam, ut ad hunc potissimum, amicum ab adulescentia secum coniunctum, Sulla commentarios suos mitteret retractandos et perpoliendos (cf. s. p. CCLXXI sq.), atque magnum optimarum artium studium. Graece enim et Latine pariter sciebat, multum operae dabat philosophis Graecis (cf. maxime Cicer. acad. prior. 2, 1, 1 sqq.), frequenter in foro uersabatur (Meyer orat. fr. p. 358 sqq.), undique conquirebat et colligebat libros et artificum Graecorum operibus domos suas ornauit (Cic. fr. Hortensii 17 p. 314 M.), denique quotquot Romam homines docti migrauere, domum suam recipiebat atque et colloquio et opibus iuuabat et fouebat. sed tamen ex litterarum studio magis oblectationem et uoluptatem quam doctrinam petebat, uolebat humanus et liberalis, non litteratus haberi. tum deerat ei in hac re adsiduitas et constantia, quo factum est, ut nec in foro Ciceronis iudicio satis faceret (Brut. 62, 222) et multum legeret (Cic. acad. pr. 2, 2, 4), perraro scriberet, idque ante expeditionem Asiaticam, cum iuuenis esset, et casu quodam et necessitate inductus, nihil post eam.

Nam anno fere 88. 666 (Roth *De Sisenn. uit.* p. 5) cum quondam cum Hortensio oratore et Sisenna rerum scriptore ex ludo in certamen descendisset promisissetque, ut sors excidisset, se bellum Marsicum (cui ab anno 90. 664 ipse interfuerat, Plut. Luc. 2) aut uersibus aut Graece aut Latine persecuturum esse, sorte coactus Graece historias scripsit. certe tales Plutarchus nouit, cuius ipsa uerba apponam (Luc. 1): *περὶ μὲν οὖν τῆς φιλολογίας αὐτοῦ πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ ταῦτα λέγεται· νέον ὄντα πρὸς Ὁρτήσιον τὸν δικολόγον καὶ Σισενν̃αν τὸν ἱστορικὸν ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν προελθούσης ὁμολογῆσαι, προθεμένων ποίημα καὶ λόγον Ἑλληνικόν τε καὶ Ῥωμαϊκόν, εἰς ὅ τι ἂν λάχῃ*

1) Natus est ante Pompeium (ante a. 106. 648), fuit aedilis a. 79. 675, praetor 77. 677, consul 74. 680 (— 67. 687 belli Mithridatici dux), mortuus est 56. 698. uid. eius uitam ap. Drumann. IV p. 120—174.

τούτων, τὸν Μαρσικὸν ἐντενεῖν πόλεμον. καί πως ἔοικεν εἰς λόγον Ἑλληνικὸν ὁ κλῆρος ἀφικέσθαι. διασώζεται γὰρ Ἑλληνική τις ἱστορία τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου. etiam Cicero in epistula quadam (ad Att. 1, 19, 10) Luculli historiarum meminit, cum commentarium consulatus sui Graece compositum ad Atticum mittens haec adderet: *in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque uideatur, non dicam, quod tibi, ut opinor Panhormi, Lucullus de suis historiis dixerat, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse.* Fragmenta tamen huius libri ad nos non peruenerunt, nam quod Plutarchus Lucull. 2 scripsit: *Λέγεται δὲ μήτ' εἰς Μέμφιν ἀναβῆναι μήτ' ἄλλο τῶν θαυμαζομένων ἐν Αἰγύπτῳ καὶ περιβοήτων ἱστορῆσαι. σχολάζοντος γὰρ εἶναι ταῦτα θεατοῦ καὶ τρυφῶντος, οὐχ, ὡς αὐτός, ἐν ὑπαίθρῳ τὸν αὐτοκράτορα σκηνοῦντα παρὰ ταῖς ἐπάλξεσι τῶν πολεμίων ἀπολελοιπότος,* hanc rem, cum ad a. 86. 668 pertineat, non libro Luculli sed famae debet. Historia tamen Lucullus inclaruerat. nam in Hortensio Cicero, quem dialogum a. 45. 709 scripsit, a. 65. 689—60. 694 habitum esse uoluit, illius laudationem ei (ut Hortensio eloquentiae, sibi philosophiae) tribuit (fr. 11 p. 314 M.), ex qua laudatione quod nullum fragmentum excerptum est, admodum dolemus.

L. VOLTACILIVS PITHOLAVS

Quoniam et litterarum studia et mores Romae ita mutata esse uidimus, ut nec Lutatium Catulum nec Cornelium Sullam consulares puderet libertorum suorum operam et doctrinam in scriptis suis publice testari, Cn. Pompeius Magnus non longe ab eis aberrauit, quod, cum ipse lateret, libertinos pro se in publicum prodire atque etiam apud Graecos clarum quendam Mytilenaeum, Theophanem, causam suam defendere iussit. itaque Cornelius Nepos tum, i. e. bello sociali, historiam Romae a nobilissimo quoque ad libertinos descendisse animaduertit. haec enim de Voltacilio Suetonius (de gramm. et rhet. 27 p. 124 Rf.) memoriae prodidit: *L. Voltacilius Pitholaus seruisse dicitur atque etiam ostiarius uetere more in catena fuisse, donec ob ingenium et studium litterarum manu missus accusanti patrono subscripsit. deinde rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, nonnisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus.* dolendum uero est, quod omnis eius historiae cognitio his uerbis continetur: nam quae de eius uita Hieronymus adnotauit ad a. Abr. 1936 = 81 a. Chr. n., p. 133 Sch. *Vultacilius Plotus Latinus rhetor Cn. Pompei libertus et doctor scholam Romae aperuit,* haec ex Suetonio descripsit atque errore[1]) Cn. Pompei libertum eum fuisse adiecit. nam cum illo, qui a. 106. 648 natus et a. 87. 667 patre orbatus est, maiorem Sullaeque fere aequalem fuisse constat et propter artem scribendi adscitum esse, ut patris suasque res gestas exponeret. deducit igitur ad eos scriptores, qui doctrinam et rationem, qua instructi erant, uotis et utilitatibus alienis subicerent sed, cum in uita publica laterent, sua opera suis nominibus insignirent.

Nomen diu Otacilius Pilutus scribebatur, donec C. L. Roth Perizonium secutus ex indice, qui Suetonii de gram. et rhet. libro praemissus

---

1) Mommsen *Philol. Schriften* p. 612.

est, et ex Hieronymo pro Otacilio Voltacilium substituit, pro Piluto, quae est scriptura librorum mss. Suetonianorum, Reifferscheid item ex Hieronymo Plotum, rectius M. Hertz (m. Rh. LIII p. 312) ex Macrobio (sat. 2, 2, 13) et Suetonio (Iul. 75, 5) Pitholaum.[1])

1) Hic apposui librorum mss. uarietatem ex Reifferscheidi editione: in indice p. 99 *Volcacilius* cod. Ottobon. *Voltatilius* Vatic. 1518. *Pilutus* Vatic. 1862. Gudian. *plut'* Ottob. *Pilatus* Leid. — in contextu p. 124 *Oltacilius* Vatic. 1862 Ottob. *Octacilius* Neap. Gud. Vat. 1518. *Otacilius* Leid. *Vultacius* cod. Hieron. B. *Vulcacilius* cod. Hieron. P. — *Pilutus* libri Suet.

Q. CLAVDIVS QVADRIGARIVS[1]

De Q. Claudi Quadrigarii[2]) uita unum disertum testem proferre possumus Velleium, cuius haec sunt uerba (2, 9, 6): *Vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias.* quo loco quamquam ut illos historicos intra breue temporis spatium coartaret, aequalis notionem haud ita artis finibus continuit (qui enim aequalis Sisennae dicitur Rutilius praetor fuit a. 111. 643, id est triginta tribus annis ante Sisennam), tamen quae de Claudio et Antiate ab eo relata sunt, etiam aliunde confirmantur, maxime ipsius reliquiis. nam cum ex Gellio (fr. 81. 82) eum libro undeuicesimo res a. 87. 667 uel 86. 668 gestas complexum esse appareat, uicesimus autem tertius liber ab eodem citetur (fr. 89), minimum Sullae dictaturam Claudium uidisse sequitur; certe numerum eorum, qui a. 82. 672 de exercitu Mariano ad Sacriportum caesi erant, ipse memoriae prodiderat (fr. 84). deinde etiam Fronto (in ep. ad Ver. 1, 1 p. 114 N.) eodem fere ordine scriptores inter se excipientes facit quo Velleius: *Historiam quoque scripsere — Pictor incondite, Claudius lepide, Antias inuenuste, Seisenna longinque.* unde quoniam Sisenna anno 67. 687 mortuus est[3]), Claudii autem reliquiis ultra a. 82. 672 ascendere prohibemur, annis fere 80. 674—70. 684 eum scripsisse ueri simile est.

Nec plura de eius genere affirmari possunt, nam uanum est suspicari Quintum Claudium Flaminem, qui a. 218. 536 tribunus plebis fuit, decem annis post praetor[4]), historici atauum fuisse, ut

1) Giesebrecht *Q. Claudius Quadrigarius.* Prenzlau 1831. G. Soltau, Philol. 56, 418—425. G. Thouret in Fleckeiseni suppl. XI p. 148—164.

2) De nominibus satis constat, cum omnia compluribus locis tradita sint, neque tamen una: modo enim Quintus Claudius appellatur (plerumque a Gellio, idque libri numero addito), modo Claudius Quadrigarius (a Gellio aliis locis plerisque, semel a Seneca et Macrobio, item cum numero libri), modo Claudius (semper a Liuio [et Orosio], raro [cum numero libri] a Gellio et grammaticis) aut Quadrigarius (aliquoties a Gellio, plerumque a Nonio, semel a Prisciano).

3) Vide infra.

4) Muenzer 'fortasse' hunc eundem cum tribuno fuisse censuit, *R. E.* III c. 2670. 2720.

Krause (p. 243) suspicatus est; id unum pro certo ponere licet, eum non duxisse originem e patricia Claudiorum familia aut ex plebeia Marcellorum, in quibus Quinti praenomen nisi semel omnino non datum esse constet (cf. Mommsen *Roem. Forsch.* I p. 15). unde Quadrigarius nominatus sit aut ipsene primus an iam unus ex eius maioribus, dubium est; nam illud adminiculum defecit, quo L. Voltacilium Pitholaum 'primum omnium libertinorum scribere historiam orsum esse' didicimus, cum eum aequalem fere fuisse huius Quadrigarii existimandum sit (cf. p. CCLXXXIII), quem quidem item grammaticorum doctrina rhetorumque arte eruditum fuisse ex fragmentis elucet.[1])

Quoniam igitur nobis non contigit, ut de hominis uita plura afferremus, pergamus ad libros, quorum haud exigua et certa uestigia ad nos peruenere, quales fuerint adumbrandos, unde etiam ad naturam ingeniumque eius qui scripsit cognoscendum pauca redundabunt.

Inscriptio traditur annalium, a solis Diomede et Prisciano singulis locis (fr. 71. 49) historiarum. Res deductas esse a clade Gallica a. 390. 364 ex fragmentis, quorum nullum rem tangit ante incendium illud gestam, percepimus, neque tamen quibus causis adductus ab hoc anno scribendi initium fecerit hic Claudius. quamquam uix poterit dubitari, quin eaedem fuerint quae Liuio, cum initio libri 6 c. 1 se 'clariora deinceps certioraque ab secunda origine uelut ab stirpibus laetius feraciusque renatae urbis gesta domi militiaeque' expositurum esse diceret. res enim ante id tempus gestas cum uetustate nimia obscuras esse, uelut quae magno ex interuallo loci uix cernerentur, tum quod paruae et rarae per eadem tempora litterae fuissent, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod, etiam si quae in commentariis pontificum aliisque publicis priuatisque fuissent monumentis, incensa urbe pleraeque interissent. quid? quod ueri simile mihi est Liuium, quem Claudium fontem potissimum in hoc libro secutum esse in notis nostris ostendimus, etiam hic eum imitatum esse.[2])

Magis tamen ipse alia causa esse commotus uidetur. nam aemulatio illa, qua antiquitus ueteres gentes etiam patriciae in uita publica inter se certauerant, tum litterarum studio resuscitata est. ut igitur

1) Dolendum est quod ad quem annales suos miserit, ne suspicari quidem possumus; miserat enim ad patronum aliquem uel amicum, quia fr. 79 (*Si pro tua bonitate et nostra uoluntate tibi ualitudo subpetit et q. s.*) in principio libri duodeuicesimi scriptum erat.

2) Cf. Niebuhr H. R. II p. 2 sq. Thouret l. s. p. 149 sq.

M. Aemilius Scaurus, P. Rutilius Rufus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla suis uitis scriptis id egerunt, ut in historia Romana locum sibi aperirent et confirmarent, sic T. Pomponius Atticus, homo litteratus, clarorum uirorum rogatu (M. Iunii Bruti, M. Claudii Marcelli cos. 50. 704, Cornelii Scipionis cos. 52. 702, Q. Fabii Maximi cos. 45. 709) familias Iuniorum, Marcellorum, Fabiorum, Aemiliorum a stirpe usque ad suam aetatem enarrauit, multosque alios eruditionis suae commentis ei fastui gentili seruisse stemmata Vergiliana docent (uid. uol. II p. XXVIII sq.). sed eodem studio fieri non potuit quin inter singulas familias de pristinis honoribus dubitationes et inuidiae excitarentur; multae enim alias minus industrias uel collabentes collapsasue suis fraudauerant, praecipue Fabia, cuius laudes a Pictore aliisque gentilibus inuentas tum Q. Fabius Maximus, qui postea a. 45. 709 consul mortuus est, in memoriam hominum etiam fornice Fabiano restituto reuocabat.[1]) huic autem principatui obstitere Claudii, his Valerii. de his infra uidebimus, Claudiae tamen gentis patriciae gloria diu tenebris inuoluta postquam exeunte tertio urbis saeculo paulatim enituit et maxime post App. Claudium Caecum (cos. 307. 447; 296. 458) multis consulatibus, dictaturis, censuris, triumphis aucta est[2]), post Punica bella ita relanguescebat, ut post a. 130. 624 primus ex ea a. 92. 662 consul crearetur, eademque sors insignis plebeiae familiae Marcellorum fuit, quae centum annis (152. 602—51. 703) consulatibus omnino caruit. itaque cum bello fere sociali ea gens ad noua incrementa adsurgeret, auctoritatem suam publicam etiam litterarum auxilio adscito restituebat et stabiliebat. indicia eius curae fuerunt clupei, quos App. Claudius Pulcher (cos. 79. 675, mortuus 76. 678) maiorum suorum imaginibus ornatos in Bellonae aede posuit[3]), filiique eius (cos. 54. 700, mortui 48. 706) auguratus librique auguralis disciplinae et petitio pontificatus (Muenzer *R. E.* III c. 2853), denique is Clodius, quem Cicero (de legg. 1, 2, 6) post Coelium Antipatrum ante Asellionem, Macrum, Sisennam inter historicos enumerauit, fortasse idem, qui quae scripta res ante incendium Gallicum gestas testata essent, ea illo deleta esse libello quodam exposuerat, ut quae pro eis uenditarentur, in nobilium gentium

1) Vid. supra p. XLIII sq. XCI sqq.

2) Suet. Tib. 1 uid. Mommsen *R. F.* I p. 290 sq. Luebbert De Claudiae gentis comm. dom. p. 8 sqq. Muenzer *R. E.* III c. 1262 sqq.

3) Plin. n. h. 35, 12. cf. Muenzer *Quellenkr. d. Plin.* p. 125. — In hac adnotatione certe hoc notandum est bis in fr. (57. 64) Claudium historicum de talibus clupeis uerba fecisse.

gratiam a quibusdam ficta esse appareret (uid. supra p. CCXXXVIII sq.). nimirum Claudiorum intererat auctoritatem et fidem fastorum ueterum consularium si non frangere, attamen quam maxime minuere, ne suae gentis memoria multitudine aliorum honorum obrueretur, imitarique Q. Fabii Pictoris, historiae Romanae parentis, exemplum, cuius opus a gentilibus propagatum cum multas res ab aliis feliciter gestas ad suae gentis laudem conuertisset mutauissetque, tum maxime Claudiorum admirationi obtrectauerat (uid. s. p. XLVII sq. L sqq.). itaque hi uni ex suis mandauisse uidentur, ut quod ille Clodius argumentatione sua demonstrauerat, neglectis praeconiis rerum ante incendium illud gestarum familiarumque Troianarum fastu ea tempora, quibus Claudii effloruissent, enarraret.

Aduersatum autem esse hunc Claudium maxime Fabiae genti hoc certum habemus testimonium. neque enim ut alii rerum scriptores Q. Fabii Pictoris traditioni tamquam uulgatae temere credidit sed diligenter perpensis rebus (cf. fr. 89) auctoribusque etiam artem nesciendi exercuit (fr. 25) atque C. Acilii, qui de gente plebeia et cum antiquis patriciis neque aetate neque laudibus concurrente et aemulante originem duxit, annales eorumque auctoritatem tam aperte se sequi professus est, ut Liuius, id quod raro fecit, utrumque nomen in suos transtulerit; nam 35, 14, 5 haec eius uerba sunt: *Claudius secutus Graecos Acilianos libros — tradit*, unde etiam alius locus (25, 39, 12) ad eosdem trahitur: *auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem uertit;* quodsi duobus aliis eorum uestigia apud Liuium comparent (uid. adn. ad Acil. fr. 3), praesertim in tanta fragmentorum Acilii paucitate a Claudio eius annales haud raro in usum uocatos esse sequitur. etiam M. Claudii Marcelli laudationem, quam filius, qui 'rei gestae interfuit', habuerat, a Coelio Liuioque (27, 27, 13) citatam ei notam fuisse ueri simile est; neque enim Claudios fastu gentili tablinoque suo caruisse existimabimus. denique, ut erat Claudius et Mario eiusque sociis infestissimus[1]), Cornelio Sullae[2]) se addixit atque, si scriptura sana est, numerum hostium ad Sacriportum occisorum etiam ultra illius commentarios auxit (fr. 84). illud miramur, quod Claudiae uirtutis exempla frustra in eius fragmentis quaerimus, idque eo magis, quo intentius artificiis oratoriis opus suum exornauit; consulum quidem C. Fabricii et Q. Aemilii ad regem Pyrrhum epistula a Gellio ex eo relata

1) fr. 87. cf. fr. 79. Pluess in Fleckeis. annal. 103 p. 287 sq.

2) Fabium Pictorem etiam Corneliorum rebus gestis obtrectavisse supra p. XLVII sqq. vidimus; communis igitur fuit utriusque gentis causa.

(fr. 41) sine dubio ficta est atque etiam edicta tribunicia, quae 'ex annalium monumentis' Cornelius Nepos exscripsit (Gell. 6, 19), eandem officinam prae se ferunt (Mommsen *R. F.* II p. 425 sq.), itemque epistulae regis Pyrrhi et P. Valerii Laeuini apud Dionysium Halic. 18, 15—18. etiam aliis ornamentis rhetoricis usus, ut homines legendo delectarentur artemque suam admirarentur, accurate multis uerbis nobilium adulescentum Romanorum cum barbaris certamina quaedam enarrauit. quid? quod non solum apostrophe ab eo inducta est (fr. 83) sed etiam uerborum figurae in fragmentis inueniuntur (fr. 88), exempla et poetici coloris[1]) et numeri oratorii (fr. 89. 78). quo studio abreptus a. 367. 387 T. Manlium gladio Hispanico cum Gallo pugnantem fecit (fr. 10^b, nam consentiunt Gellius et Liuius in ea re), cum illud gladiorum genus apud Romanos bello Hannibalico demum in consuetudinem uenerit (uid. Weissenborn ad Liu. 7, 10, 5): nec loci communes deerant (fr. 9).

Materia tamen hoc ferebat, ut quo propius ad suam aetatem accederet, eo largiorem copiam effundere posset minuereturque annorum numerus, quos quique libri comprehenderent. neque enim aequabilitatem illam affectauit, qua Dionysius Hal. excellebat, ad cuius ubertatem praestandam ingenium eius nec satis fecundum nec audax fuisse uidetur. at offendimur saepe eius magnitudine numerorum. nam etsi soli Valerio Antiati a Liuio turpissima haec mendacii nota inusta est, tamen Claudius ei non multum in ea ueritatis superlatione cessit (cf. fr. 62. 68) atque quibusdam locis eum etiam superauit (fr. 57A. 63. 66). sed cum alii rhetores horrenda descriptione rerum animos commouerent, hi numerorum ratione et modo maxime hominum occisorum ex sua aetate in antiquitatem translato idem spectauerunt[2]) atque et Sullae exemplo eos defendere potuerunt et tabularum pontificum imitatione, in quibus numeri de uictoriis partis in urbem rumoribus delati publice expositi erant.[3])

Complexus autem est Claudius libro primo res ab a. 390. 364 minimum usque ad a. 320. 434 (uel si uera de fr. 22 suspicati sumus, usque ad a. 311. 443), fortasse usque ad finem alterius belli Samnitici (304. 450). quae reliquiae ex altero libro supersunt ex

1) Cf. Gellium 17, 2, 3 de fr. 22: '*Inlatebrant' uerbum poeticum uisum est sed non absurdum neque asperum.* uid. Maass in *Arch. f. Lexigr.* XII p. 546 et Woelfflin ibid. XV p. 16 sqq.

2) Vid. *Wahrheit u. Kunst* p. 305.

3) Ex more per omnia tempora uulgato talia luserunt etiam poetae, uid. adn. ad fr. 62.

quo orationis tenore decerptae sint, frustra studuimus indagare, paucorum tamen annorum res eo enarratae esse uidentur, cum bellum contra Pyrrhum gestum iam in tertio libro occurrat[1]) (fr. 40. 41). ex eodem libro Gellius factum quoddam Laberii (fr. 42. 43) rettulit, quod in annum 258. 496 incidisse constat. unde si memorabili quadam re libris suis finem Claudium imposuisse statuendum est, bellum Carthaginiense primum tertio libro absolutum esse probabile est. deinde, qui fuit mos historicorum illorum, crescente materie res accuratius et fusius exposuit, nam libri quinti fr. 53 mentio fit cladis Cannensis (216. 538), sexti fr. 57 Q. Fabii Maximi consulis a. 213. 541. hoc igitur libro fortasse bellum alterum Carthaginiense ad finem perduxit. libro septimo adsignauimus de coniectura quae Liuius in libris XXXIII et XXXIV ex eo seruauit (fr. 62—67 ex annis 197. 557—169. 585), libro octauo quae Orosius (fr. 68. 69) ex anno 146. 608; fr. 73 et 74 fortasse pertinent ad bellum Numantinum eiusque annum 137. 617; libro tertio decimo reditum Caecilii Metelli Numidici (a. 99. 655) narrauerat (fr. 76), libro duodeuicesimo (fr. 80) fortasse bellum Marsicum (88. 666), undeuicesimo bellum a Sulla contra Archelaum a. 87. 667 gestum (fr. 81) et septimum Marii consulatum eiusdem anni (fr. 82. 83). praeterea citantur libri unus et uicesimus atque uicesimus tertius, nullum tamen eorum fragmentum ad certam aliquam rem aut annum potuit referri, neque potest conici, ex quo libro sumpta sint quae Orosius habet de pugna a. 82. 672 ad Sacriportum commissa. nolo tamen refragari, si quis cum Krausio (p. 247) desiisse Claudium in Sullae morte existumet.

Genus scribendi Fronto l. s. s. et Gellius summis laudibus efferunt, quorum ille id lepidum fuisse dicit[2]), Gellius Claudium, 'uirum modesti atque puri et prope cotidiani sermonis' (13, 29, 2), Manlii certamen 'purissime atque illustrissime simplicique et incorrupta orationis antiquae suauitate' descripsisse (9, 13, 4); alio loco (15, 1, 4) uerba Claudii tamquam 'optumi et sincerissimi scriptoris' laudat, alia poetice, iucunde et amoene, non insuaui uetustate, eleganter, non inscite nec ineleganter (17, 2, 3; 6; 10; 23; 26) dicta

1) Quod fragmentum a Krausio p. 254 ex Prisciano XIII p. 8 H. (in quo mentio fit Pyrrhi) ad librum II refertur non est Quinti Claudii sed Gai Licinii (apud nos fr. 20).

2) Cf. Fronton. ad Ant. imp. 2, 2 p. 106 N., ubi imperatori suasit, ut 'uel graues ex orationibus ueterum sententias arriperet uel dulces ex poematis uel ex historia splendidas'.

esse existimat. sed perparuam esse fidem habendam nemo nescit eis iudiciis, quae ab illius aetatis scriptoribus de priscis fiunt; in ipsis reliquiis, quae ad uerba traditae sunt, omnium primum inuenimus concisum quoddam atque tenue dicendi genus, membris breuibus atque pressis. cf. fr. 70: *Romam uenit, uix superat, quin triumphus decernatur.* fr. 76: *Contione dimissa Metellus in Capitolium uenit cum mortalibus multis. inde domum proficiscitur. tota ciuitas eum reduxit.* fr. 81: *uenit, accessit, ligna subdidit, submouit Graecos, ignem admouit. satis sunt diu conati, numquam quiuerunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine. quod Sulla atque milites mirabantur, et postquam non succendit, reduxit copias.* quae breuitas membrorum quamquam minus molesta est in amplioribus certaminum Gallorum narrationibus (fr. 10^b et 12), et in epistula ad Pyrrhum data (fr. 41) haud exigua inest et uerborum grauitas et sententiarum, fieri sane non potuit, quin haec siccitas ei, qui multa legebat, taedium moueret, praesertim cum exigua uocabulorum copia ei suppeditasse uideatur neque magna in narrationibus illis duabus (fr. 10^b. 12) sit uarietas, cum saepe non solum sententiae sed etiam uerba quaedam recurrant.[1]) etiam Gellii et Frontones uereor ne magis laudauerint quam ipsum Claudium uolutauerint. sed hanc ob antiquitatem Norden (*Kunstprosa* p. 176. 178 sq.) eum inter exiles historicos, qui ante Coelium Antipatrum arte caruissent, recensuit. at ex rhetorum scholis eum euasisse artificia rhetorica atque poetici coloris et numeri oratorii exempla (uid. s. p. CCLXXXIX), quae Nordenum non fugerunt, probant. itaque Claudius si ad antiquorum languorem Ciceroni recidisse uidetur, conuersione uerborum posthabita Hegesiae praeceptis obsecutus membris illis minutioribus narrationis filum discerpsit, praesertim cum Claudianam antiquitatem et ieiunitatem se repraesentare opinaretur[2]), quam illi aetatis Hadriani scriptores adamauerunt, Lutatii tamen et Tullii propter inscitiam artificiorum et nimietatem ut Coelii transiectionis uerborum improbauerunt. etiam hic tiro Romanus ultra modum progressus historiam dolauerat; aberat Latine loquendi 'innocentia' (Cic. Brut. 74, 238).

1) Vide quae adnotaui ad fr. 12.

2) Etiam articulorum tripla (τρίκωλα) studium antiquitatis produnt, quod genus uere Latinum dicendi ut Plautus ex ore uulgi sic Claudius ex antiquitate transtulit, a nobilitate in historia, ut uidetur, repudiatam (non a Catone fr. 95a, uid. adn. a. h. l. et fr. de re mil. 2 p. 80 Iord.); exempla Gellius seruauit, etsi ob alias causas haec fr. excerpsit, in fr. 7. 8 (bis terna). 10^b (duo). 76 cf. 39), etiam paronomasiae in fr. 7. 8.

Sed priusquam scriptores qui Claudio usi esse uideantur, persequar, qua ratione ductus fragmenta ad id opus rettulerim, demonstrandum est. de multis enim lis est. atque primum quidem quod 'Claudium' saepius a Liuio uno nomine laudatum ab eo, qui semel in quinta et septima pentade cum Acilio coniunctus est, Sigonius (ad Liu. 25, 39) et Niese (*R. F.* III c. 2860) separauerunt, Acilianum eundem esse atque Quadrigarium ex consensu Liuii cum Quadrigario Gelliano (fr. 10^{b}. 15. 16), qui multis locis a me adnotatus est, elucet[1]), neque mihi persuaserunt Nissen (*Untersuch.* p. 39 sqq.) Claudium interpretem Acilii Liuianum, cum cognomine omnino apud eum careret, non Quadrigarium a grammaticis et antiquariis excerptum fuisse, duos igitur Claudios historiae Romanae operam nauasse, aut Vnger (Philol. suppl. III 2 p. 3) interpretationem Acilianam et annales diuersa opera fuisse, aut Soltau interpretationem illam cum Polybio contaminatam laudes Scipionum maximeque Africani auxisse (Philol. LVI p. 122 sqq.). neque enim hunc annalium scriptorem a Liuio uno nomine significatum esse eis mirum uidebitur, qui uno etiam Coelii nomine decies, Pisonis semper eum contentum fuisse meminerint, aut Claudii auctorem duobus locis a Liuio nominatum esse, qui Licinium Macrum ter (fr. 13. 14. 15) una cum libris linteis citatum esse, quater sine eis (fr. 16. 17. 18. 19); denique Liuius certa quadam de causa Acilii auctoritatem addidisse uidetur, uno loco, ut quod Valerii numerus hostium caesorum a Claudio etiam superatus esset, eum ab hoc non fictum sed ab auctore suo receptum esse doceret (25, 39, 12) itemque fortasse etiam graue pondus clupei argentei cum imagine Barcini Hasdrubalis (Thouret l. s. p. 156 sqq.), altero (35, 14, 5), ne fabulae apud Claudium solum inuentae hic solus testis esset. quamquam, si quis iam a Claudio utroque loco Acilium nominatum esse coniecerit, non aduersabor.

Vt uero Ciceronem, quem quae in libro tertio de officiis per excursum narrauit, ex Claudio Quadrigario sumpsisse Soltau[2]) mihi nondum probauit, omittam, ex eis scriptoribus, qui aetatem tulerunt,

1) Haec iam Giesebrechtii (p. 7 sq.) et Mommseni (*R. F.* II p. 426) sententia fuit, quam pluribus exsecutus est G. Thouret l. s. p. 155—158. itaque postquam in editione priore Claudium Acilianum a Claudio Quadrigario seiunxi, iam a. 1882 (in Fleckeiseni annal. 125 p. 103—105) ad illam redii habuique consentientem Cantarellium (uid. s. p. CXXI n.).

2) '*Eine annalistische Quelle in Cic. de off. III*' in *Wochenschr. f. klass. Philol.* 1890 c. 1239 sqq.

primus Claudio usus est Liuius, qui quindecies[1]) diserte eum laudauit, etiam saepius tacite exscripsit, idque, quod consensus eius cum fragmentis docet, ut primum eius annalibus uti potuit, a libri quinti cap. 33 usque ad librum decimum (6, 42, 5. 8, 19, 13. 9, 5, 2. 10, 37, 13).[2]) in tertia decade eum in appendice libri 25, 39, 12 de L. Marcio inspexit citauitque una cum Valerio Antiate addita auctoritate Aciliana, ceterum prae Polybio et Coelio Antipatro seposuit, sed in quarta ad eum rediit, ubi primum eum laudat 33, 10, 9 iuxta Valerium et Polybium, quem sequi mauult, deinde in eodem libro bis (c. 30, 8 et 36, 13), utroque loco cum Valerio, in libro XXXV (13, 5) in appendice una cum eius auctoritate Aciliana, in libro XXXVIII item bis (c. 23, 8 cum Valerio et 41, 12), in libro XLIV semel (c. 14) cum diuersa memoria 'aliorum', denique in excerpto Orosii in historia anni 146. 608 (fr. 68. 69) et 82. 672 (fr. 84). admodum uaria igitur est etiam intra eos libros, in quos Nissen inquisiuit (XXXI—XLV), Claudii appellatio. nam in primae pentadis duobus libris citatus est, in altera et tertia in uno; sed etsi Valerius Antias in ceteris omnibus (praeter unum et tricesimum) citatus locum eius occupasse uidetur, iniquitas iudicii non mutata est, qua eum aspergere Liuius non desiit. materia tamen ab utroque similiter conformata cum Polybio Graeco auctore omnino discrepabat, qua re H. Nisseni acumini atque industriae contigit, ut quae annalium, quae Polybii essent, dirimeret atque haec capita ex annalibus aut Claudii aut Valerii esse poneret:

32, c. 1—3. 7—9. 26—31.[3])
33, c. 21—27. 36. 37. 42—45.
34, c. 1—22. 42—48. 52—57.

1) Tres enim Orosii locos, qui Liuium exscribere solitus est, adnumeraui.

2) Haec causa nobis fuit, ut Liuii potissimum uerba in adnot. ad fragmenta explicanda adscriberemus, quod in altera pentade multum Claudio usum eum esse constat.

3) In libro XXXI, in quo praeter Polybium neminem auctorem nominauit, dubitat Nissen *Untersuchungen* p. 131. 186, num Valerius Claudiusque in usum uocati sint. mihi tamen parum esse probabile uidetur, Antiatem, quem et antecedenti et insequenti libro nominatim Liuius adtulit, in hoc libro prorsus abiectum esse, discrepantiaeque, quas indagauit Nissen, haud grauis momenti sunt; etiam in libris V et XXIV nemo citatus est. denique quid impedit, quominus, ubi Liuius a Valerio discessisse uidetur, Claudium transscriptum esse existimemus, ubi a Claudio, Valerium? fluxerunt igitur ex alterutrius annalibus in libro XXXI c. 1—14, 5. 19—22. 47—50.

35, c. 1—11. 20—24. 40. 41.
36, c. 1—4. 30—40. 45, 1—9.[1])
37, c. 1—4. 46—48. 50—52. 57—59.[2])
38, c. 28. 35. 36.[3]) 42—60.[4])
39, c. 1—23. 29—32. 38—46. 54—56.
40, c. 1. 2. 16—19. 25—53. 59.
41, c. 1—19. 21. 22. 26—28.
42, c. 1—4. 6—11. 18—28. 30—36.
43, c. 1—17.
44, c. 12—22 (pauca in cap. 13. 37).
45, c. 1—4. 12—18. 20—25. 35—44.[5])

Sed qui ut etiam Claudiana et Valeriana distinguerent, G. F. Vnger et G. Soltau[6]), in ipsius materiae particularum uel diuersitatem uel consensum inquisiuerunt, a diuersis opinionibus de his annalium scriptoribus profecti raro ad eundem finem peruenerunt, neque id historiae nomine admodum doleo, cum ea quaestio si ad quidquam, ad fidem rerum a Claudiis et Valeriis eis temporibus gestarum aesti-

1) Pauca quaedam Polybii auctoritati inspersa esse c. 17. 19. 21. 35. Nissen p. 187 monuit.

2) Ex Valerio quaedam inserta c. 34, 5. 60, 6. in libro XXXVI a c. 36 et in hoc libro solo Valerio, non Claudio praeter Polybium Liuium usum esse coniecit Nissen p. 210.

3) Pauca inserta c. 17. 23. 41.

4) De causa Scipionum (c 54, 4—c. 60) pluribus disputauit, ita ut res ad liquidum perducta sit, Th. Mommsen (*Die Scipionenprocesse R. F.* II p. 417—510. cf. infra p. CCCXVIII sq., ubi quae apud Liuium ex Claudii annalibus fluxisse uideantur, exposui.

5) Num Dionysius Claudium nouerit, quem nemo scriptor Graecus citauit, caute dubitat A. Kiessling (De Dionys. Hal. auct. p. 18), quod ea pars antiquitatum Romanarum quae seruata est plus quinquaginta annis desinat ante cladem Gallicam, cum qua Claudius initium fecit scribendi, neque ipse certa eius usus indicia repperi.

6) Vnger *Die roemischen Quellen des Livius in der 4. u. 5. Dekade,* Philol. Suppl. III 2 (1878). G. Soltau, quae antea compluribus commentariis exposuerat, a. 1897 in libro '*Livius' Geschichtswerk, seine Komposition u. seine Quellen*' complexus est. uid. p. 34—46 et indices auctorum librorum V—XXII p. 213 sq. XXIII—XXX p. 79—81. XXXI—XLV p. 43—46. ceterum non infitiabor eos ad explicandam Liuii historiam multa probabilia sagaciter contulisse, etsi cum in multis rebus tum maxime in hac a Soltauio dissentio, quod in tertia decade Polybii indicia praeter locos quosdam libris absolutis additos ad Claudium rettulit (*Livius' Quellen in der 3. Dekade* 1894. *Livius* p. 52 sqq. 102) et in quarta quintaque partem materiae annalium Pisoni tribuit (uid. supra p. CLXXXIX sq).

mandam tantum pertineat; meo autem operi certa fundamenta iacienda erant, in quibus studium et meditatio de memoriae Romanae ueritate superstruenda esset. haec tamen aliquantum me extollere posse spero, si, ut fidem Claudii eiusque aemuli Valerii examinem, hoc loco rationem Liuianam auctores citandi accuratius explicauero. quam de quarta quintaque decade apertius quam in ulla alia, ubi primum Polybium Claudiumque nominauit, professus est.

Ab hoc igitur loco exordiendum est. nam posteaquam ad Cynoscephalas Philippum uictum esse 33, 3—10, 7 secundum Polybium narrauit numerosque caesorum captorumque hostium atque caesorum Romanorum addidit, in appendice c. 10, 8—10 diuersitatem numerorum ex Valerio et Claudio ita adnotauit, ut eorum fidem ipsa numerorum enormitate debilitet, Valeriique in primis, cum eum sic introducit: '*si Valerio qui credat omnium rerum inmodice numerum augenti*', neque quod numerus captorum hostium minor est, opprobio parcit: '*ibi modestius mendacium est*'. multiplicauerat uero numerum hostium caesorum ille quinquies, Claudius, quem non incusauit, quater, cum ille de captis hostibus cum Polybio paene consentiret, hic usque ad 4300 diminueret. sed hoc loco non satis habuit unum de Romanis irrisisse sed quid ipse sentiret, praeconio Polybiano exsecutus est: *nos non minimo potissimum numero credidimus, sed Polybium secuti sumus, non incertum auctorem cum omnium Romanarum rerum tum praecipue in Graecia gestarum*, quod consilium propositum in memoriam semper denuo occasione data reuocare superuacaneum esse duxit[1]); itaque alio loco (38,23,8), quo Liuius cladem Tectosagorum in monte Olympio acceptam Polybio usus adumbrauit (c. 21 — 23, 5) numerumque hostium interfectorum, qui propter naturam loci haud facile iniri potuisset, ut ille omisit (Nissen p. 204 sq.), tum hunc Romanis fictionibus suppleuit, Claudii, qui ipsum numerum Polybianum hostium captorum ad caesos transtulerat, Valerii, qui usque ad quartam partem eum reuocauerat, disceptationemque eo deduxit, ut numerum captiuorum haud dubie milia quadraginta expleuisse diceret idque probabiliter defenderet. hic autem 'haud dubius' numerus fuit Polybii, cuius Liuius non meminit. Etiam ultra ipsam appendicem 33, 30, 8—10 auctoritas eius com-

1) Similiter Tacitus in annalibus non ante 13, 20 in adnotatione critica Fabii Rustici, Plinii, Cluuii auctorum suorum iam antea adhibitorum mentionem inseruit conclusitque *nos consensum auctorum secuturi, si qui diuersa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.* uid. Vol. II p. CLV sqq. CLXIII sq.

mentis Romanis infecta et obscurata est. nam et in tenorem Polybianum ex annalibus duas leges pacis cum Philippo factae inseruit et in illa duas nouas falsas uel deprauatas ex eisdem addidit (Nissen p. 145 sq.), Polybium tamen tacuit, etsi haec particula (c. 27—35) ex eo excerpta est numerique pensionum Macedonum Valerii Claudiique, quos citauit, ab eo pendent (uid. infra Claud. fr. 63. Ant. fr. 33 c. adn.)

Denique uter apud Liuium potiore auctoritate usus sit, Valerius Antias an Claudius, quaerenti hic magis placuisse facile uidebitur, quocum, etsi hic illic numeros et res etiam impudentius exaggerasset (fr. 63. 66. 57 A), numquam cauillatus esset ut cum illo, cui etiam modestiam, si numeri fictione cessisset, quasi exprobrasset (Val. fr. 44), cum Claudium, ubi numero caesorum etiam duplo Valerium superasset, auctoritate Acilii defenderet (fr. 57 A). at uero in quarta decade compluribus locis in usu Valerii annales praelatos esse certo dignoscitur. primum enim in libro XXXIII Graecis rebus a. 196. 558 ex Polybio excerptis (Nissen p. 144 sqq.) Romanas adnectit bellumque cum Boiis atque Insubribus gestum uno capite (36) ita absoluit, ut, quem ad modum in eodem libro (c. 10, 8) Polybii, sic hic Valerii de caesis hostibus captisque hominibus, carpentis, torquibus testimonium afferat eique Claudianum de uno torque in templo Iouis Capitolini subiungat, tum diuersitatem 'scriptorum' adnotet, unde post narrationem ex Valerio sumptam absolutamque, id quod subiunctio dicit, Claudium inspectum illamque animaduersam apparet. aliud exemplum hoc est (38, 41, 12): Cn. Manlium ex Asia a. 188. 566 redeuntem iam usque ad Macedoniam Liuius secundum Polybium deduxerat, cum itineris duobus annis ante a L. Scipione per Thracas facti meminit citatque testimonium Claudii de numeris militum tum manus conserentium sic: *quamquam tunc quoque Claudius auctor est.* quod si in libro 37, 33, ubi eius locus erat, tacuit, tum eum scriptorem ei in manibus non fuisse sequitur (Nissen p. 210). contra postquam 44, 15 impudentiam Rhodiorum a. 169. 585 a senatu repudiatam esse rettulit, duos auctores ante se habuit, Claudium, qui nihil responsum esse tradiderat, 'aliosque', qui responsum, i. e. quoniam c. 15 et 16 ex annalibus Romanis originem duxerunt, Valerium; tum tamen in l. 45 c. 20, 4—25, ubi responsum a senatu Rhodiis datum pluribus exornat, eius additamenti omnino ignarus est et ipse de Lycia et Caria secum pugnat: hoc igitur loco Claudii oblitus ne relegit quidem denuo eum, contentus fuit una Valerii auctoritate.

Iam uero quartae quintaeque decadis considerantes texturam Polybianam, qualis a Nisseno explicata est, raro filis annalium Romanorum distinctam, non plures grauioresque dissensiones inter auctorem Graecum annalesque Romanos a Liuio animaduersas et notatas esse miramur. aut igitur taeduit eum, posteaquam illius de rebus Graecis auctoritatem ceteris multo superiorem esse perspexit, cum maior pars historiae in ea regione uersaretur, annales Romae confectos diligenter comparare discrepantiasque consignare et semper denuo refellere, aut tenor narrationis annalium in capitibus cum Polybio consentiebat, ut Liuius opera comparandi supersedere posset. atqui inter numeros Polybii et annalium notabilis quaedam ratio haec intercedit:

33, 30, 8 de pondere argenti uectigalis Romanis a Macedonibus soluendi Valerius cum Polybio consentit, Claudius duplicauit;

33, 10, 9 numerum hostium caesorum Polybii Valerius quinquies auxit, Claudius quater, ubi numerus captorum paulo auctus aut diminutus est;

38, 23, 6 numerum captorum Polybii (40 000) Claudius ad interfectos transtulit, Valerius quarta parte contentus fuit.

Quodsi annalium scriptores ex libidine sua quemque numeros finxisse constat, ut plerumque inter se uariarent, illa ratio nec casu orta esse potest nec ex diuersorum monumentorum usu, sed ex mutatis eisdem numeris, quos apud eosdem inuenerant. tum uero eis scriptoribus, qui historiam Romanam per libros paene centum dilatarent, ut annalium maximorum ieiunitatem exornarent et supplerent, ad uberiorem materiam, qua ante eos partes quaedam descriptae erant, refugium patebat. itaque a Valerio, etsi suo ingenio abunde usus totas belli expeditiones excogitauit, tamen ut ab eius aemulo Liuio Polybium non spretum esse probabile est, idemque de Claudio, postquam ab Acilio destitutus est, dici potest. ignotus certe eis non fuit.

Dissensum autem Polybii et annalium scriptorum in numeris talibusque minutiis animaduertere et notare, hoc etiam tardi ingenii fuit, sed Liuius ne grauiores quidem discrepantias, maxime Polybii cum Valerio, se fugisse ipse aliquot locis testatus est; quae si pauciores sunt quam pro incerta rerum fama et longa annorum serie, coniectura ad consensum Graecae et Romanae memoriae ante Liuium de plerisque rebus constitutum deducimur, ita tamen, ut illum puriorem fontem Romanorum superbia, neglegentia, ignorantia, arte rhetorica gentilique ambitione miserum in modum turbatum esse respiciamus. sed ad eam quaestionem reuertendum erit.

Diligentior sane inquisitio in prima decade conspicua est, qua opus fuisse ipse Liuius propter uetustatem subinde professus est et quodam modo conquestus, ut res etiam in incerto relinquenda esset.[1]) uetustate igitur cum famas ipse metiretur et qui legerent, metiri uellet[2]), sex auctores in ea nominauit omnesque plus semel et antiquissimum quemque reique quam narraret proximum testem adhibuit. haec tamen ratio in tertia decade mutata est. nam tres auctores Romanos ex prima notos, quartum (Cincium) hoc solo loco, quintum (Acilium) cum Claudio coniunctum duosque Graecos semel citauit, de quibus unus (Polybius) in ultimo libro tandem nominatus laudatur, saepe in subsequenti decade, alter nusquam omnino apud Liuium recurrit et per alium auctorem ei notus erat, duos Latinos saepe[3]); nunc autem apud eum non uetustas (praeter Fabium 22, 7, 4) praeualebat sed maior scriptorum numerus aut auctoritas significata plerumque reprehensione aliorum. deuenerat enim in lucem Polybii, qui solus nullo eius crimine arguitur sed prae ceteris propter dignitatem suam eximitur. quid? quod haec etiam Coelio potior est (21, 47, 4), quamquam hunc pluris duxit quam Valerium Antiatem, cuius numerorum ingentium multitudinem edere iam in hac decade eum taedet (25, 39, 12. 26, 49, 1. 30, 19, 11; 29, 6), ut cum in compluribus appendicibus Coelium redarguisset, tamen rem quandam in quibusdam annalibus inuentam, quam ille aliique scriptores haud sine causa praetermisissent, 'ponere pro certo ueritus sit' (23, 6, 6). itaque diligentius per ipsas narrationes Polybium Coeliumque comparauit et contaminauit, quo quidem studio perspicuitatem et ueritatem rerum diminutam esse patriae amori et studio tribuendum est (Nissen p. 29 sqq.). denique in quarta quintaque decade praeter duos Romanos semel significatos uni Graeco (Polybio) duos Latinos opposuit, Valerium Antiatem, qui saepius nominatus est idque in omnibus decadibus quam quisquam alius, et Claudium item in omnibus nominatum sed rarius, totamque materiam, ut in scribendo requiesceret aliamque auctoritatem conferret, in maiores particulas diuisit; liber igitur breuissimus (quadragesimus tertius) ex duabus (c. 1—17, 1. 17, 2—23) compositus neque ulla uarietate distinctus est. sic et in ratione eruendae explicandaeque ueritatis

1) 4, 23, 1. cf. 2, 21, 3. 3, 5, 12. 7, 6, 6.

2) 1, 44, 2; 55, 6. 2, 40, 10. 2, 8, 5; 18, 4. 3, 23, 7. 4, 7, 10; 20, 5. 7, 9, 3; 42, 7. 10, 9, 10. 6, 23, 3. cf. 22, 22, 3. 21, 38.

3) Consulto Clodium Licinum insertum post opus absolutum (29, 22, 10) omisi.

Liuium per diuersas decades sibi non constitisse uidimus et usum auctorum per eas, prout tempora et indoles eorum postulabat, mutatum esse. hinc ut causam Polybii in tertia decade semel, in subsequenti quater nominati repetendam esse nunc omittam, nos non offendet, quod Claudius in altera pentade Liuio in manibus fuit (nam hoc consensus eius cum fragmentis aliunde traditis docet) neque tamen nominatus est, nisi ut eius memoria cum alia aliqua collata aut reiceretur aut commendaretur, in tertia autem decade sepositus uno loco una cum Valerio inducitur, saepius in quarta quintaque item paene semper (sex locis ex septem) cum eodem.[1])

Iam uero per fragmenta Claudiana nusquam admiratio eius gentis perlucet, quam fastu suo caruisse nemo credet, per Valeriana autem Valeriae certe uno loco (fr. 17), pluribus in uita Poplicolae, quam Plutarchus secundum Antiatem composuit.[2]) deinde paene semper Liuius Valerii ingentes numeros uel inridet uel nullum eum modum mentiendi habuisse grauiter incusat raroque, quotiescunque eum solum citat, incastigatum aut non refutatum dimittit (uid. infra p. CCCVII sq.) et ne aliorum quidem superlationi eum cessisse probat et agnoscit (38, 23, 8. fr. 44. 23. 33). Claudii igitur quod omnibus criminibus et opprobriis se abstinuit, etsi ea saepe non minus meritus erat, si meminimus Hellanici, Ephori, Timaei, Polybii, hanc iudicii inaequalitatem, seueritatis uel inuidiae in Valerium, patientiae uel indulgentiae in Claudium, ita expediemus, ut cum huius historia iam a Valerio satis acerbe descripta lectioque ex hominum manibus repulsa esset, Liuium non timuisse dicamus, ne suis luminibus officeret[3]); periculosiores enim ei esse uidebantur Antiatis aliis aptioribus artis oratoriae deliciis exornatae historiae, ut in eis examinandis et illudendis omnem sollertiam et aciem ingenii sibi praestandam esse arbitraretur. ideo suum esse existimauit Claudium non spernere et postquam eum in altera pentade tamquam multarum particularum ducem primarium secutus est, Antiatis mendaciis offensus ad eum rediit, ut aduersarium suppleret aut eius fidem diminueret, certe dubitationem suam

1) Etiam Orosius de tribus suis locis semel utrumque coniunxit (fr. 68).

2) Vid. Muenzer De gente Valeria p. 54—71 et infra p. CCCXII sq.

3) Hanc etiam legem, quam ipse in historia secutus est, geographis Polybius praecepit (34, 5, 1): *Πολύβιος τὴν Εὐρώπην χωρογραφῶν τοὺς μὲν ἀρχαίους ἐᾶν φησι, τοὺς δ' ἐκείνους ἐλέγχοντας ἐξετάζειν, Δικαίαρχόν τε καὶ Ἐρατοσθένη τὸν τελευταῖον πραγματευσάμενον περὶ γεωγραφίας καὶ Πυθέαν, ὑφ' οὗ παρακρουσθῆναι πολλούς κτλ.* — Cf. *Wahrheit u. Kunst* p. 226 sqq. 356 sqq.

de memoria Romana Polybianamque auctoritatem defenderet. atqui Liuius per has tres pentades quartae et quintae decadis Claudium sexies per tres libros (33. 38. 44) citauit, Valerium Antiatem uicies quater (per omnes libros praeter unum), idque ita, ut illum in priore praeter unum fragmentum semper (i. e. quinquies) cum Valerio coniungeret, partim utriusque reiciendi causa, in altera ei alios (i. e. Valerium) opponeret, illud autem unum fragmentum (65) alieno loco insereret. contra hic in decem fragmentis comites habet uel nominatos uel significatos, in aliis plerisque, ubi solus citatur, non a comitibus sed a Liuio uel ipse uel res ab eo prodita refellitur uel improbatur. diuersa igitur ratio indiciorum utriusque manifesta est, ex qua non solum Valerium adhibitis ipsis Claudii testimoniis a Liuio exactum et examinatum esse colligamus sed etiam talia testimonia ex eius, qui excerpserat, annalibus translata et una cum hoc citata esse. sic multos auctorum aceruos apud ueteres scriptores paulatim congestos et cumulatos esse constat. in hac denique operis sui parte Liuium in una auctoritate Valerii adhibenda acquieuisse compluribus locis confirmatur. nam 45, 43, 8 cum numerum quendam praedae ab illo relatum se redigere posse negaret, 'auctorem pro re posuit', deinde 37, 48, 8 (fr. 42) rumorem apud solum eundem de capto P. Scipionis filio a se inuentum esse tradidit, postquam eandem rem iam c. 34, 5 ex Polybio 'aliisque' praeripuit.

Sed simul hac coniectura difficultas de memoria Claudiana soluitur. nam Th. Mommsen[1]) Claudiorum ueram speciem ita fictionibus oblitam esse docuit, ut apud Liuium et Dionysium huius 'familiae superbissimae ac crudelissimae in plebem' consules (a. 495. 259; 471. 283; 460. 294), cum patrocinium priuilegiorum optimatium susciperent, uehementia sua et contumacia rem ad arma sanguinemque deducturi fuerint, nisi collegae concitatos animos flexissent et conciliassent, tandem etiam aliae gentes arrogantiae Claudiorum obstitissent (Liu. 9, 33). contra ille uir doctissimus earum rerum uere popularium, quas antiquitus fecissent, memoriam resuscitauit, corporis omnis Romani iuris conditi, iuris ciuilis, quod in penetralibus pontificum repositum erat, per Cn. Flauium App. Claudii Caeci scribam uulgati fastorumque in albo propositorum, censurae eiusdem Claudii multis nominibus popularis, ut Appiae uiae munitae aquaeque in urbem ductae, multorumque eius gentis uirorum de artibus

1) *Die patricischen Claudier R. F.* I 285—318. aliter eam explicauerunt Nitzsch *Annal.* p. 340 sqq. et qui eum secutus est Luebbert l. s. p. 6 sqq.

et litteris bene meritorum. sed hae laudes, dummodo posterorum inuidia liberatae recte intellegantur, etiam nunc in annalibus manent, bellicae autem paene omnino obrutae ex uulgata memoria euanuerunt. pugnant enim triumphi sex, duae ouationes eius patriciae gentis, quem numerum Suetonius (Tib. 1) ex eius commentariis eruit, cum annalium memoria (Mommsen p. 290 sq.), qualem eam Liuius et Dionysius constituerunt, ita ut quemadmodum Fabii Veiens bellum uelut familiare a senatu depoposcerant (Liu. 2, 48, 9) aut Furiae genti fato quodam data sunt Gallica bella (31, 48, 12), sic Claudiis uelut fato litem cum tribunis ac plebe fuisse ille uoluerit (9, 33, 3). neque tamen illis contigit, ut ueritatem omnino ex ea expellerent. supersunt etiam nunc indicia, quae si cum ficta illa Claudiorum specie apertius discreparent, frustra Liuius inconstantia et astutia singulorum quorundam uelauit, ut quod 3, 33, 7 regimen decemuirorum penes Appium illum Verginiae nomine foedatum fuisse scripsit *fauore plebis,* addidit autem *adeo nouum eum sibi ingenium induisse, ut plebicola repente omnisque aurae popularis captator euaderet pro truci saevoque insectatore plebis.*

Nunc uero quaeritur, quis annalibus suis memoriam Romanam tantum deprauauerit aliosque infecerit. certo quodam consilio et ratione eum ductum esse necesse est. itaque Mommsen (p. 315) Licinium Macrum tribunum plebis a. 73. 681, qui a. 66. 688 ipse sibimet mortem consciuit, incusauit. neque tamen omnibus criminibus eum dignum fuisse infra exponemus; nam quamquam et patrocinium plebis in annalibus quoque suis susceperat et suae gentis, tamen certa causa indagari non potest, cur tam uehementi odio in Claudios inuectus sit, aut ullum indicium consilii cuiusdam corrumpendae eorum memoriae, ut sua ultra modum augeatur. at uero omnia argumenta ad Valerium Antiatem, talium mendaciorum artificem, trahunt. huius enim gentis laudibus maxime Claudii officiebant, praesertim cum etiam de fauore plebis uel populi cum Valeriis certarent. itaque Antias et Appio Claudio, ut cum gente sua de Sabinis Romam migraret, P. Valerium Poplicolam persuasisse eique domicilia donasse finxit[1]) et, ut illo potissimum honore Claudios spoliaret, ueteri illi genti litem cum tribunis ac plebe uelut notam impressit atque eam contumacia sua patricioque fastu populi studia a se reppulisse narrauit, quibus sui gentiles Poplicolae cognomen meruissent. hunc sane animum spirat et Liuii et Dionysii historia. quodsi Claudium a Liuio in tertia,

1) Sic Plutarchus Poplic. c. 21 Antiatis auctoritate in hac uita usus.

quarta, quinta decade paene semper una cum Valerio consociatum esse, a Dionysio autem eum ne nominatum quidem, tum ab illo Valerium quasi inuito saepissime citatum solumque multis locis praeter Polybium, a Dionysio certe uno loco (fr. 2) sed enumeratum in eis auctoribus (1, 7, 3), quos ut maxime ab ipsis Romanis laudatos excerpsisset (*ἀναλεξάμενος*), Porcium Catonem, Fabium Maximum, Licinium Macrum, Aelios, Gellios, Calpurnios, denique ab utroque inique Claudios descriptos esse[1]) eosque primas praeter Valerios in historia non agere, nisi ut sceleribus excellant, si igitur haec animo complexi erimus, eos lectione Valeriana occupatos ad res Claudiorum Valeriorumque scribendas accessisse statuemus nec patronum exstitisse mirabimur, qui de Claudiis ueritatem redintegraret, quorum gens patricia numero, uirtute, studio litterarum paulatim degenerata, cum Liuius primam decadem componeret, omnino intermortua erat (Mommsen p. 314), cum Valeria efflorescere uideretur. Quadrigarius autem quod apud Dionysium omnino latet, apud Liuium paene nusquam a Valerio solutus est, illum ab hoc subactum i. e. translatum et ad suam libidinem transformatum esse ueri simile est. sic etiam auctoritate diminuta Liuius eius memoriam diligentius explorare et cum Valerio per singulas partes comparare desiit, sed satis habuit hic illic cum appendices insereret, eum euoluisse et de numeris, si discreparent, ex eo quaedam adnotasse. potior igitur Liuio in quarta quintaque decade Valerius Antias iuxta Polybium fuit, neque tamen mentitus est, cum etiam hic ad 'Graecos Latinosque auctores' prouocaret (32, 6, 5. cf. 29, 27, 4).

Vtut est, nemo praeter Velleium (l. s. s.) notitiam eius habuit neque quisquam mentionem eius fecit praeter Senecam philosophum, qui etiam narrationem quandam (fr. 80) ex libro duodeuicesimo deprompsit. Hadriano autem imperatore multum lectitatus et in usum commentariorum grammaticorum excerptus est, cum adrideret hominibus illis antiquitatis studiosis genus scribendi simplex atque horridum. itaque Gellius, qui ex solo libro primo

1) Exemplum iniquitatis aduersus Claudios apud Liuium 43, 9, 4—7 et c. 10 exstat, ubi a. 170. 584 cupiditate uictoriae tantum Appii Claudii Hostilii consulis legati animum occaecatum esse narrauit, ut ad Vscanam de duodecim milibus militum decem amitteret, idem tamen eam rem in annali a. 169. 585 c. 18 sq. secundum Polybium ita iterauit, ut neque Claudii illius mentio fieret et res ipsa multo minus turpiter gereretur. ex annalibus autem prior fama sine dubio hausta est, ex Valerio ueri similius in eo libro quam ex Claudio.

uiginti sex fragmenta effudit, ex his uiginti uno capite (17, 2), omnino ex nouem libris per diuersos suos (quattuordecim) quadraginta quinque, si eius uerbis fidem habes, frequenter eum se legisse et aut ex sua lectione multa noctibus suis Atticis inseruisse profitetur aut amicos Fauorinum (9, 13), Frontonem (13, 29, 1), Antonium Iulianum rhetorem (15, 1), Apollinarem Sulpicium (20, 6, 11) de eo disserentes et exempla adferentes facit. quid? quod ad firmandam scripturam quandam 'aliquot ueteres libros' se inspexisse praedicat et uel libri, quem in Tiburti bibliotheca uidisse se dicit, auctoritate gloriatur (9, 14, 1). Porro etiam Frontonem in epistula quadam genus eius scribendi laudasse iam supra (p. CCLXXXV) commemorauimus.

Ex horum autem scriptorum horreis, quae referta erant exemplis Claudianis, qui postea de rebus grammaticis egere aut glossemata collegere aut poetas explicauerunt, sua sumpsisse uidentur. neque exstant certa uestigia etiam post illud tempus Claudii annales in multis manibus fuisse.[1]) nam Nonium, qui uiginti septem fragmenta citauit in septem capitibus (in primo unum), ex Gellio duo, non inspexisse ipsum Claudium uix est cur nunc, postquam tot tam claris exemplis leuissima ratio eius excerpendi et transcribendi demonstrata est, moneamus.[2]) idem uero etiam de Macrobio (fr. 45)[3]), scriptore Gellii haud dissimili eiusque imitatore et expilatore, de Seruio (fr. 31. 52. 91), de Lactantio Statii Thebaidis scholiasta (fr. 75), de Diomede (fr. 71. 77), de Prisciano (fr. 39. 49. 56. 73. 74. 96) statuendum est.[4])

Denique ne neglegentia nostra complura fragmenta omissa existumes quae sunt apud Krausium, breuiter enumerabo, quae ex illo numero eiecerim:

1) Mirum est quod Closset p. 495 Claudium usque ad Ioannis Saresberiensis aetatem peruenisse existumat. ubi enim eum citat (Policr. 5, 7), sua hausit ex Gellio (3, 8). cf. adnot. ad Valer. Ant. fr. 21 et Schaarschmidt *Johannes Saresberiensis in seinem Verhaeltnis zur klassischen Litteratur* in mus. Rhen. XIV (1859) p. 206.

2) Quattuor fragmenta ex Gellio ita excerpsit, ut pro Claudio Coelium falso substituerit. uid. adnot. ad fr. 13. 22. 23. 24. Hertz in Gellianis p. 106 sqq.

3) Etiam duobus aliis locis (adnot. ad fr. 44. 53) Macrobius, ubi Quadrigarium citauit, ad uerbum descripsit Gellium. uid. Iani indicem Macr. auct. II p. 655 et Wissowa De Macr. font. p. 3 sqq. idemque de fr. 45 recte suspicatus est G. Thilo *quaestt. Seru.* (Hal. 1867) p. 8 comparato Gellii lemmate 8, 1.

4) De Orosio, qui Liuium in epitomen redegit, cf. adn. ad fr. 68.

1. (p. 254 Kr.) *Quintus in II: Peruersum esse, alii modi postulare Pyrrhum in te atque in ceteris fuisse.* Prisc. 13 p. 8 H. — Hic iam Krehl ex codicibus C. Licinii nomen restituit, quam ob rem C. Licinii Macri fragmentis insertum est (fr. 20).

2. (p. 263 Kr.) *Calidius*: *Senatus, inquit, censuit referentibus sufetis.* Paul. Diac. p. 308 M. — Quia uulgo tribueretur Claudio, Krause in eius fragmentis etiam hoc posuit. ipse Calidio oratori sua reddenda esse existumo. haec enim Festi (p. 309) uerba excerpsit Paulus: 'Sufes dic*tus Poenorum ma*gistratus ut Osco*rum Meddix tuticus.* Calidius in ration*e in Q. Gal*lium: — Senatus cen*suit referentibus* sufetis.'

3. (p. 265 Kr.) *Claudius oratione in Quintium Gallum: quorum iacent murena, ulla horrea, curiaque et tabulariae publicae.* Nonius s. u. horrea p. 208. — Hoc fragmentum Meyer in fragm. orat. Rom. p. 437 ita emendauit: *Calidius oratione in Quintum Gallium* eiusque fragmentis inseruit, Giesebrecht quidem (p. 9) ex oratione quadam, quam in annales recepisset Quadrigarius, haec sumpta esse arbitratus est, sed cum Meyero id facit, quod in Q. Gallium, quem defendit M. Tullius Cicero, orationem Calidium habuisse etiam aliunde constat. cf. Meyer l. s. p. 436 sq. ipsa uerba sic scripsit L. Mueller l. s.: *quarum* [scil. urbium] *iacent muri, nec ullae* [*naualia* Maduig. Aduers. II p. 659] *horreae curiaeque et tabulariae publicae.*

4. (p. 259 Kr.) *Claudius rerum Romanarum libro duodecimo: Quinque pristis nauigium ea forma a marina bellua dictum est.* Non. s. u. pristis p. 535. — Hoc fr. ita scriptum '*quinque pristis (nauigium ea forma a marina bellua dicta est)*' Clodio Licino tribui. uid. uol. II p. CVII. 78.

VALERIVS ANTIAS[1])

Quae supra de Q. Claudii Quadrigarii aetate ac uita testimonia pauca et incerta allata sunt (p. CCLXXXV), nunc ad Valerium Antiatem pergentibus nobis iterum adhibenda sunt et ut illic sic etiam hic eis adquiescendum. Vixit igitur uterque eadem qua Cornelius Sisenna aetate, ita tamen ut Antias, quoniam et a Velleio et a Frontone illius aetatis historicos enumerantibus post Claudium recensetur, aetate Claudio inferior fuisse uideatur (uid. infra p. CCCXI sqq.). quod autem Claudii annalium uestigia descendunt usque ad annum 82. 672 (fr. 84), huius usque ad a. 91. 663 (fr. 64), omnino Antiatis librorum posteriorum reliquiae multo rariores sunt quam Quadrigarii.

Quae praeterea de eo apud plerosque, qui de eo egerunt, scripta exstant, omni fundamento carent: primum Quinti praenomen, quo Vossius eum nulla auctoritate insigniuit ceterique usque ad Krausium (p. 266) et Clossetium (p. 503), aut Publii, quod Schottus excogitauit (cf. Liebaldt p. 2); tum praetura anni 84. 670, qua Krause (l. s.) eum ornauit, errore Lachmanni (De font. Liu. I p. 37 n. 4) inductus.[2]) denique, quod fuerunt qui propter cognomen contenderent eum Antii natum Romam migrasse, hi non uiderunt iam bello Hannibalico anno 215. 539 L. Valerium quendam Antiatem quinque nauibus praefectum esse, ut legatos captos Romam deportaret (Liu. 23, 34, 9)[3]), unde, quia tum M. Valerius Laeuinus in Italia inferiore praetura fungebatur, P. Valerius Flaccus autem legatus Laeuini praefectusque classis quinque illis nauibus Antiatem praeesse iusserat,

1) Liebaldt *De Valerio Antiate annalium scriptore*, progr. Numburg. 1840. Gutschmid *Kleine Schriften* V p. 526—531. Fr. Muenzer *De gente Valeria* (dissert. Berol. 1891) p. 54—71.

2) Cadunt igitur etiam quae Krause de anno, quo natus esset Antias, effecisse sibi uisus est.

3) Pighius ann. II p. 176 hunc Antiatem historias scripsisse suspicatus est nanctusque est sibi obsequentes. sed hanc coniecturam peruersam esse non est cur demonstremus.

Muenzer (l. s. p. 60) et illum et hunc historicum clientem patriciae gentis fuisse argumentatus est.[1])

Itaque rebus gestis Antiatis historici nomen non inclaruit, memoria continetur libris, qui aut historiae aut annales inscribebantur. ex quattuor enim locis, quibus auctori liber accurate additus est, duo hanc (Prisc. fr. 16. Gell. 60), duo illam (Gell. 57. 62. cf. fr. 1. 21) inscriptionem exhibent. libri minimum fuerunt septuaginta quinque (fr. 62), de quo numero a Gellio tradito certa dubitandi causa non subest; nam etiam libri septuagesimi quarti uerba quaedam Priscianus seruauit (fr. 61), ita ut, quoniam L. Licinii Crassi mortem (a. 91. 663. fr. 64) commemorauit, libro septuagesimo septimo usque ad Sullae mortem peruenisse uideatur.[2]) cum uero qui ante eum scripsere, iam discessissent ab illo ueterum historicorum more res Romanas ab urbis initio deducendi et partem quandam, quam melius nossent, accuratius tractandam suscepissent, hic ad priscam illam rationem regressus etiam ea tempora, quae historiae luce carerent et ante eum paucis et ieiunis uerbis descripta essent, copiosa et fusa narratione illustrare conatus est. itaque altero libro ad Numam peruenerat (fr. 5. 6), uicesimo altero, quem Gellius fr. 57 (et praeter eum Charisius fr. 58) citauit, ad a. 136. 618[3]), ceteris rebus minimum quinquaginta tres libros expleuit, plures quam Liuius eodem temporis spatio.

Genus scribendi inuenustum fuisse iudicauit Fronto (l. s. s. p. CCLXXXV), prisci sermonis laudator, qui solus hanc rem tetigit,

---

1) Qui uulgo affertur locus Plin. n. h. praefat. 24 ad Antiatis cognomen explicandum, est profectus ex Rhenani interpolatione; in codicibus nec Antiatis nec Valerii nomen exstat. cf. Priscian. 5 p. 155 H.: *in 'as' Latina si sint patriae, communis sunt generis. — inueniuntur tamen alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias historicus.*

2) Gutschmid l. s. p. 527. Muenzer (*Zu den Fragmenten des Val. A.* Hermes 32 p. 469—474) numeros fr. 60 (lib. XLV), 61 (LXXIV), 62 (LXXV) uanitate grammaticorum fictos esse suspicatus numerum annalium usque ad triginta fere minuit.

3) Consulto omisi quod Plinius, ut nunc uulgo scribitur, ab eo rem quandam a. 181. 573 in tertio libro enarratam esse commemorare uidetur (fr. 15). nam is numerus est corruptus, nisi Numae libros inuentos et combustos esse per duos libros enarratum esse suspicaris aut Antiatem eas res, quae a Numa usque ad a. 181. 573 gestae sunt, uno libro complexum esse, annis qui sequebantur uix quinquaginta undeuiginti libros explesse. Vnger igitur (in Philol. suppl. III 2 p. 160) restituit *XXIII*, Gutschmid l. s. p. 527 cum Nipperdeio *XIII*.

cum idem Claudii lepidum diceret. quae iudiciorum diuersitas ita explicanda erit, ut Claudium antiquitatis in scribendo studiosum fuisse existimemus, Valerium suae aetatis sermone usum gratia et uenere caruisse, quae illi aetati nisi studio et cura comparari non posset[1]), posita tamen in incorrupta antiquitate uideretur.[2]) eademque de causa erit repetendum, quod qui grammatici formas priscas et insolitas sectarentur, multa exempla prompserunt e Claudio, perpauca e Valerio. nam plerisque locis, quibus Antiatis mentio facta est, non uerborum sed rerum causa est inspectus et laudatus, fragmenta eius ipsis uerbis pertenuia nobis tradita sunt. nihilo minus de ea re hoc proponemus, artem nec a Claudio nec a Valerio spretam esse. neque enim hoc par ad utilitatem Polybii aspirabat, quoniam ipsi in uitam publicam administrandam non processerant, cuius cognitione et experientia historicis opus esse ille docuerat (12, 28, 3 sqq.). itaque ad delectationem redibant, ille colore antiquitatis in dicendo affectato, Valerius imitatione scriptorum hellenisticorum, qui materia tragice conformata animos grauiter commouerant, id quod infra pluribus exponemus.

Certius de eius fide iudicare posse nobis uidebimur. nam Liuius cum eum auctorem nominat, aut cum alio aliquo eum consociat aut, si eum solum, hac occasione arrepta ei crimen aliquod exprobrat, maxime immodicorum numerorum. itaque primo loco, quo eius mentionem fecit, ne ei fides habeatur cauere iubet (3, 5, 12) et, posteaquam propter antiquitatem rei (a. 464. 290) difficile esse monuit, quot pugnauerint ceciderintue, exacto affirmare numero, sic pergit: '*audet tamen Antias Valerius concipere summas*'; Romanorum enim cecidisse 5200, Aequorum 4230 (fr. 19). alia eius rei exempla haec sunt: ad Illiturgi Celtiberorum occisa 12000 (de 20000 fr. 35), ad Aoum amnem a Villio totidem Macedonum (fr. 31: *ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum — tradunt* Liu.), in Olympo monte 10000

1) Quintil. 6, 3, 18. cf. Fronto p. 18: *nam pleraque propria uenustate carentia gratiam sibimet alienam extrinsecus mutuantur.* p. 150, ubi Marci imperatoris laudat 'eludendi uenustatem'. contra desideratur in Ciceronis genere dicendi explicando (p. 63): *quom tamen in omnibus eius orationibus paucissima admodum reperias insperata atque inopinata uerba, quae non nisi cum studio atque cura atque uigilia atque multa ueterum carminum memoria indagantur.*

2) Cf. Gellii iudicia de Claudii suauitate incorruptae antiquitatis eiusque suaui uetustate, iucunditate, amoenitate p. CCLXXXIX; de Valerii genere dicendi omnino tacet

(fr. 44. *V. A. qui magis immodicus in numero augendo esse solet* Liu.), Ligurum incerto loco 28000 (ex victoribus 1484, fr. 41: *ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est* Liu.), a. 212. 542 in Hispania a Romanis, qui Scipionum cladibus attriti erant, 17000 (fr. 23), a. 203. 551 in pugna, cuius fama obscura est, 5000 Carthaginiensium (fr. 29: *quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit aut neglegenter praetermissa*), anno insequenti in Africa antequam ad Zamam decertaretur, 12000 (fr. 30), denique ad Cynoscephalas (fr. 32: *si Valerio qui credat omnium rerum immodice numerum augenti* Liu.), ad Comum (fr. 34), ad Emporias (fr. 36), ad Thermopylas (fr. 39: *quid si Antiati Valerio credamus?* Liu.) quadragena milia hostium.[1]) idem quot homines capti, quot signa militaria, si cum Gallis pugnatum est, quot carpenta, quae summae auri argentique (fr. 53. 54), accurate definiuit, neque milia adtulisse contentus fuit sed usque ad numeros denarios exacta eius scientia descendit, idque uel antiquissimis temporibus fr. 19. cf. 34. 41. ut uero ad uirtutis Romanae admirationem mouendam hostium, qui occisi essent, numeros immodice auxit, ita etiam, si quid Romanis minus prospere cessisset, ut legentium animos terrore percuteret, Romanorum cladem multo atrociorem finxit, uelut ad Arausionem octoginta milia Romanorum sociorumque, quadraginta milia calonum atque lixarum a Cimbris interfecta esse scripsit, ut ex omni exercitu decem tantum modo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superessent (fr. 63). etiam ad res ciuiles haec uanitas pertinebat (fr. 47: *si Valerio Antiati credere libet*).

Sed excusatur aliqua ex parte haec Valerii inmodestia numerorum, quos saepissime ipse Liuius ab aliis cum nulla nota mutuari non dubitauit. nam rhetorum et uanitate et incuria hic mos iam apud Graecos in historiam inuaserat. quid? quod Duris (apud Diodorum fr. 40) numerum hostium ad Sentinum occisorum (apud Liuium 10, 29, 17: 25000) etiam usque ad centum milia auxerat. quamquam Valerium superiectionis crimine liberare nolo; nam si Polybium nouit, id quod compluribus de causis ueri simillimum est, decem milia militum, quos ab Antiocho in Graeciam missos esse ille tradiderat, Antias ut quadraginta eius milia militum occisa esse referre posset, quinque capta, sexies multiplificauerat (fr. 39), si Coe-

1) Hunc numerum Gallorum in Olympo monte caesorum etiam Claudius edidit (fr. 66), cf. s. p. CCLXXXIX.

lium, Sileni auctoris ab eo citati scorpionum maiorum sexaginta numerum, quos Scipio Carthagine noua expugnata ceperat, etiam centies (fr. 24).[1])

Grauius historiam etiam totis pugnis fictis aliisque rebus corrupit. nam pugnae a T. Villio in Macedonia prospere commissae Liuius praeter eum Latinos Graecosque auctores non legerat (fr. 31) nec rumoris de Romanis imperatoribus ab Antiocho in Asia captis (fr. 42) aut famae malignae de Africani maioris moribus (fr. 25). Romanorum autem laudi ut seruiret, populi Romani res gestas eum exornasse hostibusque obtrectasse per se ueri simile est, quamquam exemplis non abundamus; nam ceteri scriptores in hac re cum eo consentiebant neque habebant, cur eum reprehenderent. unum tamen exstat, quo Liuius eum a 'pluribus annalibus et quibus credidisse malis', decessisse testatur (fr. 51. cf. fr. 52); id enim agebat, ut iniuriam Eumeni a senatu illatam excusaret (uid. adn. ad fr. 51). Alia, praecipue ut animos hominum delectaret, mutauit neque omnia ornamenta artis oratoriae spreuit, ut erat homo litteratus sermonisque Graeci peritus, id quod senatus consulto inserto (fr. 15) aut rogatione Petilliorum (fr. 45[n]) confirmatur, quae documenta ex tabulinis senatoriis aliisue publicis exscripta esse uix quisquam credet, tum imitatione Theopompi (fr. 76), cuius fabulam Sileni a Mida uino decepti in res Romanas transtulit (fr. 6), etymologia Graeca (fr. 10), studio fabulas uel miraculis exornandi (fr. 6. 24) uel Pisonis Euhemerique exemplo ad naturam rationemque referendi (fr. 1. 6. 12), libidinosas praeferendi uel in libidinem detorquendi (fr. 25. 48), denique rumores ab omnibus partibus corripiendi et temere litteris mandandi (fr. 42).

Multa uero et ampla librorum spatia Valerio erant hac historiae ratione explenda. atqui cum in ludis rhetorum ars propositam aliquam materiam dilatandi[2]) uel abbreuiandi tradita et exercitata esset, Valerius eius rei peritus ad historiam accessit. sed neque ut ueteres annalium scriptores in rebus publicis administrandis uersa-

1) Ratio superiectionis hoc loco manifesta est, sed etiam multis aliis apud Liuium conspicitur, maxime in prima decade, uelut 10, 31, 7 ab Appio Claudio et Volumnio 16 300 (16 200 = 6.2700) Samnites caesi, 2700 capti sunt, idemque numerus Romanorum caesorum fuit; 10, 36, 14 in Apulia 4800 hostes caesi, 7800 capti totidemque Romani caesi. cf. Wellhausen *Israel. u. jüd. Gesch.* p. 31.

2) Cf. Theonis progymn. 3 p. 75 Sp.: *ἐπεκτείνομεν δὲ τὰς ἐν τῷ μύθῳ προσωποποιίας μηκύνοντες — τὸ ἐναντίον δὲ ποιοῦντες συστέλλομεν,* quae in seqq. exemplis illustrat.

tus erat neque ut liberti litterati scientiae antiquitatis augendae operam nauauerat. itaque id unum agebat, ut res quam copiosissime explicatas oculis hominum quasi subiceret eosque legentes delectaret, nec mirabimur quod facile ei uel inuito uel uolenti accidit, ut Romanorum antiquorum animos et sensus ex sua consuetudine describeret atque quae ipse de sua aetate audiuisset uel cognouisset, in illa tempora transferret. ut igitur fuere, qui cladem Caudinam secundum C. Hostilii inclusionem Numantinam depingerent (Nissen Mus. Rh. XXV p. 42 sqq.) aut Gracchos imitati Sp. Cassios, M. Manlios, Sp. Maelios (Mommsen *R. F.* II p. 150 sqq.), sic exeunte septimo urbis saeculo cum ciuiles dissensiones animos uehementer commouissent, recentes rhetores qui quae ieiune et exiliter memorata in annalibus inuenissent, ad artis suae praecepta dilatarent et exornarent atque, cum fecunditas ingenii exigua esset, res, quarum ipsi periti essent, in uetustatem insererent. eius corruptionis satis multa exempla apud Liuium et Dionysium habemus, qui cum de summis rerum uelut de uetere plebe Romana in eodem errore consentirent, iam ante eos tali ratione historiam Romae deprauatam esse constat, neque eo crimine Antiatem, qui quasi ueterum annalium proprietates complexus est, liberabimus.[1]) nam a diligentia auctores circumspiciendi et ratione ueritatem inquirendi historia eius longe aberat, quamquam illud ei cum Liuio non exprobrabimus, quod nec magistratuum libros (uid. adn. ad fr. 45[1]) nec Catonis orationem quandam legerit (fr. 48). Polybium quidem cognouerat propter rerum Graecarum ubertatem, ut etiam Claudius; nam haud raro in illis auctoritas eius narrationibus subesse uidetur aut discrepantiarum adnotationes ab ea profectae esse, neque Liuium, nisi in lineamentis bellorum ibi gestorum eos inter se consentire sibi persuasisset, numerorum tantum aliarumque minutiarum diuersitates adnotaturum fuisse ueri simile est (uid. supra p. CCXCVII); etiam ad Calpurnium Pisonem (Muenzer De g. V. p. 13 sq.) Coeliumque Antipatrum uestigia consociatae utriusque a Liuio aliisque auctoritatis deducunt[2]), sed proxi-

1) Vid. E. Schwartz *Notae de Romanis annalibus* (Gotting. 1903), qui iniquius historiam in gradum libellorum uel inuectiuarum detrusit; ipse eam cum fabulis romanensibus comparare malo, quae quasdam res uere gestas fictionibus suis quasi nube obducunt uulgusque decipiunt.

2) Etiam Sileni notitiam, quem Liuius 26, 49, 1 idque hoc solo loco nominauit, ex Coelio sumpsit; etenim scriptio rhetorum, praesertim Alexandrinorum, inter suos peregrinosque auctores ita non distinxit, ut etiam horum nomina praeferret. nimirum ad hostes inimicosque laudandos in illa disciplina etiam instituebantur adulescentes. itaque Coe-

mum et tempore et usu ei fuisse Claudium Quadrigarium supra (p. CCIX) pluribus exposuimus confirmabimusque ita ut Valerium etiam gentili aemulatione inuidiaque permotum in certamen et laudis gentium et historiae descendisse et ut aetate inferiorem abundantia rerum illecebrisque oratoriis iucundiorem se pro illo in aequalium suorum lectionem insinuasse doceamus. quamquam hoc studium in ipsis fragmentis (praeter fr. 17) oblitteratum est, cuius uestigia Liuius nimietate offensus obscurare maluit, ut antea Valerius eiusdem Quadrigarii studii; nihilo minus et apud hunc et apud Dionysium Halicarnasensem Plutarchumque in uita Poplicolae, quorum scriptorum memoriam ad Antiatem redire compertum est[1]), quaerentibus satis multa indagata sunt, quae nunc perlustrabimus. nam etsi iam commentarios gentiles de ueterum Valeriorum honoribus multa mendacia ei suppeditauisse, quos Antiatem excussisse consentaneum est, ex elogiis didicimus, hic tamen effecit, ut ex illorum thesauris in litteras propagarentur, ita ut etiam nunc Claudii Valeriorum frequentia honorum superentur diuque in memoria nostra inique tractati sint.

Itaque omnes Valerios, qui ante Antiatem censura functi sunt, praeter unum de seueritate sua laudatos esse Muenzer l. s. p. 62 animaduertit idemque p. 59 sqq.[2]) octo Valerios enumerauit, 'quorum res in bellis bene gestae aliunde non notae in eis Liuii partibus enarrantur, quae ex Antiate fluxerunt', uel legatorum clarorum uirorum Papirii, Marcelli, Furii (Camilli, cui ut 'socium imperii'

---

lium, primum historicum, qui arte historiam Romanam exornauit, non puduit ex Hannibalis cohorte suum opus aperte supplere (Scheller l. s. p. 49 sq. Polyb 1, 14, 5). Liuius autem ut in sexta septimaque pentade Valerium cum altero atque etiam tertio auctore (fr. 23) coniungere solitus est, ita nunc iuxta Polybium et Valerium pro Coelio eius auctorem Silenum interposuit, quo Coelium multum usum esse Ciceronis testimonio (fr. 11) constat, Coelio autem Valerium comparatis fr. 26. 27 ueri simile est, sed quod Silenus Carthagine noua scorpiones maiores minoresque ad sexaginta captos esse scripserat, Valerius numerum maiorum centies auxit. similis ratio inter eos intercedit atque inter Polybium Valeriumque.

1) Quoniam post Antiatem simili studio amplificandae Valeriae gentis gloriae historiam deprauatam esse non accepimus, argumenta desunt, quibus inferiore scriptore Plutarchum usum esse suspicemur, ut quidam uoluerunt. nam si Liuio et Dionysio ueritatis superlationes quasdam addidit, circumscripserunt hi Antiatis arrogantiam gentilem, quam non diminuere biographi intererat. uid. de eius uita infra p. CCCXII sqq.

2) Vid. eius cap. VI in diss. 'De rebus in Valeriorum honorem fictis' p. 54—71.

a. 386. 368 P. uel L. Valerium, cuius memoria annalibus Liuii et Diodori continetur, adiunxit, uid. Muenzer p. 36 sq.), Aemilii Pauli, uel tribunorum militum, etiam unius sine magistratu, ex memoria a. 325. 429—181. 573, quam, ut illi locum suum iure obtinere uiderentur, rebus quae traditae erant uel diligentius enarratis uel auctis uel mutatis uel etiam fictis infectam et corruptam esse idem docte exposuit. haec tamen nomina si quis casu a solo Liuio seruata esse existumauerit, orationes quasdam afferam a Valeriis habitas et ab illo et a Dionysio eo consilio insertas, ut Claudiorum laudem minuant. nam apud illum a. 460. 294 P. Valerius consul populo oratione persuadet, ut contra Herdonium arma ferat, collega Appio Claudio in senatu remanente, tum hostibus Aequis et Volscis appropinquantibus eodem collega ad portarum praesidia relicto ipse 'inter primores pugnam ciens interficitur' (3, 17 sq.), Dionysius autem sexies Valerios (*δημοτικωτάτους*, *φιλοδήμους*, *δημοκόλακας*) contra App. Claudium orationibus inuehentes inducit, partim non sine erroribus eas breuiter commemorans, partim explicans.[1]) has igitur orationes Liuius et Dionysius Antiatis uestigia uel exempla secuti finxerunt. Maxime tamen Poplicolae laus ultra modum et ueritatem a Plutarcho aucta est. nam legatio a Tarquiniis, ut plebem commoueret, Romam missa, cuius nemo scriptor praeter illum mentionem fecit, cum consules non prohiberent, sola Poplicolae prudentia et constantia ad irritum redacta est (c. 2). deinde iterum legatis missis Vindicius seruus cum iuuenum coniuratorum sermones excepisset, rem non ad consules sed ad Valerium detulit, qui aduocato Marco fratre coniurationem patefecit (c. 4. 5).[2]) iuuenibus autem sceleris conuictis Brutus consul de filiis supplicium sumpsit, tum uero Plutarchus eum, ut domus suae calamitate fractum, admodum inscite de foro remouit, ut Poplicolae partes quasdam insereret. paene enim in eo fuisse, ut Collatinus Aquillios, item coniurationis socios, sororis suae filios, ex poena eximeret, ni Poplicola restitisset et rem usque ad aduentum Bruti, qui continuo arcessitur, distulisset (c. 7).[3]) etiam

1) 5, 64 sq. 6, 23; 58; 88. 7, 54—56. 9, 49.

2) Dionysius 5, 7, qui Valerio item esse usus uidetur, haec eodem modo narrat, de fratre tamen tacet. apud Liuium (2, 4) res ad consules delata est.

3) De hac Valerii opera nihil habet Dionysius. apud hunc enim Brutus *ἀποκτείνας τοὺς υἱοὺς εὐθὺς ἐκάλει τοὺς ἀδελφιδοῦς τοῦ συνάρχοντος Ἀκυλλίους* 5, 9, 1. Liuius antiquiorem suum auctorem secutus simpliciter haec narrat.

in Porsinae bello egregiam operam rei publicae idem nauat, neque prius ad pontem sublicium Tusci penetrant, quam ille consul propugnans graui uulnere afflictus ex pugna asportatus est (c. 16 in hac re consentiens cum Dion. 5, 23), qui breui post optima ualetudine usus excursione facta quinque hostium milia occidit (c. 17). pax autem solis Poplicolae consiliis et arte conciliatur, idque tam aequis condicionibus, ut etiam castra omnibus copiis referta Romanis relinquantur (c. 18. 19). tum pace facta ad augendas uires Romanas Appium Claudium Romam aduocat (c. 21)[1]) et, posteaquam iterum res ad arma cum Sabinis uenit, bellum ita gerit, ut uictoriam omnes ad unum Poplicolam referant (*ἑνὸς ἔργον ἡγοῦντο τοῦ στρατηγοῦ γεγονέναι* c. 22. 23). denique idem primus ex consulibus triumphauit, laudationum morem instituit (c. 9), ludos saeculares quartum consul (a. 505. 249) instituit (c. 21)[2]) multasque rogauit

---

1) *ταῦτ' οὖν ὁ Ποπλικόλας οὐ μόνον εἰδέναι ποιούμενος ἔργον ἀλλὰ καὶ κινεῖν καὶ συνεξορμᾶν τὴν στάσιν εἶχεν ἄνδρας ἐπιτηδείους, οἳ τῷ Κλαύσῳ διελέγοντο παρ' αὐτοῦ τοιαῦτα κτλ.* de his colloquiis tacet Dionysius.

2) Ludorum saecularium apud Censorinum (17, 10 sq.) hi anni Valerii Antiatis testimoniis confirmati sunt: tertiorum a. 249. 505 P. Claudio Pulchro L. Iunio Pullo coss. fr. 22, quartorum a. 149. 605 L. Marcio Censorino M'. Manilio coss. fr. 55; sine auctore primorum a. 509. 245 a Valerio Poplicola institutorum, secundorum a. 348. 406 P. Valerio Coruo II L. Iulio Poetelio coss. Censorinus tamen cum binas auctoritates singulorum annorum attulerit inmiscueritque spatia centenaria atque XV uirorum centenaria et denaria, etiam librarii lacunis et mendis textum corruperint, res admodum dubia est neque definiri poterit, utrum consules a nobis nondum commemoratos M. Valerium Sp. Verginium ad primos ludos an ad secundos rettulerit. illud constare uidetur neglegenter eum scripsisse ludos a (P.) Valerio Poplicola primum cons. a. 509. 245 institutos esse (quarto consulatu Plut., uid. adnot. ad fr. 18) neque annos ludorum tertiorum et quartorum cum his consentire. itaque primos ab anno 449. 305, quo L. Valerius Poplicola M. Horatius Barbatus coss. fuerunt, ut uetustate alios ludos superarent, usque ad P. Val. Poplicolam remotos esse ueri simile est, id quod cum Antiatis historia optime conuenit. distinxit autem rationem Valerianam gentili aliquo miraculo instauratam (cf. Val. Max. 2, 4, 5), quae de centenario numero sibi non constabat, sed usque ad a. 348. 406 omnes ludos a Valeriis institutos esse ferebat (a. 509. 245, 504. 250, 456. 298, quibus a. 449. 305 addendus est), Th. Mommsen in chronol.[2] p. 180 sqq. (cf. Soltauii chronol. p. 386—391) ab ea, qua ludi Terentini a. 249. 505 primum celebrati et centum annis post relati sunt, ita ut ludos a. 146. 608 Hemina (fr. 39), Piso (fr. 39), Gellius (fr. 28) tertium factos esse affirmarent neque Valerii inter instauratores comparerent. Antias tamen utramque confudit

leges populares, quae ab aliis scriptoribus certioribus paene omnes ad alios auctores referuntur et aut cum temporum ratione discrepant aut plebi non profuerunt (Schwegler II p. 9. Muenzer p. 54 sqq.).

Sed etiam personas ex eiusdem Antiatis officina euasisse reperiemus, uelut Valerium proauum, cuius maxime opera sub Romulo Sabini cum Romanis conciliati sunt[1]), Valeriam Poplicolae filiam pro Cloelia, uirgine illa fortissima et statua honorata, apud Plutarchum substitutam, filios eius P. et M. ad lacum Regillum mortem obeuntes (Dion. 6, 12, 2) aut Postumium Balbum generum in bello Sabino exercitui praefectum (Plut. Popl. 22), M.' Valerium M. f. Larcium prima dictatura a. 494. 260 spoliantem (cf. Liu. 2, 18, 6), tum apud Dionysium contra App. Claudium quater declamantem (uid. supra p. CCCXII), iam quinque annis ante plebis secessionem in senatu ad eius miseriam leuandam dicentem (5, 63—65) et seditione facta iuxta Menenium partes aliquas in reducenda plebe et in concordia reconcilianda occupantem[2]), etiam Valeriam matri uxorique Coriolani persuadentem, ut ad eum pergant (Dion. 8, 39. Plut. Cor. 33). denique uix ullum genus honorum non adhibitum est, quo gloria Valeriorum augeretur, cum ceteri scriptores taceant.[3])

Hinc uero etiam illud explicatur, quod Antias in historia Romana pertexenda ultra Gallicum incendium regressus est. nimirum gens eius rebus ante illud egregie feliciterque gestis ita abundabat, ut facile splendorem Claudianum obscurare posset, praesertim multo recentiorem suaeque gentis prudentia Romam de Sabinis traductum; Fabiam autem famam ut sperneret de antiquissimis temporibus dominantem, nulla ei causa erat; neque enim inimicitiae ut inter Fabios et Claudios sic inter illos et Valerios intercedebant.

Sed contigit ut etiam accuratius in eius officinam introspicere possimus. aperuit enim portam Th. Mommsen[4]) demonstrauitque

---

quod ludos a. 249. 505 et 149. 605. in tertium (fr. 22) quartumque locum (fr. 55) recepit eosque ludis Valeriis adnexuit.

1) Plutarch Popl. 1. Hic eam potissimum ob causam in memoriam insertus est, ut Valerios multo ante Claudios Romam migrasse testaretur, cuius fabulae reliquiae exstant apud Valerium Max. 2, 4, 5. Zosim. 2, 1. uid. Mommsen *R. F.* I p. 293 sq. Muenzer l. s. p. 5 sq.

2) 6, 69, 5; 71; 88, 2. uid. Schwegler II p. 246. Muenzer p. 56 sq. Ceterum Poplicolae cognati raro inter se accurate distincti sunt.

3) Etiam in elogia quidam ficti inrepserunt. uid. supra p. XLII sq. XXXVII sqq. Muenzer p. 63 et de pugna ad Aegates insulas, cuius parta gloria Q. Valerius Falto pro praetore Lutatium Catulum spoliauit, p. 48. 60 sq.

4) '*Die Scipionenprocesse*' *R. F.* II p. 417—510. de disputationibus

Antiatem causas Scipionum elaborantem, quae cum animos Romanos grauiter mouissent, multum sermonibus agitatae ansam aptam praebuerunt exornandi fingendique uel partium studio consilioque, ut ueritatem corrumperent, uel fabulis, ut alios delectarent. quin etiam decreta in historiis componebantur, quorum fides eodem loco ponenda est, quo orationum similiumque artis rhetoricae ornamentorum (Mommsen p. 419), orationesque separatim edebantur, quae ad eas pertinerent, P. Scipionis Africani, Ti. Sempronii Gracchi, M. Porcii Catonis, a Liuio citatae, ita tamen ut Gracchi Africanique fides, cuius quidem Cicero omnino orationes ignorauit, quod in argumentis nomina non occurrerent, ei ipsi dubia esse uideretur (38, 56, 6 sq.), Africani etiam aliis, ut ait Gellius (4, 19, 6) uel Cornelius Nepos[1]): rhetorum scilicet artificia fuerunt[2]); Catonis autem 'De pecunia regis Antiochi' solo Liuii testimonio (l. s. c. 54, 11) nititur. diuersa igitur cum etiam in annalibus narrata essent, Liuius c. 56, 1 se non habere confessus est, cui famae, quibus scriptoribus de P. Scipionis exitu dieque dicta, morte, funere, sepulcro adsentiatur.

Ab hoc enim filum disputationis nostrae deducendum est, quoniam largissimam de eis causis materiam effudit (38, 50, 4—60) et propter dubitationem suam diuersas famas auctoresque proponere maluit quam ex eis unam aliquam contaminare. ex tribus igitur haec eius narratio composita est partibus: I: c. 50, 4—55, 7. II: c. 55, 8—57. III: c. 58—60, quarum prima et tertia arte inter se cohaerent, ita ut nihil altera seclusa in eis desideretur, immo oratio sic apte procedat. altera quasi appendicis amplioris locum obtinet. illae autem et testimoniis Valerii Antiatis ab utroque latere circumscribuntur, id quod nullo alio loco Liuius similiter fecit, et tempus, quo P. Africanus in priore parte mortuum esse tradiderat, in libro proximo (39, 52, 1) ab ipso ut Valerianum refellitur, denique ea Lucii causae lineamenta, quae Antiatis esse Cornelius Nepos uel Gellius 6, 19, 8 prodidit, partibus Liuianis primae et tertiae subsunt. itaque ultra

---

recentioribus nomino Vngeri Philol. suppl. III 2 p. 121—131, Muenzeri *R. E.* IV c. 1475—1483. — B. Niese in obseru. alteris de annal. Rom. (in indic. aest. Marburg. 1888) fundamenta argumentationis Mommsenianae, qua Liuio Antiatem subesse docuit, non concussit.

1) Iure enim pro Gelliana auctoritate Cornelium et 4, 19, 6 et 6, 19 substituere licet; uid. Mercklin *Citiermethode d. Gell.* p. 668.

2) Cf. Muenzer *R. E.* IV c. 1477 sq. Mommsen l. s. p. 502 sqq. illam orationem fictam esse suspicatus est post 44. 710 contra Caesarem persona Africani indutam.

Liuium ascendentes in his Valerium Antiatem nos quasi in manibus habere, postquam iam alii suspicati sunt, certa sua argumentatione Mommsen l. s. euicit.[1])

Vberi autem iam Valerius Antias diuersarum famarum materia abundabat, ut hoc quasi lenocinium ei esset eas contaminandi exitusque celebris Scipionum quam maxime arte componendi dilatandique atque hominum animos excitandi et quam grauissime commouendi. ob hanc igitur rem tragica ratione summum triumphum P. Africani die Zamensi per totam urbem omniaque templa cum populo Romano circumeuntis[2]) decessumque Literninum continuauit neque has fortunae uicissitudines intra unius anni terminos coartare ueritus est[3]), quod inuentum siue, ut Latine loquar, mendacium et Cornelius Nepos l. s. notauit et ipse in proximo libro (39, 52, 1 sqq., ubi recte Publium a. 183. 571 mortuum esse exposuit) Antiati exprobrauit neque tamen in hoc correxit. Exorsus igitur a Polybio, cuius fragmenta Gellii siue Cornelii testimoniis augemus[4]), pro M. Naeuio, a quo Africanum primum apud populum accusatum esse legerat, duos Q. Petillios substituit; illum enim a. 184. 570 tribunum fuisse Liuius (39, 52, 3) meminerat, Petillios autem a. 187. 567 a Catone contra Scipiones inmissos: itaque hos propter regnum superbiamque in Publium inuectos esse narrauit, hunc autem pro-

1) Apud alios scriptores fragmenta tantum modo eius causae habemus; antiquissima auctoritas est Polybii (24, 9, 6; 9ª, 1—5), quam e genuino textu excerptam et Cornelii testimonio (ap. Gell. 4, 18) supplendam esse ueri simile est; antiquioris famae meminerunt Cicero (de orat. 2, 61, 249. de prouinc. consul. 8, 18), Liuius in appendice; aliae aut ad Antiatem redeunt (ut Appian. Syr. 40 et fortasse Aurel. Vict. de uir. ill. 49. 53) aut ad Liuium (Orosii, Plutarchi, Dionis-Zonarae). Vide Mommsen p. 419—432.

2) Quod Antias Scipionis illam continentiam, qua Carthagine noua expugnata usus est, malignis rumoribus de eius φιλογυνίᾳ (cf. Polyb. 10, 19, 3), quibus maxime Naeuius indulsit, adductus in deterius detorsit, eius neglegentiae in excerpendis auctoribus et studio talium rerum tribuendum est.

3) Cf. Ciceronis epistulam ad Lucceium scribentis (5, 12, 4): *Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris quam temporum uarietates fortunaeque uiciesitudines.*

4) Certe hic cum Polybio omnino non discrepat, nominaque, quae nunc apud illum desunt, facile ex hoc inseri atque res quaeque accuratius definiri possunt. fragmentum quidem alterum ex duabus particulis uix coniunctis (πάλιν δέ ποτε λόγον ἀπαιτοῦντός τινος) constat, quarum priorem re uera arte cum altera cohaerere ex Liuio c. 55, 10—13 discimus. excerpendi igitur indicium manufestum est.

ximo die uictoria Zamensi in memoriam reuocata uniuersae contioni persuasisse, ut se in Capitolium prosequerentur tribunosque in foro relinquerent. tum uero Antiochinae pecuniae mentione, quae a Cornelio hoc loco facta est, ne eadem res saepius iteraretur, omissa P. Scipionem 'certo consilio ne ad causam dicendam adesset' in Liternum deduxit (c. 51, 4—14) atque, ubi dies dicta uenit, eam actionem interposuit (c. 52, 1—53, 8), qua Lucius Publii fratris morbum absentiamque longa oratione excusat, quam quidem id iudicium, quo Lucius in ius uocatus est, imitatus ita finxit, ut Tib. Gracchi (qui tribus annis post ad tribunatum peruenit) pro Publio intercessione tribunos motos in contione siluisse, in senatu autem Graccho etiam gratias ingentes actas, Petillios probris uexatos esse narraret: sic praefatus ad laudationem Publii modo mortui nec ullius culpae damnati transiit.

Alterum igitur iudicium Antias in duas partes diuisit, quarum in priore (ap. Liu. c. 54, 1—55, 8) primum et Cato (ut apud Cornelium) suasor rogationis Scipionibus infestae exsistit et Antiochina pecunia commemoratur sed etiam nunc simul cum nobilitate et regno fratrum in senatu accusatis, ita ut narratio inter Publium et Lucium defendendos fluctuet, redeat tamen eo, ut hic legatique eius peculatus, non multae, ut Polybius et Cornelius uolunt, rei apud praetorem fiant. itaque in altera parte Valerii (tertiae ap. Liu. c. 58, 1—59, 11) Lucius cum pecuniam se soluere posse negaret et in uincula duci esset coeptus, P. Cornelius Nasica, qui pro Africano apud Nepotem fratri auxilium ferente (Gell. 6, 19, 5) substituendus erat, tribunis appellatis longa oratione eius patrocinium suscepit, sed nihil effecisset, nisi Tib. Gracchus decreto suo et oratione ne ille in carcerem duceretur, intercessisset. pecunia iudicata cum Lucius egeret, ab cognatis amicisque et clientibus collata est.

Omnia igitur Antiatem, ut Publii mortem quasi in fastigio poneret, miscuisse et confudisse uidimus, id quod iam Cornelius Nepos reprehenderat (ap. Gell. l. s.), idem uero, ne quid quod in materia iucundum et sibi aptum inuenisset, relinqueret, alienis locis usus est aut quae minus idonea essent, omnino spreuit. uelut decretum Gracchi, quod ille l. s. inseruit, etiam bis commemorauit, semel in prima actione de Publio, ne Gracchi magnitudinem laudandi occasione, quae nisi Publio uiuo nulla erat, se priuaret, iterum in altera de Lucio, ad quem illud decretum uere pertinebat; nam etsi fictum est, rhetorica tamen expositio Antiatis (c. 60, 4—6) accurate cum Corneliano concinit, ut sola arte sua uel quam putaret inductus id discerpsisse uideatur.

at uero C. Minucium Augurinum tribunum plebis in causa Lucii primas agentem, quod a. 184. 570 id munus obtinuit, omnino ex ea expulit, ut etiam alias res, quas consilio suo aduersari existumaret. molestissimam autem necessitatem remoto post primam actionem de scaena Romana P. Africano sibi imposuit, non solum propter res uel aliis locis disponendas uel ipsas mutandas, de quibus iam egimus: abicienda ei erat etiam superbia, qua, cum pecuniae illius nondum mentionem fecisset, in altera actione ille libellum rationis de pecunia illa Antiochi, qui ut recitaretur tribuni postulauerant, aperte discidit, narrata a Polybio Cornelioque, impotentiaque, qua cum frater Lucius pecuniae illius damnatus in uincula duceretur, subito ex Etruria reuersus tribunis plebis uim fecit (Liu. c. 56, 8 sqq.). Multa igitur uerba de rebus ab Africano feliciter gestis alios facientes introduxit, quibus eius admirationem moueret, ipse rerum ordine mutato eius miserationem auxit, minuit speciem uiri illius, capitis columinisque imperii Romani summaque animi fiducia impleti, obscurauitque Lucii fratris persona cum illa mixta, cuius ut innocentiam paupertatemque inlustraret, praedibus omissis peculatuque pro multa interposito (Mommsen p. 422—455. 471) et parum diligenter distinctis inter contionem uel concilium senatumque actionibus alteram causam etiam magis turbauit.

Nunc uero facile quis dicat haec mendacia iam ab auctore Antiatis inuenta esse. at iam supra (p. CCXCVIII sq.) Nissenum secutus Liuii lectionem in his libris componendis intra Polybium, Claudium, Valerium se continuisse disputaui, ita ut per se in appendice omnia, quae non ex Polybio sumpta sint, ad Claudium redire ueri simile sit. sed ut omittamus dubitationem Liuii motam ab Antiate de summis auri et argenti post bellum Antiochi in aerarium relatis (nam ea opinio, quam ad ueritatem propius accedere putat, errore non uacat, Mommsen p. 422 sqq.), fabulae, quam Antiati opposuit, haec lineamenta fuerunt: postquam M. Naeuius trib. pl. P. Scipioni diem dixit, hic librum rationis a Lucio allatum in senatu suis manibus concerpsit et aerarium, si quaestores non auderent, se aperturum esse minatus est, tum cum Lucius pecuniae captae ab Antiocho accusatus et damnatus esset, ex Etruria, quo legatus erat (quam ob causam nescimus), Romam properauit et tribunos pl. a fratris corpore ui reppulit; pro Lucio autem Ti. Gracchus oratione sua intercessit et id praemium magnanimitatis senatu petente accepit, ut Africanus filiam suam ei desponderet. uidit ergo hic damnationem fratris et Romae mortuus est ibique sepultus (cf. c. 55, 1 sqq.). haec uero

quamuis a Claudio arte exornata sint, rerum ordinem tamen non turbauerunt neque a ueritate Polybii decedunt. cum hac autem memoria quoniam Nepos concinit, etiam duo decreta, quibus Valerianam refutat cum ea conectenda sunt et ad eiusdem scriptoris artem referenda, qua Claudium insignem fuisse litterarum consulum ad regem Pyrrhum missarum exemplo (fr. 41) discimus. de hac quidem re Nissen p. 204. 219, Mommsen p. 426, Vnger l. s. s. aliique consentiunt.

Nobis autem per Liuianam artem Valeriana satis perlucet, primum eius malignitas, qua contra Claudios Fabiis patrocinatus Corneliae genti Fabiis infestae obtrectauit (uid. p. XLVII sqq.). neque enim ipse P. Africani min. mortui laudes persecutus est, sed cum eas omnino tacere non posset, oblique eius aduersarios eas perorantes et inminuentes fecit (Liu. 38, 51, 1—4) resque a ueritate saepe discedens ita conformauit, ut eius constantiam fiduciamque animi initio seruatam paulatim remoueret eumque tribunorum certamina auersatum causa sua desperata muliebriter in Liternum decessisse narraret fratremque Lucium aliis uiris defendendum reliquisse. aperte tamen ne uulgatae admirationi obuiam iret, misericordia eam deturbauit proposuitque exemplum subitae fortunae hominum uicissitudinis, argumentum rhetorum artificiis admodum opportunum, nam tota poetarum tragicorum ubertas eis patebat. itaque postquam Coelius traiectionem uerborum numerosamque sententiarum conclusionem ex rhetorum arte in historiam inuexit, Claudius antiquitatem orationis sibi redintegrasse uisus est, Valerius, praesertim ut hunc etiam arte superaret et obscuraret, spretis uerborum artificiis noua rerum conformatione eorum qui legerent non solum animos delectare sed etiam commouere et detinere conabatur. sic se ad eos Theophrasti discipulos uertit, qui apud Graecos de secta Isocratis defecerant et rebus ex uitae ipsius uarietate conquirendis et tragicorum exemplo accurate depingendis operam nauare malebant quam uerbis anxie perpoliendis.[1]) principes eorum fuerunt Duris et Phylarchus, quorum ille, quod ipsam uitam curiose imitatus erat, etiam uitiis (potandi et saltandi) descriptis, mulierum potissimum, cum ne Penelopae quidem pudicitiae parceret (fr. 42), et improuisis rebus homines minime opinantes occupauerat, ueritatem etiam numeris, quos addere solebat, inmodice amplificatis (fr. 40)

1) Cf. P. Scheller *De hellenistica historiae conscribendae arte* (diss. Lips. 1911).

audacter contempserat, sed singulari opere de Agathocle composito facultatem suam eius artis exprompserat; Phylarchus misericordiam pro admiratione et uenustate induxerat, cum ab Aristotelia tragoediae definitione profectus confusaque poesi et historia *εἰς ἔλεον ἐκκαλεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας καὶ συμπαθεῖς ποιεῖν τοῖς λεγομένοις* uellet (Polyb. 2, 55, 7): Valerius Antias utrumque coniungere consilium cepit. itaque et rerum memoriam tragice auxit, quem ad modum Duris de saeuitia Atheniensium Samo patria capta, cuius nec Thucydides nec Ephorus nec Aristoteles mentionem fecerat, '*ἐπετραγῴδησεν*' atque omnino in narrando a ueritate leuiter deflexerat (Plut. Per. 18. Dur. fr. 60), sed idem etiam materiam traditam sic conformauit, ut uim et effectum tragoediae (uid. *Wahrheit u. Kunst* p. 214 sq.) ex ueritatis carceribus in historiam libere inmitteret et rerum scientia spreta animos misericordia impleret.[1]) uerum tamen numquam ars nisi singularis ingenii quasi diuino instinctu concitati ipsum *πάθος* hominum imitatione sua consequitur, multo minus eruditio et doctrina materiam aliquam commentis et fictionibus auctam. ad hanc enim sententia eius, qui *περὶ ὕψους* scripsit, pertinet: *ἐνθουσιᾶν ἑαυτοῖς δοκοῦντες οὐ βακχεύουσιν ἀλλὰ παίζουσιν* (3, 2). luserunt igitur et Phylarchus et Antias, ille autem, si mortes Agidis et Cleomenis a Plutarcho secundum eius exemplum depictas comparauerimus, multo aptius quam hic, quem materiam tragice mutantem sincera admiratio summi illius uiri ardorque ingenii defecit. in sola opera speciosum illum diem triumphi, quo inuidiam aduersariorum deuicit, et secessum Literninum continuandi tragica uis non est absoluta et expleta, neque igitur Romanus politiore doctrinae elegantiaeque institutione carens exempla sua hellenistica aequauit. etiam aucta est eius difficultas materiae qualitate; nam in Phylarchum Polybius acerbe inuectus, quod discrimen historiae, cui ueritate ante oculos proposita homines docendi moresque emendandi essent, et tragoediae, cui animi quouis argumento percutiendi et delectandi essent, artium omnino diuersarum, oblitterauerit (2, 56, 10 sqq.), causam a nimio eius animi studio repetiit, quo regum Lacedaemoniorum tristem sortem miserabatur. contra Valerius res Romanas ab origine urbis usque ad suam aetatem persecutus neque tractum uel lenem uel tumidum orationis neque imperii constitutio-

1) Quoniam Phylarchus in tali luxuria descriptionis secum ipse pugnavit (*Wahrheit u. Kunst* p. 218 n.), non mirabimur quod etiam Liuius uel Valerius in eundem errorem incidit nec personarum mores et ingenia constanter tuitus est.

nem per complura saecula perfectam arte uicissitudinis (περιπετείας Pol. 1, 13, 10) comprehendere poterat. itaque materiam discerpsit et scaenas quasdam depinxit, quibus taedium similitudinis interrumperet artemque suam misericordiae excitandae ostentaret. neque tamen scite Scipionum causam elegit ubertate rerum et gloria uiri allectus sed sui animi studio et affectione destitutus, etiam occupatus iniqua διαθέσει et ἤθει.

Hanc tamen ipsam ob artem Antias sua aetate multos esse nanctus uidetur, qui eum legerent et admirarentur. nec id mirum. delectabantur enim tum Romani talibus fabulis et narrationibus, quae animos uariis motibus perfunderent sensusque quasi titillarent, et qui Sisennae Milesias lectitarent, etiam hosce annales cupidissime arripuisse probabile est. Cicero tamen nusquam Antiatis mentionem iniecit[1]), primus, quod sciamus, eum commemorauit Varro, si quidem aliquot locis (Ascon. fr. 17; Censor. fr. 18; de praenom. fr. 10) ita cum Antiate coniunctus profertur, ut eius auctoritas ex Varrone translata esse uideatur.[2]) Tum uero a Dionysio una cum Catone, Fabio Maximo, Licinio Macro, Aeliis, Gelliis, Calpurniis inter eos rerum Romanarum scriptores, qui ab ipsis Romanis laudati essent, enumeratus est (1, 7, 3; uid. infra p. CCCXXVI sqq.) eaque aetate tantam auctoritatem uidetur consecutus esse, ut Liuius, cum eius mendacia perspexisset, ut ciues ueriore et simpliciore rerum a maioribus gestarum cognitione instrueret, huius potissimum commenta ueritati obstare arbitratus saepissime impugnaret erroris que conuinceret aut eius testimonia cum dubitatione proferret.[3]) neque enim Liuius sola aemulatione et inuidia ductus tam grauiter in eum inuectus est, quae multorum fuit opinio (ut Krausii, Liebaldtii, Kiesslingii De D. f. p. 20), etiam ueritatis studio animi eius sinceritas et simplicitas in Antiatis mendacia exacerbata erat (Nissen *Untersuch.* p. 45 sq.), ad quam quidem ueritatem, qualem nunc animo informamus et omni genere doctrinae inquisitionum consequi studemus, quod ne Liuius quidem penetrauit, hoc ipsius aetati tribuendum est, illud non dubi-

1) Infelici coniectura H. Iordan Herm. VI p. 209 apud Ciceronem de legg. 1, 2, 6 sic scripsit: *Ecce autem huic successere Valerius, Claudius, Asellio.*

2) Atticus de Hannibalis morte cum Antiate consentiens forsitan Polybium potius quam Antiatem adhibuerit. adn. ad fr. 49.

3) Raro occasionem Liuius praetermisit, quin aliquot saltem uerbis mentiendi impudenter crimen in Antiatem coniceret. cf. fr. 9. 19. 29. 32. 44. 47. 51. uid. supra p. CCCVII sqq.

tandum, quin se multum in historia Romana progressum esse iure quodam sibi conscius esse et confidere potuerit (praef. 1—3). quae tamen apud Antiatem uitia inuenerat, orta erant ex ea arte, quae Alexandriae exculta et Romam ab eo translata, cum ciuibus maxime placuisset, eorum animos a nobilitate ac magnitudine 'principis terrarum populi' auertere eosque inficere et occupare uideretur. fauebat enim ille uulgari lectioni etiam genere suo scribendi, quoniam ueterum historicorum ratione spreta in hac quoque re Duridis Phylarchique imitationi se addixerat, ut in uerbis ipsis exornandis operam suam consumere nollet; immo id contenderat, ut multitudinis potius uoluntati, quam paucitatis ciuium quorundam doctorum et elegantium auribus placeret, deseruerat igitur forensi oratorum experientia monitus artem dicendi in historia a Coelio primum Romae tractatam. nam recte Cicero in Bruto suo (21, 82 sqq.) eos, qui ex ipsa meditatione eius diei domestica in forum uocati descendissent, nihil ut commentati esse uiderentur, cum suo impetu eos qui audirent, corriperent, causae suae grauius adesse, quam qui stili praestantiae admirationem paucorum quorundam exspectarent et de causa animos aliorum auerterent. itaque Ser. Sulpicium Galbam (cos. 144. 610), cuius scriptae orationes admodum exiles essent et magis antiquitatem redolerent quam ipsius Catonis, misericordia populi commota se ex flamma periculi damnationis eripuisse. nam ut ait Cicero (l. s.), *is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractauit, ut egrederetur a proposita ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoueret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur.* hercle audire nobis uidemur de Valerii Antiatis historia dicentem. nam Graecis exemplis ductus in ea a nobilitatis Romanae doctrina et maiestate desciuit et plurium inertiam aucupatus res a se collectas, formatas, fictas uulgari sermone induit animosque earum nouitate, effectu, uarietate allexit, permouit, delectauit. sic spero quaestionem p. CCCVII positam soluimus et mirari desinemus, quod Liuius hunc potissimum ut Polybius Phylarchum, Fabium Philinumque reprehendit, aliis pepercit, praesertim eis, qui ante artem illam aduenticiam annales suos scripserant, Cassio Heminae (fr. 37), Pisoni (fr. 11; cf. adnot.), qui eodem 'mendacio' quo Antias libros inuentos Pythagoricos fuisse tradiderant, atque etiam Coelio rhetori et Quadrigario, qui numeros etiam magis quam ille auxerant (uid. s. p. CCXCVI). qua de causa cum ne Liuius quidem a consuetudine ex alienis libris materiam mutuandi discederet et per plures partes

operis sui Antiatem in scribendo adhiberet[1]), crimen obsequii ita auertit, ut quauis occasione usus eius auctoritatem refutaret et minueret, sic eum etiam saepius (tricies et quinquies) quam quemquam auctorem citaret. accedebat quod in antiquitatis Romanae memoria rerum, quas enarraret, inopia premebatur, ita ut, quoniam in uniuersum uetustiores auctores sequebatur, haud raro inuito animo ex fontibus recentioribus minusque limpidis haurire cogeretur lacunasque, quas apud auctores suos primarios inuenerat, inde explere (Nissen l. s.). urbis uero originem regumque res, si nos audis, iam Fabius aliique illius aetatis scriptores pluribus enarrauerant neque opus erat Liuio in primo libro conscribendo recentiores auctores quaerere. etiam in secundo antiquiores auctores praetulisse uidetur, quo factum est, ut multa, quae prolixe Dionysius et Plutarchus, Liuius paucis uerbis commemoraret, maximeque quas res Antias Valeriorum laudibus aut auctis aut fictis commutauit (uid. infra p. CCCXXVI sqq.), ieiunius magisque ad uerum exponeret[2]) et saepe Valeriorum etiam nomen supprimeret. tum uero in tertio libro cap. 5 (fr. 19) primum eum nomine laudauit multumque in ceteris primae decadis libris uidetur adhibuisse, in primis in libro tertio, ubi hic auctor solus citatus est plurimaque in priore potissimum parte usus Valeriani uestigia nobis occurrunt (Schwegler II p. 717).[3]) quid? quod ita eius auctoritatem in hac historiarum suarum parte

1) Consilium meum etiam hic non fuit diligentius singulos libros historiarum Liuii persequi, ut distinguerem, quae partes ex Antiate repetendae essent; nam operis mei statum turbassem. illud moneo plerumque me cum Soltauio consentire, qui quae superioribus annis accuratius disseruerat, a. 1897 libro suo, quem *Livius* inscripsit, comprehendit.

2) Schwegler II p. 125 not. uestigium quoddam narrationis Valerianae iam in secundo libro indagauit, ubi breuiter (c. 18, 6) is reicitur, qui pro T. Larcio M.' Valerium, Marci filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuisset, primum dictatorem fuisse prodiderit. quocum auctore consentiunt Festus p. 198 et elogium p. 189 Momms.² (cf. Mommsen a. h. l.). a Schwegleri sententia exorsus Nitzsch *Annal.* p. 55 sq. 81 sqq. 86 sqq. libri secundi cap. 22—29 et c. 51—3, 4 ex ipso Valerio, c. 29 —32 (p. 63) per Licinium Macrum ex eo fluxisse censuit. uid. Muenzer p. 23 sqq. et adn. seq.

3) Hoc iam perspexit Niebuhr in praelect. I p. 32. De libris II et III. de quibus pluribus egit K. W. Nitzsch *Annal.* p. 11—188, ei non assentior, quod quas saepe habemus apud Liuium Dionysiumque narrationes ex duobus auctoribus contaminatas, eas a Licinio Macro secundum Valerium Antiatem, primarium auctorem, et alium auctorem nobis ignotum compositas esse et in illis solo Licinio Liuium Dionysiumque usos esse uideri statuit. uid. infra.

amplexus est, ut etiam Dionysium haud raro superaret numerorum magnitudine narrationisque prolixitate, neque tamen eum semper nominauit sed postquam paucis capitibus ante (c. 5, 2. fr. 19) eius licentiam in numeris concipiendis castigauit, c. 8, 10 eius indolem significasse satis habuit: *Ibi* [a Lucretio consule a. 462. 292] *Volscum nomen prope deletum est. tredecim milia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille ac septingentos quinquaginta uiuos captos, signa*[1]) *uiginti septem militaria relata in quibusdam annalibus inuenio. ubi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certe clades fuit.* etiam ingentes et accurati numeri capitum, quae Romae iam antiquis temporibus censa sint, cum omnem fidem excedant, Antiatem sapiunt: c. 3, 9: *Census deinde* [a. 465. 289] *actus et conditum ab Quinctio lustrum. censa ciuium capita centum quattuor milia ac centum quattuordecim dicuntur praeter orbos orbasque.* c. 24, 10: *Census, res priore anno inchoata, perficitur* [459. 295], *idque lustrum ab origine urbis decimum conditum ferunt. censa ciuium capita centum septemdecim milia trecenta undeuiginti.* (cf. Schwegler II p. 680 sq.).

Iterum laudatur Antias in libro quarto (fr. 20), postea uero in prima decade nusquam. neque tamen Antiatem Liuius totum seposuisse uidetur. nam quae M. Valerium Maximum dictatorem a. 302. 452 magnifice in Etruria gerentem facit 10, 3—5[2]), cum fine narrationis suae subderet: *Habeo auctores sine ullo memorabili proelio pacatam ab dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Arretinorum compositis et Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto,* ipse haec originem ducere ex auctore aliquo, qui Valeriae genti faueret, satis aperte adnotauit.[3]) primarium tamen ducem, cum librum quintum scriberet, Liuius elegit Claudium Quadrigarium, quam ob rem, quoniam haud minus immodicus ille fuit in numeris augendis quam Antias, dubium est, ad utrum Liuii uerba (10, 30, 4) sint referenda: *Magna eius diei, quo in Sentinati agro bellatum, fama est etiam uero stanti, sed superiecere quidam augendo fidem, qui in hostium exercitu peditum deciens centena milia*[4]), *equitum sex et quadraginta milia, mille carpentorum scripsere fuisse, sci-*

1) Etiam aliis locis Valerius signorum militarium potissimum numerum addere solet.

2) Vid. G. Klinger *De decimi Liuii libri fontibus* (diss. Lips. 1884).

3) Cf. Ihne hist. Rom. I p. 387 sq.

4) De codd. scriptura uid. Weissenborn-Mueller in ed. Weidm. a. h. l. p. 230.

licet cum Vmbris Tuscisque, quos et ipsos pugnae adfuisse.[1]) nec minus inter utrumque ambigendum est de aliis numeris, uelut lib. 7, 36, 13, ubi P. Decius (a. 343. 411) postquam Samnites fugauit, castris expugnatis triginta hostium milia cecidit, c. 37, 16, ubi M. Valerius consul eodem anno ad Suessulam quadraginta milia scutorum et signa militaria ad centum septuaginta cepit[2]), 9, 19, 2, ubi Alexandri Magni copias Romanis comparans quasi per transitum a. fere 319. 435 ducena quinquagena milia capitum censa esse scripsit, 10, 47, 2 ubi lustra, postquam a libro tertio in narrationis ordine praetermisit, denuo commemorauit: *Lustrum conditum eo anno* [293. 461] *est a P. Cornelio Aruina C. Marcio Rutilo censoribus. censa capitum milia ducenta sexaginta duo trecenta uiginti unum. censores uicesimi sexti a primis censoribus, lustrum undeuicesimum fuit.*

In tertia decade Liuius Antiatem saepius citauit, septem locis librorum XXV (fr. 23), XXVI (24), XXVIII (26), XXIX (27), XXX (28. 29. 30): haec causa fuit Nitzschio (*Annal.* p. 13—21), ut in altera eius decadis parte Coelium propter colorem nimis poeticum a Liuio remotum Antiati cessisse existimaret. quin etiam hanc suspicionem idem proposuit, quae ex Polybio apud Liuium originem ducere uiderentur, de rebus in Africa potissimum gestis, non ex ipso Polybio petita esse sed per Valerium Antiatem in Liuii libros transiisse. at uir ille doctissimus eorum sententia animo occupatus, qui in his libris Polybium Liuio in fontibus fuisse negant, cum quaedam ita apud Liuium comparata esse intellegeret, ut non possent non fluxisse ex Polybio, recto itinere spreto ad has ambages confugit. ipse in ea sententia perseuero, ut, in quibus rebus Polybius et Liuius consentiant, eas a Liuio ex ipso Polybio uersa esse dicam et ut in quarta decade Claudium Quadrigarium et Valerium, ita in hac Coelium et Valerium ad supplendum primarium auctorem, i. e. Polybium, in subsidium uocatos esse (uid. supra p. CCXXXI). itaque quamquam ex Valerio esse sumpti uidentur qui numeri ingentes hominum caesorum et captorum, signorum et equorum captorum exhibentur a Liuio 30, 6, 8 et c. 36, 8[3]), tamen eius ipsius rei, quam

1) In ipsa tamen narratione hunc auctorem non est secutus, nam cap. 27, 11 eos expertes fuisse pugnae scripserat.

2) Nomen Valerii et res supra modum auctae ad Antiatem trahunt, cf. Muenzer p. 29 sqq.

3) Numeri Romanorum Poenorumque ad Zamam caesorum a Liuio (30, 35, 3) allati Polybii (15, 15, 9) sunt, qua de re Nitzsch *Annal.* p. 18

ex horum annorum spatio a Valerio narratam esse aliunde cognitum habemus (fr. 25), Liuius non modo mentionem non fecit sed etiam prorsus contraria (26, 50) exposuit, idque posteaquam eum cap. 49 nominatim bis citauit. unde Valerium Liuio in hac quidem parte ducem primarium perpetuumque non fuisse apparet.

De ceteris libris res paucis transigi potest, quoniam iam supra in uniuersum nos cum Nissenio facere professi eas partes commemorauimus, quas aut ex Claudio aut ex Valerio sumptas Liuius Polybio inseruisset (uid. p. CCXCIII sq). nec tamen solis eis libris qui aetatem tulerunt, Valerii usus continebatur. etenim in libro XLIX cum de ludis saecularibus ageret, Valerii auctoritatem eum secutum esse adnotauimus ad fr. 22, tum in libris LVI et LXVI eam etiam citatam esse discimus ex Orosio (fr. 56. 63), qui sua debet Liuio. itaque per sex decades (I. III. IV. V. VI. VII.) apud Liuium Valerii indicia habemus, id quod de nullo alio Liuii auctore dici potest.

Pergimus ad Dionysium Halicarnasensem, Liuii aequalem, qui Valerium Antiatem in notissimorum historicorum Romanorum numero recensuit (1, 7, 3) unoque loco libri alterius nominatim laudauit (fr. 2), multis tacite exscripsisse uidetur. plurima enim apud eum Antiatis uestigia sagaciter inuestigauit et indicauit Kiessling (De Dion. font. p. 20—29). atque primum quidem quae de miraculo, quo futura Seruii Tulli dignitas portenta est, secundum Antiatem Plutarchus narrauit, eadem redeunt apud Dionysium (in lib. IV. fr. 12 c. adn.), et quae de Valerii Maximi honoribus Asconius, apud eundem in libro V (fr. 17 c. adn.). tum in libro primo Dionysius eam de Celere famam profert, quam Valerii fuisse ipse postea addidit (fr. 2 c. adn.). Plutarchi autem uitam Poplicolae cum totam a Valerio pendere uideri infra ostendemus, tum ex eis duabus narrationibus, quae de Numae cum dis commercio insertae sunt, priorem ex eo desumptam esse fragmento quodam (fr. 6), quod seruauit Arnobius, comparato uidemus. nemo igitur dubitabit, quin utraque ad auctoritatem Antiatis referenda sit, et cum prior eodem modo apud Dionysium exposita exstaret, etiam hanc ab eo ex illo depromptam esse Kiessling p. 21 suspicatus est. sed utriusque uerba hic

errauit. idem praeterea p. 17 hos locos adnotauit, qui, cum caesorum numeris quot signa militaria capta essent, additum esset, ad Valerii auctoritatem redirent: 23, 35, 19; 37, 11; 40, 11. 26, 6, 8. 27, 12, 17; 42, 7. numeri tamen ipsi satis modici sunt nec ad numeros supra allatos accedunt.

apponam — quam infra in fragmenta recipere consilio huius operis prohibemur —, ut quam similia sint clare appareat:

Plutarchus (c. 15):

λέγεται γοῦν ποτε καλέσας ἐπὶ τὴν τράπεζαν οὐκ ὀλίγους τῶν πολιτῶν σκεύη τε φαῦλα καὶ δεῖπνον εὐτελὲς πάνυ προθέσθαι καὶ δημοτικόν. ἀρξαμένων δὲ δειπνεῖν ἐμβαλὼν λόγον, ὡς ἡ θεός, ᾗ σύνεστιν, ἥκοι πρὸς αὐτόν, αἰφνίδιον ἐπιδεῖξαι τόν τε οἶκον ἐκπωμάτων πλήρη πολυτελῶν καὶ τὰς τραπέζας ὄψων τε παντοδαπῶν καὶ παρασκευῆς δαψιλοῦς γεμούσας.

Dionysius (2, 60):

καλέσαντα Ῥωμαίων πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὴν οἰκίαν, ἐν ᾗ διαιτώμενος ἐτύγχανεν, ἔπειτα δείξαντα τοῖς ἐλθοῦσι τὰ ἔνδον τῇ τε ἄλλῃ κατασκευῇ φαύλως κεχορηγημένα καὶ δὴ καὶ τῶν εἰς ἑστίασιν ὀχλικὴν ἐπιτηδείων ἄπορα, τότε μὲν ἀπαλλάττεσθαι κελεύειν, εἰς ἑσπέραν δὲ καλεῖν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ δεῖπνον· παραγενομένοις δὲ κατὰ τὴν ἀποδειχθεῖσαν ὥραν ἐπιδεῖξαι στρωμνάς τε πολυτελεῖς καὶ τραπέζας ἐκπωμάτων γεμούσας πολλῶν καὶ καλῶν, ἑστίασίν τε αὐτοῖς παραθεῖναι κατακλιθεῖσιν ἁπάσης ἐδωδῆς, ἣν οὐδ' ἂν ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνου παρασκευάσασθαι—ῥᾴδιον ἦν.

Maxime uero quae Valerii cum Sabinis gesserunt bella, quam quasi prouinciam illa gens sibi depoposcisse uidetur ut Fabia Veiens aut Furia Gallicum, copiose et prolixe cum effusa Valeriorum laude Dionysius pertexuit (5, 37—39 a. 505. 249. 5, 40—42 a. 504. 250. 5, 44—49 a. 503. 251. 6, 31 a. 495. 259; 42—43 a. 494. 260. 9, 34—35 a. 475. 279), cum Liuius ea aut perpaucis uerbis aut omnino non commemoraret (2, 16, 1; 6; 31, 1—3), in priore alterius libri parte antiquiores auctores secutus. qua de causa haud iniuria illarum rerum enarrationem Dionysianam ad Antiatis auctoritatem iam Schwegler II p. 733 sq. rettulit. accedit quod quem immodicum Sabinorum in altero bello occisorum numerum (13, 500: 5, 42, 4) Dionysius indicauit, eundem etiam apud Plutarchum in uita Poplicolae (c. 20) habes, quamquam hic per errorem primo bello tot hostes caesos esse scripsit. etiam iuuenum, qui Romae censi sint, ingentes numeri apud Dionysium inueniuntur 5, 20 (a. 246. 508 *εὑρέθη τῶν ἐν ἥβῃ Ῥωμαίων περὶ τρισκαίδεκα μυριάδας*, quocum numero consentit Plutarch. 12), c. 75, 4 (a. 256. 498: 150,700), 6, 96, 4 (a. 261. 493: 111,000, qui numerus multo minor confirmatur 9, 25, 2), 9, 36 (a. 280. 474: 133,000. cf. Schwegler II p. 689 sq.), aliique numeri Romanorum hostiumque, qui inter se conflixerint

(2, 37, 5. 6, 5, 5) et qui occisi captique sint (5, 49, 1: 10,400. 6, 12, 6: 33,000 occisi; 17, 2: 5,400 capti) maiores, quam quibus fides haberi possit (Kiessling p. 23). denique, ut alia quae argumentis minus certis Kiessling stabiliuit, praeteream, Dionysium maxime Antiatis laudibus Valeriorum occaecatum historiam suam corrupisse supra uidimus.

Sed exoritur quaestio, num ipsum Antiatem Dionysius ante oculos habuerit. nam etsi quibusdam locis Antiatem in eius libris agnoscere nobis uidemur, tamen in talibus quoque narrationibus nobis occurrunt, quae cum Valerio minus concinant; maxime Poplicolae res multo magis ab Antiate auctas et exornatas esse ex Plutarcho discimus quam a Dionysio factum est, qua de causa Nitzsch (*Annal.* p. 42 sqq. 48. 70 sqq. passim) in libris V—IX inferiorem aliquem auctorem (Licinium dicit), qui Antiatem cum alio contaminasset, a Dionysio in usum uocatum uel descriptum esse contendit. at, quia deest nobis certum adminiculum, quo nisi qua ratione fontibus suis usus sit statuamus, admodum difficile est certum de eo iudicium proferre. uerum tamen cum nusquam apud Dionysium recentioris alicuius auctoris, a quo Antiatem exscriptum esse probabile sit, uestigia exstent, si quisquam duorum auctorum narrationes inter se confudit et copulauit, nonne ueri est similius, illum, quem ut arti suae satisfaceret, libere materiae suae uerba et res exornasse constaret, eundem hac diligentia et hoc iudicio usum id fecisse, quam alium scriptorem Romanum, qui ante eum fuerit? quam ob rem magis inclino ad Kiesslingii sententiam, qua ipsum Valerium a Dionysio in usum uocatum esse censet, quam ad Nitzschium, praesertim qui post nonum libr. secundum ipsum Antiatem tenorem narrationis a Dionysio expositum esse concesserit.[1]

Praeterea ex Liuii Dionysiique aequalibus Antiate usus est, cum fastos componeret, Ouidius, uid. adnot. ad fr. 6 et append. ed. meae ad 3, 285 p. 45[3] et Merkel prolegg. ad fast. p. LXXXIV, qui tamen quod quae Ouidius 4, 255—348 et Arnobius 7, 46 inter se consentientes de magna matre e Phrygia arcessita tradunt, cum ab utroque Antiatem lectitatum esse constaret, haec ex eo fluxisse coniecit, certa causa deest.

Insequenti aetate Valerius Maximus solus de Pyrrhi prodi-

1) *Annal.* p. 94 sqq. 105 sqq. 146 sqq. — Ed. Schwartz *R. E.* V c. 943. 949 et historiae nomine quod suo arbitrio iudicioque Dionysius usus auctores suos elegerit et ad artem suam redegerit conqueritur et de nominando auctore cuiusque narrationis desperandum esse statuit.

tione cum Valerio Antiate congruit (fr. 21 c. adn.), ut gentilem ab eo compilatum esse existimes. idem uero, cum Antiatem transscribere posset, Liuium anteposuit, uid. adn. ad fr. 23. 45 d. n. x, atque hoc tantum gentilitati tribuit, ut 2, 9, 3 de Lucii Flaminini flagitio, de quo duplicem famam Liuius protulerat, Antiatem praeferret (fr. 48 c. adn.). itaque etiam eo, quem primum posuimus, loco Liuii libros non Antiatis inspectos esse probabilius est, Liuium autem in textu suo utramque famam commemorasse, de quibus periocha (libri XIII) Claudianam, Valerius Maximus Valerianam excerpsit (uid. adn. ad Claud. fr. 40. Val. fr. 21. Mommsen *R. F.* II p. 499 sqq.).

Tum Asconius Pedianus duobus locis (fr. 17. 37) Antiatem citauit, Plinius maior in naturali historia quinque (fr. 8. 11. 15. 64. adn. ad fr. 23). praeterea indicibus testibus in hisce libris eius uerba latent: XII. XXI uel XXII (unum enim indicem habent), XXVIII, XXIX, XXXIV. num tamen Antiatem omnibus locis in manibus habuerit, dubium est (Muenzer *Quellenkr.* p. 177 sqq.); aliquot certe eius testimonia Varroni debuit, quo etiam societas auctorum in indicibus ducit (M. Varronis, L. Pisonis, Antiatis, Flacci Verrii libr. 28. 29. 34), cui seriei nunc addidi etiam 3, 108 (fr. 66), quamquam et in indice et in textu nomen in *Valerianus* corruptum est, ut antea Gellii in *Gellianus* (fr. 6), neque praeterea a Plinio ille Valerius (aut 'Valerius Antias', ut Muenzer coll. fr. 13 l. s. p. 376 sq. proposuit) nominatus est sed semper Antias. nam separandus hic est a Cornelio Valeriano, quem Plinius semper his duobus nominibus appellauit (uid. de eo Muenzer l. s. p. 370—384) et in indicibus plerumque inter alios auctores enumerauit, nusquam una cum Antiate. quae quidem corruptela orta est ex diuersitate auctorum, quos Plinius excerpsit, ex quorum alterutro haec duo nomina Gellii et Valerii similiter deprauata libro et indice iam confecto adspersit.[1] sed etiam addam hunc Plinii (n. h. 34, 25) locum, quem ex Antiate sump-

1) Mire accidit quod quae Plinius 34, 29 ex Annio Fetiale rettulit (*Annius Fetialis equestrem, quae fuerit contra Iouis Statoris aedem in uestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse, Publicolae consulis filiae, eamque solam refugisse Tiberimque transnatauisse ceteris obsidibus, qui Porsinae mittebantur, interemptis Tarquinii insidiis*), cum eis concinunt, quae Plutarchus Cloeliae laude imminuta tradidit (Popl. 19. de uirt. mul. 14): ratio igitur quaedam inter Antiatem et Annium et hic intercedit et loco illo Plinii, quo Annii auctoritatem Piso antecedit et subsequitur, qui in indicibus et antea in eodem libro (par. 14) etiam cum Antiate coniunctus est. forsitan illa ex usu Pisonis, Fetialis, Antiatis Varroniano repetenda sit; uid. Muenzer *Quellenkr.* p. 167 sqq.

tum esse etiam alia indicia significant (Muenzer De g. Val. p. 10. *Quellenkr.* p. 235): *Inuenitur statua decreta et Taraciae Gaiae siue Fufetiae uirgini Vestali, 'ut poneretur ubi uellet', quod adiectum non minus honoris habet quam feminae esse decretum. meritum eius ipsius ponam annalium uerbis 'quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo'.*

Nunc peruenimus ad Plutarchum, cuius iam saepe propter Valeriae gentis admirationem mentionem fecimus. nam cum eius interesset Poplicolam quam maxime ad uirtutem Solonis, quocum eum comparauit, extollere et inlustrare, nemo ei uberiorem et commodiorem materiam praebere potuit quam Antias, qui ei ex Varrone, Liuio, Dionysio satis notus erat. itaque eum in libris Romuli (fr. 3), Numae (fr. 7), Flaminini (fr. 48 adn.) et in libro de fort. Rom. (fr. 12) citauit.[1]) sed etiam totam uitam principis gentis Valeriae secundum illius auctoritatem pertexuit, id quod post Kiesslingium p. 21 sq. pluribus exposuimus nouisque argumentis stabiliuimus *De font. Plut.* p. 45—51.[2]) primum enim haec Plinii uerba ad Antiatem redire Kiessling indicis ope conclusit 28, 16: *Iterum id accidisse tradunt, cum in fastigium eiusdem delubri praeparatae quadrigae fictiles in fornace creuissent, iterum simili modo retentum augurium,* eademque narrasse Plutarchum monuit (c. 13): *Τῶν δὲ Τυρρηνῶν διαπεπλασμένον τὸ τέθριππον ἐμβαλόντων εἰς κάμινον οὐκ ἔπαθεν, ἃ προσῆκε πάσχειν πηλὸν ἐν πυρί, πυκνοῦσθαι καὶ συνιζάνειν, ἐκτηκομένης τῆς ὑγρότητος· ἀλλ' ἐξέστη καὶ ᾤδησε καὶ μέγεθος ἔσχεν ἅμα ῥώμῃ καὶ σκληρότητι τοσοῦτον κτλ.* tum ex more illo quo Gellius eundem auctorem per complura capita compilare solebat (Mercklin *Citiermeth.* p. 664 sqq.), etiam ea, quae Antiatis fr. 1 in eodem capite antecedunt, ex eodem hausta esse ueri simile est, atque cum eadem fabula etiam a Plutarcho exposita sit, et quae de Gellii et quae de Plutarchi fonte arbitrati sumus denuo confirmantur. loci hice sunt:

Gell. 7, 7	Plut. 8
Accae Larentiae et Gaiae Taraciae siue illa Fufetia est, nomina in anti-	*Ἔνιοι δὲ τοῦτο συμπεσεῖν ἱστοροῦσιν οὐχ ὅτε*

1) In uita Flamin. Plutarchus nomen Antiatis ex Liuio sumpsit neque alios locos, ut uidetur, ex ipso. ultra prima liberae rei p. tempora Plutarchi lectio Antiatis non progressa est.

2) Consentiunt nobiscum, ut tres potissimum nominemus, Gutschmid *Kl. Schr.* V p. 530; Muenzer De g. Val. p. 9 sqq.; O. Bocksch *De font. libri V et VI antiq. Dion.* (diss. Lips. in stud. Lips. XVII p. 165—274).

quis annalibus celebria sunt. earum alterae post mortem, Taraciae autem uiuae amplissimi honores a populo Romano habiti. et Taraciam quidem uirginem Vestae fuisse lex Horatia testis est, quae super ea ad populum lata. qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos ius quoque testimonii dicendi tribuitur, 'testabilis'que una omnium feminarum ut sit datur. — ius ei potestasque exaugurandi atque nubendi facta est munificentiae et beneficii gratia, quod campum Tiberinum siue Martium populo condonasset.

Ταρκυνίου καθιερώθη τὸ πεδίον, ἀλλὰ χρόνοις ὕστερον ἄλλο χωρίον ὁμοροῦν ἐκείνῳ Ταρρακίας ἀνείσης. ἡ δὲ Ταρρακία παρθένος ἦν ἱέρεια μία τῶν ἑστιάδων. ἔσχε δὲ τιμὰς ἀντὶ τούτου μεγάλας, ἐν αἷς ἦν καὶ τὸ μαρτυρίαν αὐτῆς δέχεσθαι μόνης γυναικῶν. τὸ δ' ἐξεῖναι γαμεῖσθαι ψηφισαμένων οὐ προσεδέξατο.

Multo autem plura indicia Antiatis supra (p. CCCXXVI sq.) enumerauimus atque etiam aliis locis fictio absurda eius ingenium sapit, uelut ad Arsiam siluam 11,300 hostes, 11,299 Romanos (c. 9), in pugna quadam, qua Poplicola Sabinos fudit, 13,000 Sabinorum occisos esse, cum nemo Romanus desideraretur (c. 20). itaque haec uita perpaucis rebus exceptis tota secundum Antiatem enarrata est eiusque pretium sibi uindicare potest.[1])

A. Gellius Antiatis testimonia partim ex ipso partim ex aliis scriptoribus inseruisse uidetur. uel leuiter enim contemplanti eorum discrimen apparet, cum alia propter res memorabiles librorum numeris omissis (fr. 1. 21. 25. adn. ad fr. 45[s]), alia propter formam aliquam accurate cum librorum numeris (praeter fr. 65) descripta sint (fr. 57. 59. 60. 62). haec tamen diligentia non fuit Gellii, sed Valerii Probi, ex cuius libris[2]) quoniam unum exemplum (fr. 57)

1) Appianum supra omisi, neque enim Hesselbarth *(Histor.-krit. Untersuch.)* mihi persuasit historiam belli Hannibalis ab eo secundum Valerium Antiatem scriptam esse. uid. Schwartz *R. E.* II c. 218 sq.

2) Ex quo libro Probi hausta essent, Gellius non adscripsit. uix tamen Berytius Antiatis commentarium composuit. nam etsi post alios grammaticos, quorum nomina corrupta sunt, 'postremo Probum' adnotationes 'Ennii, Lucilii et historicorum' scripsisse anonymus ille 'de notis' (Gr. L. VII p. 534) tradidit, uestigia historicorum adnotatorum non supersunt nisi unius Sallustii (Gell. 1, 15, 18. 3, 1, 5). sed constat in alio aliquo scriptore adnotando ad singulares dictiones explicandas Probum etiam ueteres historicos adhibuisse, qua de causa in una Gellii disputatione Antias (fr. 58) cum duobus locis Claudii (fr. 43. 79) item accurate exscriptis coniunctus est. uid. Schanz II 2³ p. 439.

se sumpsisse ipse profitetur Gellius, etiam reliqua ad eum referre non dubitamus, praesertim cum duo (60. 62) in eadem exemplorum collectione (formarum *peposci, memordi,* similium) effuderit in qua unum illud (57) a Probo adnotatum esse ipse testatur, tertium (fr. 59) amicum aliquem, 'hominem lectione multa exercitum', proferentem fingit. cetera autem exempla, quae librorum numeris carent, quamquam certa causa non exstat cur ab alio auctore Gellio tradita esse dicamus, tamen haud temere Mercklin (l. s. p. 645 sqq.) fragm. 1 Gellium Masurii Sabini libris memorialium debere suspicatus multa exempla celati ipsius auctoris aliusque substituti collegit.

Restant scriptores aliquot, qui quin ipsum Antiatem non uiderint, nemo dubitabit, Censorinus, a quo cum multa tum etiam Antiatis testimonia (fr. 18 c. adn. 22. 55) ex Varrone translata esse ipse significauit, Charisius, qui duo exempla ex diuersis libris coniuncta (14. 58) s. u. *nouissime* protulit, Priscianus item ex diuersis (fr. 16. 61), Arnobius (6. 13), Macrobius (4. 5), qui item bina. hic unum (fr. 4), ut ipse testatur, excerpsit ex Iulii Modesti, Hygini liberti, de feriis libro; ceteri quorum beneficiis sua acceperint, non liquet, sed si Antiatis opus usque ad Hadrianum durauit, tum hic scriptor 'inuenustus' Claudio 'lepido' cessit propter antiquitatem resuscitato. itaque apud Nonium scholiastasque Vergilianos omnia eius uestigia desunt.[1] id quod non fortuito factum est. nam ut ex Duridis et Phylarchi historiis Graeci dedita opera res et nomina excerpserunt, uix umquam locutiones quasdam propter notam earum securitatem, sic Romani grammatici singularitates dictionis in annalibus uetustis tractandis conquirentes Valerium neglexerunt aut raro tetigerunt: per se autem illud tum constabat, cum res ipsas quiuis qui uidisset, litteris mandare posset, etiam materiam ex uita obseruata sumptam scriptamque communem liberamque esse, formam autem calamistris inustam aliis scriptoribus in suos libros transferre non licere. itaque Liuius pro Antiatis uerbis sua posuit et sua arte orationem editam infecit. atqui Claudii uestustas dicendi, quam affectauerat, tantum a consuetudine uulgari discesserat, ut Hadriani aetate a grammaticis erutus frequenter excerperetur atque etiam maiores partes ad uerbum exscriberentur, quas si cum Liuio comparauerimus, perpauca Claudii uestigia conspiciemus. de Valerio

1) Mommsen *R. F.* II p. 430 Aurelium Victorem in libro de uir. ill. praeter Liuium etiam Antiatem consuluisse coniecit (uid. adn. ad 45^{a}. 48); at si Valeriana quaedam in eo libro inueniuntur, per alium eo delata sunt; nam ipsi annales usque ad illam aetatem uix seruati sunt.

tamen hoc adiumentum deest, sed ne desideratur quidem. nam quod hic a Liuio praeter ceteros auctores multum adhibitus, a Dionysio laudatus, Varroni cognitus generis sui dicendi speciem non reliquit, causa ab eius uulgari sermone repetenda est, quem Fronto inuenustum dixit (uid. supra p. CCLXXXV) eiusque aequales ut indoctum contempserunt; nam in arte scribendi calamistrisque quae scripserat inurendi non multum laborauerat, ut etiam in hac re uitam ipsam imitaretur exempla sua secutus et artem suam tragica materiae conformatione ostentaret, cuius imaginem Liuio (paene dixerim, inuito) debemus.

De fragmentis, quae Antiati adsignauimus, uix lis oriatur. unum seclusimus Arnobii, qui de matris magnae sacris agens (5, 7) haec scribit: *Virgo sponsa quae fuerat, quam Valerius pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus uelat, dat lacrimas cum Agdesti interfecitque se ipsam.* nam qui hic affertur Valerius pontifex, non fuit Antias, ut censet Hildebrand a. h. l., sed M. Valerius Messalla (cons. 53. 701), qui per annos quinquaginta et quinque augur fuit (Macrob. sat. 1, 9, 14) et de auspiciis librum composuit, cuius reliquias habes apud Bremerum in Iurisprud. antehadr. q. s. p. 263—266.

L. CORNELIVS SISENNA[1])

De uita L. Cornelii Sisennae[2]) certissimum habemus testimonium senatus consultum aeri incisum de Asclepiade, Polystrato, Menisco in amicorum formulam referendis, quod nunc in museo regio Neapolitano asseruatur.[3]) conscriptum erat et Latine et Graece, sed uersionis Latinae prior pars tota deperiit, altera fere dimidia, Graeca perpaucis litteris deletis integra ad nos peruenit. huius igitur hoc est initium[4]):

Ἐπὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου καὶ Μάρκου Αἰμι[λίου Κοΐντου] υἱοῦ Μάρκου υἱωνοῦ Λεπίδου [Λιπέδου aes], στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν καὶ ἐπὶ τῶν ξένων Λευκίου Κορνηλίο[υ . . . . υἱοῦ] Σισέννα, μηνὸς Μαΐου.

ex quibus uerbis a. 78. 676 L. Cornelium Sisennam praetorem fuisse et iuris dictione et urbana et peregrina[5]) functum esse intellegimus.

Hunc uero Sisennam eundem esse atque eum, qui scripsit historias, ex fragmento quodam orationis Ciceronis Cornelianae eisque quae addidit Asconius discimus. tulerat enim C. Cornelius tribunus plebis a. 67. 687 legem, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent (Ascon. argum. in Corn. p. 52 K.-Sch. p. 48 St.). quae lex quam apta esset, ita Cicero demonstrauit, ut aliquot praetores affer-

---

1) A. Riese *Ueber das Geschichtswerk des L. C. S.* in *Festschrift zur Begrueßung der 24. Versammlung deutscher Philologen . . . zu Heidelberg.* 1865. A. Schneider *De L. C. S. historiarum reliquiis* (Dissert. Ien. 1882, in explicandis fragmentis uersatur). Cali *La vita e le opere di L. C. S.* (Catana 1894. mihi ignotum).

2) *L. Cornelii S. historici Romani uitam conscripsit C. L. Roth.* Basil. 1834, qui caute et diligenter rem transegit atque in plerisque me habuit assentientem.

3) Itaque iniuria quod apud Gruterum (inscr. p. 503 sq.) dubia Vrsini auctoritate uteretur, hunc titulum in suspicionem uocauit Maduig Opusc. p. 100.

4) Mommsen C. I. L. I p. 111 n. 203. Bruns Fontes iur. Rom.[5] p. 158 sqq.

5) Falso de sola iuris dictione peregrina intellexerunt Vrsinus, Gruter, Popma. cf. Roth p. 17.

ret, qui 'uarie ius dicere' soliti essent, idque eos facturos fuisse negaret, si iam tum lex illa Cornelia lata esset: *Non Cn. Dolabella*, Cicero inquit, *C. Volcacium, honestissimum uirum, communi et cotidiano iure priuasset, non denique homo illorum et uita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna, bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo L. Scipioni, adulescenti summa nobilitate, eximia uirtute praedito, non dedisset.* Cum autem Dolabella qui priore loco collocatus est, a. 81. 673 (Drumann II[2] p. 484) praetor fuerit, lex illa data sit a. 67. 687, hoc temporis spatio hunc L. Sisennam, qui ultimus reprehensus est, praetura functum iam esse sequitur eundemque esse atque eum, cuius praeturae a. 78. 676 titulus ille mentionem facit, ut iure suo Asconius ad Ciceronis uerba adnotauerit (p. 66 K. 58 St.): *hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit.* denique eum in senatu sententiam dixisse ex Varrone (ap. Gell. 2, 25, 9) et Quintiliano (inst. 1, 5, 13) compertum habemus.

Hinc igitur proficiscendum est. atque primum eum natum esse ante a. 118. 636 ex eis, quae lege Villia annali constituta erant, apparet, neque tamen multo ante hunc terminum inde quod Cicero (Brut. 64, 228) eum interiectum fuisse dicit inter duas aetates Hortensii et Sulpicii. Hortensius uero natus est anno 114. 640, Sulpicius decem annis ante (Brut. 88, 301). itaque, quoniam Sisenna minor natu fuit quam Sulpicius, eum inter annos 124. 630 et 118. 636 natum esse statuemus. cum hoc uero tempore egregie concinunt et amicorum, quorum familiaritate usus est, aetates — nam Atticus, qui in Ciceronis Bruto (75, 260) familiarem suum Sisennam dicit, natus est a. 109. 645, Lucullus et Hortensius, quibuscum colloquentem Sisennam Plutarchus (Lucull. c. 1) facit, aliquot annis ante (cf. Roth p. 5 sq.) — et locus, quo ibidem (74, 259) a Cicerone recensetur, inter C. Aurelium Cottam natum a. 124. 630 et C. Iulium Caesarem natum a. 100. 654.

Itaque aliter interpretabimur uerba Velleii 2, 9, 5, atque fere fieri solet. postquam enim ille res gestas deduxit usque ad Cimbros Teutonosque triumphumque, quem a. 108. 646 Minucius ex Scordiscis egit, breui eos Romanos enumerat, qui 'eodem tractu temporum nituerunt' eloquentia et carminibus, et haec de Lucilio, poetarum agmen qui claudit, uerba facit: *Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militauerat. quo quidem tempore iuuenes adhuc Iugurtha ac Marius sub eodem Africano militantes in isdem castris didicere, quae postea in contrariis fa-*

cerent. deinde sic pergit: *Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis; sed opus belli ciuilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est.* haec uerba plerique, etiam Niese (*R. E.* IV c. 1512), ita interpretati sunt, ut belli Numantini aetate Sisennam iuuenem fuisse argumentarentur natumque esse anno fere 151. 603, quae fuit ratio Weicherti (*De L. Licinio Caluo* p. 99 sqq.).[1]) id autem cum titulo illo aheneo discrepat, cum praetor septuaginta trium annorum euaderet, et cum disertis Ciceronis testimoniis, de quibus modo disputauimus. iam uero Velleius eam quae subsequitur seriem historicorum ita oratoribus et poetis adnexuit, ut ab eo tempore exordiretur, quo Iugurtha et Marius in contrariis castris conflixissent, i. e. ab ultimis belli Iugurthini annis. id autem agebat, ut 'eminentissima cuiusque professionis ingenia in eandem formam et in idem artata temporis congruere spatium' demonstraret (1, 16, 2). qua de causa prima digressione (1, 17, 2) 'Catonem et quosdam ueteres et obscuros' omnino de historicis exclusit, tum hac altera, ut omnes usque ad Liuium minus octoginta annis circumscriberet, a Coelio historiae oratoriae conditore initium facere noluit, sed ad inferius tempus descendit primumque nominauit Sisennam, tum hoc uetustiorem Coelium fuisse addit aequalesque eius Rutilium Claudiumque Quadrigarium et Valerium Antiatem. tertia denique (2, 36, 2) similiter nominat eos, qui a. sexagesimo tertio ingeniis floruissent, Ciceronem et Hortensium, deinde eos, qui ante hos, et eos, qui 'mox', eorumque alumnos, inter hos Sallustium. sic peruenit ad suum aeuum, quo iuxta Vergilium, Rabirium, Tibullum, Nasonem etiam Liuium enumerat, quem ut 'priori' aeuo adstruere possit, Sallustium 'consecutum' esse uult. hoc artificio historiam Romanam intra illud annorum spatium (a Sisenna, qui opus suum 'senior' edidit, usque ad Liuianum, ab anno 70. 684[2]) usque ad a. 6. 759, quo Velleius Romam rediit) coartauit, quod quidem etsi eum suo arbitrio temporum rationis parum curiose construxisse aut alienam artem inscite repraesentasse concedes, ab eius tamen indole non abhorret; consensum certe eius de Sisennae aetate et cum Cicerone restituisse nobis uidemur[3]) et cum Hieronymo, qui a. 1928 Abr. i. e. 89. 665

1) Quam falso Weichert uerba Ciceronis Bruti ut cum hac ratione conciliaret, intellexerit, demonstrauit Maduig Opusc. p. 100. De Velleii digressionibus peculiari libello egit A. Schoeb *Velleius u. seine literarhistorischen Abschnitte* (1908, diss. Tubing.), a quo tamen in interpretando hoc loco discessimus.

2) '*Dignitatem*' Sisennae eo anno Cicero Verr. 4, 15, 33 laudauit.

3) Vid. *Berl. philol. Wochenschr.* 1909 p. 591.

L. Pomponium Bononiensem Atellanarum scriptorum clarum fuisse tradidit, eundem, quem eadem aetate i. e. Sisennae iuuentute fuisse Velleius ultimo loco adnexuit.[1])

Quibus gradibus ad praeturam ascenderit, nescimus. certum tamen est quaestura eum antea functum esse. nam creatus est praetor Sulla uiuo, qui duobus annis ante legem de magistratibus dederat, ne quis praetor fieret, nisi antea quaestor fuisset (App. b. c. 1, 100), sed nec de hoc ipso magistratu nec de aedilitate curuli quidquam afferre possumus. post Ernestium enim (ad Cic. Verr. 4, 15, 33) Zumpt (ex eo Krause p. 300) inde quod ludis circensibus anni 70. 684 apud L. Sisennam 'uirum primarium' triclinia strata argentumque exposita esse Cicero in Verrinis (l. s.) commemorauit, cum aedilitatis curulis esset ludos facere, huic anno Sisennae aedilitatem tribuit. at et Ciceronem uel illo loco uel alibi in Verrinis, ubi de Sisenna, Verris defensore, loquitur, aedilitatis eius, si eo anno obtinuisset, mentionem additurum fuisse recte Roth p. 12 sq. contra dixit, et uix ille homo primarius octauo anno post praeturam, cum consul esse posset, aedilitatem petiit.

Post praeturam cum imperio in Siciliam abiisse uidetur, quamquam etiam hic coniecturis opus est, cum nusquam diserte eius rei mentio fiat. sed Cicero Verr. 2, 45, 110 a Sthenio quodam Thermitano Verrem domum inuitatum esse dicit, qui C. Marii, Cn. Pompei, C. Marcelli, L. Sisennae, ceterorum uirorum fortissimorum hospes fuisset atque esset. atqui Cn. Pompeius a. 82. 672 a Sulla cum imperio in Siciliam missus hospitium coniunxit cum Sthenio (Drumann IV p. 330), C. Claudius Marcellus autem pro praetore fuit in Sicilia a. 79. 675 (cf. Muenzer *R. E.* IV c. 2733). ergo cum probabilitate quadam inde conclusit Roth (p. 12) Pighium in plerisque secutus, cum Cicero hoc loco eos enumeraret Sthenii hospites, qui cum imperio in Sicilia fuissent, eoque ordine, quo eo uenissent, Sisennam post Marcellum a. 79. 675 ante Verrem 73. 681 in Sicilia aliquod munus administrasse, qua cum re id congruit, quod complures familiares in eadem prouincia Sisennam habuisse ex Verr. 4, 20, 43 discimus. haec uero si recte disputata sunt, si a. 78. 676 Sisennam praeturam obtinuisse memineris, pro praetore eum in Siciliam missum esse facile consenties.

Ad haec negotia publica accedebat opera forensis (Meyer orat.

1) Itaque etiam eae difficultates remotae sunt, quibus ductus O. Iahn Herm. II p. 234 pro *historiarum auctor* proposuit *Milesiarum auctor*.

fr. p. 356 sqq.). sed quamuis doctus uir et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis, tamen, cum neque laboris multi nec satis uersatus in causis esset, interiectus inter duas aetates Hortensii et Sulpicii nec maiorem consequi potuit et minori cedere necesse fuit, ut Cicero (Brut. 64, 228. cf. de legg. 1, 2, 7) scripsit. cum uero Hortensius primum in foro dixerit L. Crasso Q. Scaeuola consulibus a. 95. 659 (Brut. 64, 229), iam antea initium dicendi fecisse Sisennam sequitur. ex causis tamen, quas egerit, duae tantum modo nobis notae sunt. quarum unam quo anno orarit pro C. Hirtilio quodam (Cic. pro Brut. 74, 260), memoriae proditum non est, alteram iam prouectus aetate a. 70. 684 pro C. Verre dixit cum Hortensio aliisque contra Ciceronem (Cic. act. sec. 2, 45, 110. 4, 20, 43). ad quam causam ea potissimum re idoneus esse uidebatur, quod cum magistratu in Sicilia fuerat, itaque a Verre quasi inescatus et ad partes suas tractus, ut Sisennae familiaribus erepta redderet (Verr. 4, 20, 43).

Triennio, quo Sisenna Verris patronus exstiterat, cum ad Pompeium lege Gabinia summum imperium belli piratici delatum esset, ille in tredecim legatis maximam partem optimatibus, quibus mare mediterraneum tuendum dispertiret, etiam L. Sisennam elegit eique Peloponnesum, Atticam, Euboeam, Thessaliam, Macedoniam, Boeotiam tradidit (App. Mithr. 95). deinde discidio inter Pompeium et Metellum Creticum orto Cretenses, ut Metelli saeuitiam et crudelitatem effugerent, ad Pompeium misisse constat, qui se suaque in eius fidem dederent, et a Pompeio cum L. Octauio legato rediere, ut urbes reciperet. Metellus tamen cum sine exercitu esset, eum neglexit, neque saeue in Cretenses ut in hostes consulere desiit. tum uero his rebus cognitis Cornelius Sisenna cum exercitu in Cretam uenit. sed ne is quidem Metello, ut ciuitatibus parceret, persuasit. antequam tamen ut inuitus obtemperaret, ui et armis illum cogere et urbibus, quae premebantur, opitulari coepisset, in morbum incidit et morte belli ciuilis necessitati ereptus est a. 67. 687.[1]) Octa-

1) Quae supra exposuimus, debemus Cassio Dioni 36, 1, qui haec de Sisenna refert: *καὶ Κορνήλιος Σισέννας, ὁ τῆς Ἑλλάδος ἄρχων, ἦλθε μὲν ἐς τὴν Κρήτην, ὡς ταῦτ' ἐπύθετο, καὶ παρῄνεσε τῷ Μετέλλῳ φείσασθαι τῶν δήμων, οὐ μέντοι καὶ ἀντέπραξέ τι μὴ πείσας. — ἀγανακτήσας οὖν ἐπὶ τούτῳ ὁ Ὀκταούιος οὐκέθ' ἡσύχασεν, ἀλλὰ πρότερον μὲν τῷ τοῦ Σισέννου στρατῷ (νοσήσας γὰρ ἐκεῖνος ἐτεθνήκει) χρώμενος ἐπεβοήθει κ. τ. λ.* Weichert quidem l. s. p. 102 hunc Sisennam Gnaeum appellat diuersumque esse ab hoc Lucio putat. decipi tamen se passus est ab Vrsino, qui sine ulla auctoritate hunc Sisennam confuderat cum Cn.

uius autem, qui Sisennae exercitus imperio suscepto palam contra Metellum arma tulit, infelicissime re gesta a Metello captus est.

Hic igitur L. Cornelius Sisenna, uir primarius et diuitissimus, scripsit historias[1], de quarum libris minimum uiginti tribus fragmenta plurima ad nos peruenerunt librorum III et IV, pauca libr. I. II. VI, singula l. IX. XII. XXIII. argumento autem eas Velleium significasse uidimus '*opus belli ciuilis Sullanique*', ubi ut bella annorum 91. 663—82. 672 eum complexum esse censeamus, suadet hoc Sallustii locus infra citandus, quo Sisennam Sullae rerum praecipuum auctorem praedicat, tum Ciceronis testimonio (fr. 5) confirmatur, qui his res 'bello Marsico' gestas commemorauit, aliisque fragmentis libr. II. III. IV, quae ad idem pertinent, neque id ciuile dictum esse mirabimur collato Floro 2, 6 (3, 18): *sociale bellum uocetur licet, si uerum tamen uolumus, illud ciuile bellum fuit* (cf. 2, 12 [4, 2], 4). inscriptio tamen illa operis non fuit. nam quamquam Plinius n. h. 33, 144 de 'bello ciuili Sullano' loquitur, in libro ante bellum Pompei Caesarisque composito additamentum '*Sullanum*' omnino discrepabat, praesertim scriptoris gentilis.[2] itaque historias '*belli ciuilis*' Sisenna inscripsisse, Velleius *opus belli ciuilis Sullani* scripsisse (deleto *que* cum Manutio) mihi uidetur.

Verum tamen Nonius unum fr. (3, quod ut pauca numero libri caret) inscriptione '*ab urbe condita*' distinxit, atque etiam duo fragmenta Seruiana (1. 2) ab originibus Troianis res repetierunt. at cum iam in libro primo, certe secundo Sisenna ad bellum Marsicum peruenerit, *ab* aut cum Quicherato in *at* mutandum aut cum L. Muellero delendum et *urbe condita* cum ipso fr. coniungendum est. aliam dubitationem Krause p. 302 et Schoeb p. 12 mouerunt Velleium ita interpretati, ut 'historiis' bellum Marsicum ab eo iuuene a. 87. 667, bellum ciuile a seniore a. 69. 685 compositum esse censerent; sed fugit eos 'historias' quasi indicis omnium illius tractus scriptorum locum obtinere, et si anno fere 88. 666 (Roth p. 5) apud Plutarchum (Luc. 2) Lucullum Hortensio Sisennaeque ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς

Sisenna Macedoniae praetore uel proconsule, quem ex denario nouimus ('Cn. Cornel. L. f. Sisenna' Mommsen C. I. L. I p. 133 n. 343. *Muenzwesen* p. 540 n. 137) et ex senatus consulto Delphico (Dittenberger Syll.² n. 930). hic legatus Pompei quin Lucii praenomine usus sit, propter Appianum nemo poterit dubitare. Muenzer *R. E.* IV c. 1511 sq.

1) Inscriptio historia, quae apud Nonium aliquot locis inuenitur, ex compendio hist. neglegenter scripto nata est.

2) Florus cap. 2, 9 (3, 21) inscripsit *Bellum ciuile Marianum*, in textu autem id dicit *B. ciuile Marianum siue Syllanum.*

σπουδὴν προελθούσης pollicitum esse meminerint bellum Marsicum seu Graece seu Latine, seu uersibus seu oratione pedestri se expositurum esse (cf. supra p. CCLXXXI sq.), tum eos amicos de consilio eo exsequendo collocutos esse perspicient, scripsisse autem id bellum solum Lucullum.

Breuiter igitur res Romanas a Troia euersa Sisenna libri primi praefatione deduxisse uidetur, id quod Sallustius in coniur. Catilinae c. 6—12 imitatus est (Roth Hist. uet. rel. p. 369 sq.), unique operi belli ciuilis locum suum inter historicos debuit. itaque iam libro primo ad belli Marsici initia tractanda accessit.[1]) libro altero iam Marsi pugnant cum hostibus (fr. 7), tertio, ut incerta et dubia omittam, 'Aesernini duplici fossa ualloque circumdati frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum erat' se hostibus tradunt; sic enim sine dubio quae desunt, supplenda sunt (fr. 16). hinc res anni 90. 664 i. e. primi, quo bellum Marsicum armis gestum est, comprehensas esse libris II et III euadit. quarto ab eo anno exeunte progressus ad annum belli secundum 89. 665 (cf. fr. 51. 52. 53) non solum res bellicas sed etiam domesticas easque copiose multisque cum orationibus (fr. 108—122) tractauit. utrum ei anno hoc libro an quinto finem imposuerit, non liquet, cum ex libro quinto nihil supersit. sexto sequebatur Marii fuga (fr. 125) et bellum Mithridaticum, quod Sisenna ita enarrauerat, ut res in Asia et Graecia gestas continentes mandaret, 'ne uellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediret' (fr. 127). qui liber proelium ad Ianiculum a. 87. 667 commissum continuerit, Tacitus, qui ex eo rem quandam tetigit, non adicit. omnino fragmenta ex hac annalium parte perrara sunt, restat unum, de quo certum iudicium ferri possit, fr. 132 ex libro XXIII[2]), quo summum omnium dictaturae desiderium describitur. pertinere igitur uidetur ad a. 82. 672. num etiam ultra id tempus Sisenna progressus sit, testimoniis caremus. uerum tamen nil obstat, quominus eum usque ad abdicationem dictaturae uel mortem Sullae, cuius res eum optime et diligentissime scripsisse Sallustius (Iug. 95, 2) dicit, peruenisse arbitremur, incohauerat certe dictaturam eius (fr. 132) ediditque Velleio (l. s. s.) teste non cum iuuenis esset sed 'senior', id quod dicere non potuit, nisi antea ille quadraginta sex annos uitae impleuerat.

1) Vid. etiam E. Marcks (*Die Ueberlieferung des Bundesgenossenkriegs 91—88*) p. 67 sq.

2) De numero sine causa dubitauit Riese p. 63.

De Sisennae fide auctoris locupletissimi testimonium exstat, Sallustii, qui in bello Iugurth. 95, 2, quod de Sullae natura ingenioque pauca proposuerit, ita excusat: *Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna optume et diligentissume omnium qui eas res dixere persecutus parum mihi libero ore locutus uidetur.*[1] laudauit igitur Sisennae artem atque diligentiam atque ipse eum imitatus est, id quod fragmentis comparatis Woelfflinus uidit (*Literar. Centralbl.* 1871 p. 276. uid. adn. ad 7. 8. 21); nam et leuissimas quasque res accurate persecutus uerbis non pepercit et diuersissimarum rerum correpta uarietate id egit, ut animos legentium oblectaret, permulceret, titillaret. sic Epicureorum de dis eorumque rerum humanarum cura doctrinam proposuit (fr. 123, cf. Seneca de benef. 4, 4, 1) disputauitque 'ab Epicureo aliquo inductus' contra somnia et ostenta (fr. 5) et idem propter uerba lasciua industriosius quaesita Frontoni placuit (epist. ad Caes. 4, 3 p. 62), quod studium Aristidis interpretem non intra Milesiaca continuisse probabile est[2]), sed secundum artem etiam historias eum composuisse fragmentis orationum eis insertarum (5. 109. 110. 112. 113) et duobus locis Ciceronis confirmatur; nam priore (Brut. 64, 228) facultatem eius oratoriam ex historia ipsius perspici posse eaque omnes superiores uictos esse docet, altero (de legg. 1, 2, 7) At-

1) Mirum est quod Gerlach Sall. uol. III p. 48 haec uerba ita non intellexit, ut Sallustium in historiis scribendis id egisse opinaretur, ut Sisennae librum continuaret. sed satis eum iam refutauerunt Kritz in praefat. ad Sall. fr. XVII et Linker Sall. hist. prooem. p. 12. — Sisennam etiam alio loco a Sallustio Kritz (histor. fr. I fr. 4 p. 4. 2 p. 3 M.) significatum esse censuit, cum apud Charisium 2 p. 216 K. pro *scrip*, quod est in codice, suppleret *scripsit.* res tamen prorsus incerta est.

2) N. Heinsius, E. Rohde *Kl. Schr. II p. 30 sqq.*, Schanz I 2³ p. 116 etiam hoc distichon Ouidii (trist. 2, 443) ad historias Sisennae rettulerunt:

Vertit Aristiden Sisenna, nec obfuit illi
historiae turpes inseruisse iocos.

locutus tamen est in indice suo de solis poetis, primum de Graecis tum de Latinis, idque ita, ut Latini Graecis respondeant, hoc distichon his duobus Graecorum:

iunxit Aristides Milesia crimina secum,
pulsus Aristides nec tamen urbe sua est,
nec qui descripsit corrumpi semina matrum,
Eubius, impurae conditor historiae.

ubi etsi quale Eubii historiae genus fuerit, ignoramus (etiam post O. Immischium Philol. LXXI p. 563—66), uersibus tamen, ut alia quae Ouidius recensuit opera, composita fuit, historias autem Seneca ep. 13, 3 (88), 3 fabularum memoria explicat.

ticum idem iudicare; erat enim ei historia opus maxime oratorium.[1]) continuo tamen eam laudem diminuit; nam idem puerile quiddam eum consectari exprobrat, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse uideatur, quem si adsequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. nimirum ob id ipsum, quod erat uir doctus optimisque studiis deditus, inusitatis et 'longinque' i. e. antiquitus[2]) arcessitis uerbis et tumore quodam (fr. 104. 123) se iactabat, sed deerat maturitas atque iudicium elegantiaque, ob quod uitium etiam Clitarchus a rhetoribus Graecis reprehenditur.[3])

Verum tamen etiam in alia re Sisenna Clitarchum imitatus est. nam ut huius probari ingenium, fidem infamari Quintilianus (10, 1, 74. cf. Cic. Brut. 11, 42) existimat, sic ille Sallustio parum libero ore locutus uidetur. uterque enim in uno aliquo uiro supra modum extollendo uersabatur omniaque ad eius uirtutem gloriamque augendam dirigebat: cuius studii Clitarchi multa exempla in promptu sunt, de Sisenna reprehensio Sallustii sufficiet, quem eius admiratorem haud maligne iudicasse si credimus, quantum illum ueritatem supergressum esse putabimus? etiam ratio narrandi simillima fuit. nam ut ille historiam in fabulae romanensis formam mutauerat uariaque ueritatis ludibria ediderat, sic hic memoriae suae felicitate abusus (Seneca contr. 1 praef. 19) rebus uel minimis accurate explicatis speciem ueritatis obtendebat. haec scilicet eius historiae condicio erat, ut eis rebus, quas describeret, aut ipse testis oculatus interesse aut ex eis, qui interfuerant, audire aut dictatoris ipsius testimonio niti potuerit. multa quidem tum aduersariorum egregia facinora incelebrata mansisse Sallustius monuit (fr. 1, 57 Kr. 88 M. cf. Kritz p. 88 sqq.). itaque Sisenna contempta abundantia et uarietate Claudii et Valerii, ut Coelium imitatus arte sua uti posset, brevius annorum spatium scribendum suscepit et, quod suam aetatem elegit, duas res consecutus est, ut gentilis sui uirtutem, quem ad modum Clitarchus Alexandri, omnibus ornamentis depingeret primasque partes agentem faceret (cf. fr. 132), tum ut qui legerent, mendaciis antiquitatis et gentium non infecti aut deterriti falsaque opinione occupati ad suam

1) *Wahrheit u. Kunst* p. 330 sqq.

2) Sic enim haec uox apud Frontonem ad Ver. 1, 1 p. 114 interpretanda est, cf. Cic. Brut. 74, 259. Norden p. 177. 188.

3) A Dionysio uel Longino (de sublim. 3, 2): *φλοιώδης ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ* [i. e. ingenio tenuis, uerbis immodestus], a Demetrio (de elocut. 304) *τῇ δὲ ὀνομασίᾳ πολλάκις χαρίεντα πράγματα ὄντα ἀτερπέστερα φαίνεται.*

memoriam accederent, in qua aestimanda homines et suae rei publicae administrationis et consuetudinis Hortensii et Luculli, Attici et Licinii Macri recordaturos esse confideret.

Fragmenta tamen Sisennae paene omnia paucis uerbis constant, quibus uarietas rerum uerborumque copia demonstretur, uno (fr. 127), quod casu seruatum est, eum non per breuiora temporum spatia res discerpsisse sed ut expeditionum tenorem totum exponeret, per annos eum pertexuisse accepimus. Sullam ducem uidetur ars orationis secuta esse. nam etsi iam Theopompus in personarum affectuum mysteriis aperiendis et describendis multum operae posuerat, ut quasi iudicis apud inferos munere fungeretur (Dion. ad Pomp. 6, 4—8), tamen non ante hellenisticam aetatem singulae personae in litteris suum ius suasque partes sibi uindicare solebant; tum uero Arato praeeunte Romae uiri illustres suas uitas publice ipsi proponere ausi sunt neque sua auctoritate freti rhetorum ornamentis opus esse existimauerunt ad lectores sibi conciliandos. haec tamen simplicitas multitudini non placuit, ut rhetores uirorum illustrium uitam naturamque post Aristotelem Theophrastumque accurate in historia depingendos esse docere inciperent, quamuis antiquitus eorum ratio cum hac diligentia (προσωποποιίας) discreparet (Leo *Biographie* p. 316 sqq.), idque in recenti memoria perfectius fieri posse (Polyb. 9, 2, 4 sqq. Scheller p. 16 sqq.). his igitur praeceptis Cornelius Sisenna obsecutus res recentes, quas αὐτοψίᾳ sibi cognitas esse uellet, ornamentis et materiae et stili conformare hominesque et arte sua allicere et delectare animum induxit et omnibus rebus feliciter in imperio Romano gestis ad Sullae unius claram speciem diuinumque instinctum relatis aliisque uel detortis uel omnino fictis ad eas partes, quae eum defenderent admirarentur uenerarentur, trahere, inscriptione tamen perpetuae rerum gestarum historiae et arte dicendi, quid uere spectaret, prudenter uelare.

Sic per aliquantum temporis Sisenna historiae principatum obtinuit. Cicero quidem a. 52. 702 eum solum inter aequales nominauit (de legg. 1, 2, 7), Varro autem unum ex logistoricis 'Sisenna uel de historia' inscripsit (Ritschl Opusc. 3 p. 410), ut 'Marium de fortuna', 'Pium de pace'. Sed breui eius memoria euanuit, neque enim habuit, qui in historia eius uestigia legerent, atque ne usus quidem eius, si Caecilium (Calactinum), qui in libris grammaticis de eo egisse uidetur (cf. adn. ad fr. 103), et Festi locum (fr. 124) admodum dubium exceperis, ex primo saeculo p. Chr. n. certa uestigia comparent. quod nescio utrum inde factum sit, quia quae de

bello Marsico Sullanoque comperta habemus, omnino perpauca sunt eaque pleraque a scriptoribus secundariis inferioris temporis nobis tradita, an inde quod diu neglectus iacuit. Sed posteaquam studium uetuste dicendi resuscitatum est, etiam Sisennae libri propter uoces suas priscas et inusitatas eruti, lectitati, excerpti sunt. itaque iam Tacitus, qui in historiis mentionem narrationis Sisennae inseruit (fr. 129), in dialogo c. 23 Aprum irridentem fecit eos, quibus eloquentia Aufidii Bassi et Seruilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sorderet[1]; Gellius autem Sisennae historias assidue se affirmat lectitauisse (12, 15, 1) et quattuor fragmenta ex eis cum librorum numeris noctibus suis seruauit. plurima uero (plus centum uiginti)[2]) debemus N o n i o. Sed de Sisennae propagatione difficultas quaestionis, qua quaeuis Noniana implicatur, diuersitatibus quibusdam augetur. nam plus centum exempla ex libris historiarum tertio et quarto allata sunt, modo primo loco per se separata, raro ita, ut agmen aliorum ducant, modo alienis explicandis destinata. restant nouem exempla ex aliis libris, sed de his Nonius tria ut alias partes ex Gellio exscripsit, fr. 126. 127 (bis). 128, eaque praeter unum (128) cum errore; nam uno loco ipsum lemma, duobus librorum numeros corrupit, tertio omisit (uid. adn. ad fr.), id quod de centum illis aliis fr. uix umquam factum est. hinc etiam de aliis eius generis dubitatio oboritur. singularis enim est inscriptio 'Sisenna ab urbe condita' (p. 127 fr. 3, uid. adn.), tum alia ut Gelliana praeter fr. 6 (libri I p. 376) nusquam cum ceteris Sisennianis libr. III et IV cohaerent sed quasi consilio aliis locis inspersa sunt aut adnexa.[3]) iam uero etsi Nonium procedente uel absoluto opere et amplificata auctorum scientia quaedam in textum inseruisse concedo sentioque, etiam nunc inter fr. l. III et IV discrimen quoddam intercedit. nam quemadmodum Nonius in capitibus I. II. V per multas partes Gellium excerpsit, in aliis eum aut omnino neglexit aut singula quaeque exempla ex eo sumpsit; sic eius duo prima capita Sisennae fragmentis libr. III et IV abundant, quae saepe per seriem continuam conglobata sed inter se

1) Quoniam 'eloquentia' omnia orationis genera complectitur, comparatio rerum scriptorum Aufidii et Seruilii ad historiam Sisennae ducit.

2) Vnum fragmentum seu librariorum incuria seu temporis iniquitate deperiit. p. enim 556 post quaedam Sisennae uerba (fr. 20) sic pergitur: *Idem lib. IIII mater et agrauia bellica. Sisenna hist. lib. III* (fr. 24) et q. s., ubi *materae tela grauia bellica* (sic enim cum Mercero legendum est) insequens lemma cum interpretatione est. lacuna autem in cod. Leidensi etiam indicata est spatio uacuo relicto.

3) De fragm. 9 uid. infra p. CCCXLVII n. 1.

per libros historiarum Sisennae disposita paene omnia primum locum obtinent maximamque partem appendice aliorum exemplorum carent atque saepe excerpta ex Ciceronis libris de finibus sequuntur habentque sequentia exempla ex libris de oratore (p. 91. 113. 141. 146. 70. 101). hanc tamen rationem post litteram P in cap. altero relictam esse inde apparet, quod quae tria in eo capite restant exempla Sisennae, duo illa Gelliana ex aliis eius libris sunt, tertium (libri III fr. 47) remansit ex collectione etiam alibi apud Nonium conspicua aduerbiorum in *im* desinentium. itaque in ceteris capitibus perrara illius rationis inuenimus indicia. nam Sisennae exempla paene omnia nunc in appendicibus allata sunt, et si quae primis locis, aliam, non illorum Ciceronis exemplorum uicinitatem nancta genuini lemmatis locum occupasse uidentur. frequentissime autem ad carmina Vergiliana interpretanda exempla Sisennae adhibita sunt, id quod etiam nunc multis locis manifestum est. itaque quod in cap. VI duo exempla separata procedunt (p. 449 fr. III 23. fr. IV 121), tertio uersus Vergilii adnectitur (fr. IV 104), quartum (IV 103) duobus eiusdem circumscribitur, hoc explicabimus confirmabimusque extremis lemmatis capitis XIX (De genere armorum), ubi similiter Nonius cum poetis et initium fecit et finem (cum Ennio et Vergilio), repleuit tamen, quamuis tenue sit, maxime exemplis Sallustii et Sisennae eiusque sex continuis, quae uno Sallustiano discreuit, in lemmatis autem ordinandis, de quibus decem ex libris VII—XI Aeneidis sumpsit, sexies accurate seriem Vergilianam retinuit.[1])

Illud igitur teneo, eam rationem, quae in cap. I et II inter Sisennam ceteraque Nonii exempla intercesserat, cum littera P mutatam esse, sed quaeritur, utrum relanguescente paulatim studio hunc taeduerit ipsas illas historias peruoluentem exempla idonea excerpere an iam eius auctor illo loco eas abiecerit. Sisennae scilicet nomen in glossariis commentariisque Vergilii, Plauti, Accii, Pomponii aliorumque, qui locupletiores ei thesauri fuerunt quam ipsi scriptores, totiens propter antiquitatem et inusitatum dicendi genus citatum esse inuenerat, ut grauiori illi operae parcere posse sibi uideretur. defatigatio autem quaedam abbreuiatioque et per totum opus et per singula capita, si moles materiae nimia succrescebat, animaduertitur. Sisennae denique exempla etiam in capite quarto, quod alteri longitudine proximum est, post litteram P usque ad numerum duorum minuta sunt. disceptare autem illam quaestionem difficilli-

1) 7, 686; 730; 732. 8, 661. 9, 705. 11, 682.

mum est. nam et eius, qui quorundam librorum scriptorem 'Tullium', aliorum quorundam 'Ciceronem' inscribere solitus esset, neglegentia et socordia tanta fuit, ut quemuis incredibilem errorem commisisse uideatur, leuitas et incuria tanta, ut quam minimum operae et studii ab ipso in colligendis et excutiendis diuersis libris antiquis collocatum esse consentaneum sit. quam ob rem Lucianus Mueller in aduersariis Nonianis p. 249 sqq.[1]) eum sola eorum doctrina usum esse statuit, qui saeculo altero inde ab Hadriano floruissent, sed per diuersa capita diuersis operibus diuersoque ipsum studio et diligentia, studiosissime in libris I et II, omnium autem scriptorum, quos, cum illa aetate uetustiores essent, Nonius citauit, ei in manibus fuisse uult commentaria, etiam Sisennae, Sallustii, Varronis, Ciceronis. profectus autem est maxime a Martini Hertzii doctissima disputatione (*Gellius u. Nonius Marcellus* nunc in Gellianis p. 85—146), qua Gellium, unum illum grammaticum eorum, qui 'inde ab Hadriano floruerunt', etiam nunc seruatum, cum Nonio comparauit docuitque apud hunc exempla primaria ('*Stammcitate*') eodem ordine inter se excipere, quo apud ipsos auctores. alii autem a Nonio eorundem scriptorum uel librorum exempla compluribus locis eodem ordine inter se coniuncta esse cum animaduertissent[2]), totum eius opus inter eius auctores, qui materiam collectam ei praebuissent, partiri conati sunt, quorum disputationes W. M. Lindsay[3]) secutus ita suppleuit, ut indicem unius et quadraginta librorum componeret, ex quibus opus suum compilasset eodem eos semper ordine ad partes uocans. in eo tamen iuxta quinque glossaria et uerborum aduerbiorumque series quasdam alphabeticas etiam ipsos libros ueterum scriptorum enumerauit, idque ita, ut eidem scriptores propter suos quisque libros diuersa loca occuparent, ex historicis soli Sallustius et Sisenna.[4]) atque hoc quidem recte obseruauit huius libros in primis capitibus in Nonii manus inter ultimos peruenisse (numero 36 illos insigniuit); nam postquam eis p. 10, 23 et 40, 10 ad interpretanda poeta-

1) Iam antea *De re metrica* p. 26 sqq.

2) Primus Schneidewin *Goetting. gel. Anzeigen* 1843 p. 697 sq., tum Riese in Ritschel. symbola p. 483 sqq., pluribus A. Schottmueller ibid. p. 823—832, P. Schmidt *De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis* 1868.

3) *Nonius Marcellus* Oxford 1901. cf. mus. Rh. 57 (1902) p. 196—204.

4) Commentarios Sisennae historiarum, ut Vergilii, Plauti aliorumque poetarum, a quoquam compositos esse uix crediderim. itaque cum Nonius paucis locis Sisenniana aliis exemplis illustrauerit, ex lexico aliquo originem ducere mihi uidentur dubitatioque eo redire, utrum Nonius in libr. I et II hoc an ipsis historiis usus sit.

rum uocabula iuxta alios scriptores usus est, tandem p. 57, 20 ad seriem eius nos deducit, qua quattuor Sisennae exempla sine aliis, tum exemplum Vergilii Sisenniano explicat concluditque sexto eiusdem.

Atqui post Hertzii disputationem pronum erat existimare a Nonio eodem ordine quo Gellium etiam Sisennam excerptum et in capita sua translatum esse. sed casu accidit, ut in eo ipso capite, in quod plurima eius exempla effusa essent, per litteras in duodecim uel quattuordecim particulas discerpenda essent. pertineret igitur illud inuentum ad solas series continuas exemplorum primariorum una littera comprehensas, id est ad

Nonii cap. I p. 57 sq. (ex Sisennae libro II[1])) fr. 9. (ex lib. III) 33. 14. (ex lib. IIII) 73. [52.] 68.
II (litt. a) p. 68. (ex Sisennae lib. IIII) fr. 116. 94.
(litt. c) p. 91. (ex Sisennae lib. IIII) fr. 93. 118. 107. 122. 79.
(litt. e) p. 107. (ex Sis. lib. III) [120.][2]) 110. 66.
(litt. f) p. 113. (ex Sis. lib. IIII) fr. 60. 86.
Non. cap. II (litt. i) p. 130. (ex Sis. lib. III) 43. 47. (ex Sis. lib. IIII) 119.
(litt. m) p. 141. (ex Sis. lib. III) 24. 31. 18. (ex lib. IIII) 72.
(litt. p) p. 161. (ex Sis. lib. IIII) 117.[3]) (ex lib. III) 25. 32.[4]) (ex lib. IIII) 95.

Ita uero hoc unum intelleximus, quis fuerit uerborum ordo in singulis Nonii partibus, illud autem agentibus nobis, ut soluta hac partium compage suo quodque libro fragmentum tribueremus, hoc auxilium paene nullum erat. ut exemplo utar, hoc quidem pro certo licuit affirmare, uerba fr. 18 in libro III Sisennam scripsisse post 31, hoc post fr. 24, sed quae ratio intercesserit inter illa fragmenta et fr. 43 et 47, utrum haec continua post illa, an ante illa, an inter illa scripta, an inter se implicata fuerint, nescimus. quam ob causam

1) Quia nusquam Nonius exempla primaria Sisenniana librorum III uel IIII cum exemplis aliorum librorum coniunxit, Riese p. 58 et Lindsay m. Rh. l. s. p. 203 recte hoc fr. ex l. III petitum esse censuerunt.

2) Casu quodam exemplum Sisennae post Vergilianum positum est, id quod haud raro accidit. potius primarium id esse ex Ciceronis uicinitate apparet. uid. supra p. CCCXLV.

3) Vt ordinem restitueret, Riese p. 58 pro *IIII* scripsit *III*.

4) Consilio omisi fr. 85, quod subiunxit fr. 32 Nonius, quia supra primariorum tantum modo exemplorum rationem habui.

praesertim cum Sisennae historias Nonio in manibus fuisse uiri docti dissentirent, infra in fragmentis disponendis hoc ordine neglecto eandem uiam ingressi quam in ceteris scriptoribus primo loco collocare maluimus ea fragmenta, quae aliqua cum probabilitate ad certas res referri possent, ad temporum ordinem digesta, deinde cetera ex rerum similitudine adiungere, certum autem iudicium de ratione, quae inter Nonium et Sisennam intercedat, proferre magis ad illius indolem studiumque cognoscendum pertinet quam ad nostrum opus.[1])

Apud alios scriptores perpauca notitiae Sisennianae indicia exstant. Seruius enim tribus locis (fr. 1. 2. 4. cf. 143) in rebus antiquis Romanis Sisennae auctoritate utitur, Macrobius bis (fr. 7. 8) eius uerba quaedam ex libro II, Priscianus unum locum ex libro duodecimo (fr. 131), duos ex incertis fr. 138. 139, denique unum Ioannes Lydus inscriptione omissa (fr. 133) citauit. hic tamen ipse Sisennae librum se uidisse negat[2]), idemque etiam de aliis scriptoribus, quos modo commemoraui, probabile est.[3])

Ad supplendum uero totius Sisennae doctrinae et eruditionis conspectum quasi corollarium dedi fragmenta Milesiarum, quos libros — minimum tredecim — lasciuos et impuros cum uerteret ex Graeco Aristidem secutus (uid. supra p. CCCXLI n.), aetatis suae auribus et iudicio obtemperauit. nam quos Parthi post cladem Romanam a. 53. 701 in castris inuenerunt libros, aut Aristidis aut Sisennae Milesiaca fuerunt (Plut. Crass. 32), quorum quae supersunt reliquiae, ex libro tertio decimo per Iulium Romanum Charisius seruauit. orationes autem eius, quas habuit pro Verre et contra Rusium et si quas alias (Meyer p. 356 sqq.), litteris non propagatae sunt,

1) Breuitas fragmentorum, quae pleraque paucis uerbis sine sententia constant, id effecit, ut perraro ad certas quasdam res ea rettulerimus. accedebat etiam quod eadem genera urbium uel obsessarum uel oppugnatarum uel expugnatarum pugnarumque diuersis locis narranda erant, uarietasque fortunae et dolorum saepe repetebatur, cum de rebus in mari gestis, in quibus enarrandis complura fragmenta uersantur, nihil de bello sociali memoriae proditum sit.

2) Quod Fenestellam atque Sisennam a Varrone in libro de rebus humanis (ἐπὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων) laudatos esse Lydus dixit, neglegenter auctorem, cui haec debet, exscripsit. Fenestella enim Varrone, non Varro Fenestella uti potuit.

3) In fr. incertae sedis neglexi unum locum, quem apposuit Krause p. 317. haec enim sunt Varronis uerba apud Gellium 2, 25, 9: *Assentior tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus 'assentio' in senatu dicebat et eum postea multi secuti.* eademque refert Quintilianus inst. 1, 5, 13. sua autem sponte apparet haec non posse referri ad Sisennae scripta.

neque enim Sisenna in oratorum numero habebatur (Cic. de legg. 1, 2, 7). Etiam commentarii Plautini in corpore nostro nunc desunt; nam qui eos scripsit, etiam Vergilii exemplo in interpretando usus est (Charis. 2 p. 221 K.): '*Tractim' Plautus in Amphitryone; ubi Sisenna 'pro lente', inquit, 'non ut Maro georgicon IIII "tractimque susurrant" inquit'*. recte igitur hunc Sisennam grammaticum, qui post Vergilium fuit, ab historico Bergk (Opusc. II p. 750. *Beitr. zur lat. Gramm.* I p. 124) distinxit et post eum Fr. Leo (*Plautin. Forsch.* p. 46), Schanz I 2³ p. 117, alii. Contra ea fragmenta, quae 'Incerta ex quibus libris' inscripseram, nunc in 'Incerta ex historiis' transtuli. Iis enim inter historias, Milesias, commentarios Plautinos ita componenda est, ut cum quae Sisenniana Rufinus et Charisius in altero libro attulissent, omnia ipsi aut commentariis aut Milesiis diligenter tribuerint, alii grammatici iure quodam cetera incerta historiis uindicare possint, ut Varro, qui Sisennae historiam nouit, fr. 140, Festus uel Paulus (coll. fr. 124) fr. 141, Priscianus, qui historias semel citauit, fr. 138. 139, unus ex scholiastis Vergilianis, praesertim qui Sallustium ei associet (saec. XV dubiae originis cf. adn. ad fr. 74) fr. 142, coll. Seru. fr. 1. 2. 4. Charisii denique unum locum libri I Varro tuetur (adn. ad fr. 140), alter autem (fr. 143) lacuna corruptus est, qua re eum, cum alter Charisii liber fragmentis Milesiarum et commentariorum Plautinorum refertus esset, in ultimum locum relegaui.[1])

1) Quod fragmentum praeter ea, quae nos infra recepimus, Forcellini s. u. adingero I p. 61 (ed. Schneeberg.) suppeditare uidetur, falso ad Sisennam relatum est. haec enim ille: *Translate Sisenn. Milesiar. apud Seru. 2, teste Falstero (qui loc. Seru. non designat): non dignus in quem debeam satiram calente ui adingerere.* hic tamen locus exstat non apud Seruium sed apud scholiastam Iuuenalis (ad sat. 4, 2) uersusque est Septimii Sereni (fr. 3).

C. LICINIVS MACER[1])

In historicis Latinis Cicero de legg. 1, 2, 7 posuit etiam Macrum, cuius plenum nomen fuisse C. Licinii Macri ex eis quibus eius libri afferuntur locis uidemus, dixitque eum amicum fuisse Sisennae. atqui Sisenna natus est haud ita multo ante a. 118. 636, praetura functus a. 78. 676, mortuus 67. 687. quam ob rem uix quisquam dubitabit, quin qui C. Licinius Macer anno 73. 681 tribunus pl.[2]) fuit et anno post Sisennam (ergo anno 66. 688) diem supremum obiit, idem historicus ille sit, neque prae hoc diserto testimonio magni faciet quod Cicero, ubi de Macri tribuni facultate oratoria disputat (Brut. 67, 238), historiae eius mentionem omisit, praesertim cum idem etiam aliis rerum scriptoribus in Bruto acciderit, ut C. Tuditano (25, 95) et Rutilio (30, 113).

Familia eius erat plebeia illa quidem sed nobilissima, ex qua et qui primus tribunus militum consulari potestate de plebe factus est (Liu. 5, 12, 9), et qui L. Sextii collega, ut alter consul de plebe crearetur, rogatione sua effecit, originem ducebant, pater Lucius, de quo nil nisi nomen memoriae traditum est[3]), filius, ut hoc nunc uerbo moneam, C. Licinius Macer Caluus et poeta et orator.[4])

---

1) Liebaldt *C. Licinius Macer.* progr. Numburg. 1848. Gutschmid *Kl. Schr. V p. 531—535.* W. Soltau *Macer und Tubero* ap. Fleckeisen. CLV p. 409 sqq. 639 sqq. *Livius* p. 105—116. passim.

2) De hac re, cum quidam tribunum illum historici filium fuisse arbitrati essent, pluribus, quam opus erat, disputauit Weichert poet. lat. rel. p. 92 sqq. et post eum Liebaldt p. 3 sqq., uterque tamen a falsa opinione, qua de Sisennae anno natali occupati erant, profecti.

3) In denario enim, quem inter a. 84. 670 et 81. 673 percussum esse Mommsen statuit, thesauri Montecodruzzensis a. 81. 673 defossi haec exstant: *C. Licinius L. f. Macer.* Mommsen C. I. L. I p. 137 n. 434. *Muenzwesen* p. 235 n. 607.

4) Natus is est a. 82. 672 a. d. V kal. Iun. Plin. n. h. 7, 165. ceterum ex filii nomine Liebaldt p. 2 etiam patri Calui cognomen fuisse collegit. quae sententia inde confirmatur, quod ubi Liuius propriae familiae laudem a Licinio quaesitam esse exprobrat, de C. quodam Licinio Caluo agitur (fr. 16).

De anno historici natali hoc unum licet statuere, eum natum esse ante a. 107. 647 [1]), si quidem a. 66. 688, quo mortuus est, uir praetorius fuit. nomen eius inclaruit in tribunatu a. 73. 681. nam postquam frustra M. Aemilius Lepidus consul, L. Licinius, L. Quintius tribuni plebis deinceps nobilitatis potentiam Sullae dominatione stabilitam euertere aut labefactare conati sunt, re non desperata C. Licinius Macer familiae laudis haud immemor, quamquam omnes collegae aduersariorum partes amplexi erant et discordias ab eo excitari nobiles criminabantur uehementesque in eum concitabantur turbae (Sall. hist. fr. 3, 82, 11; 17 Kr. 48 M.), magno cum ardore et constantia denuo id agere coepit, ut plebi potestatem a Sulla ademptam restitueret, in primis tribuniciam, plebique hoc persuadere studebat, ut, nisi telum illud, ut aiebat, a maioribus libertati paratum redderetur, detrectarent militiam neue, cum nulla pars fructus eis esset, amplius sanguinem suum praeberent. exstat oratio eius, qua Sallustius in historiis (l. s.) eum plebem cohortantem facit, quae si non uerba Macri, lineamenta tamen et sententias repraesentat.[2]) inde non solum fuisse uidetur acerrimus nobilitatis aduersarius sed etiam homo acutus et sagax, quem non fugeret in primis per plebem stetisse, quominus, quae antea eius patronis proposita fuerant, prosperum euentum haberent. itaque et uehementer inuehitur in scelestum seruitium a nobilitate impositum et grauiter incusat plebis ignauiam et torpedinem, quae non ultra contionis locum memor esset libertatis et, quod seruitium esset, otium appellaret. idemque ne credat recte monet nobilitatis delenimentis, quibus eius desideria in aduentum Cn. Pompeii differat. neque tamen oratione sua quidquam profecit. nam plebs artibus illis occupata se decipi passa est. Macer uero etiam alia ratione nobilitatis opes infringebat, ut C. Rabirium, qui princeps fuerat in armis contra Saturninum capiendis eumque interfecisse insimulabatur, accusauit, quod loca ab eo religiosa et luci, in Saturnino opinor oppugnando, uiolati essent (Cic. pro Rabir. p. r. 2, 7). quamquam etiam hanc operam frustra consumpsit. maior enim tum erat nobilitatis potentia, quam ut unus ex eo numero in iudicium ab aduersariis uocatus condemnaretur. quid? quod ne decem quidem annis post cum Rabirius auctore Caesare a T. Labieno trib. pl.

1) Quod Liebaldt p. 7 eum circiter a. 124. 630 natum esse posuit, sola motus est falsa opinione, quam habebat de Sisennae amici aetate.

2) Zielinski (Philol. suppl. IX p. 812) Sallustium (Catil. 44) propius ad ipsam Lentuli epistulam accessisse ex uerborum conformatione conclusit quam Ciceronem (in Catil. 3, 5, 12).

Saturnini occisi crimine postulatus esset, ut meritum de eo supplicium sumeretur, hoc effici potuit (Drumann III p. 161 sqq.). denique cum in multis causis et publicis et priuatis uersatus est (Cic. Brut. 67, 238), tum — incertum quo anno — Tuscorum patrocinium suscepit, ut hunc populum a Sulla agris spoliatum aspereque uexatum corroboraret, corroboratum cum plebe reconciliaret (Meyer or. Rom. rel. p. 387). his autem rebus, etsi pleraeque minus prospere ei cesserunt, tantam sibi comparauit auctoritatem, ut quamuis acriter repugnantibus optimatibus praetor crearetur (Val. Max. 9, 12, 7). tum pro praetore in prouinciam est missus. neque tamen ibi exercitui praefuit, quod Krause p. 234 existimauit. nam quae uerba ut id testentur Nonii s. u. contendere (p. 259) afferri solent: *Licinius Macer in epistula ad senatum: 'Illi suam uitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra sunt uolnera uitae, nouae cicatrici ut locus non sit'* [1]), non de uulneribus in pugnis acceptis sermo est, sed metaphorice de maculis, quibus aduersarii domi ex uita foedissima et turpi obsiti sint. post decessum autem ex prouincia a. 66. 688 Cicerone praetore praesidente in ius uocatus tam grauibus argumentis concussus est, ut etsi a Licinio Crasso gentili, uiro magnae auctoritatis, adiuuabatur, cum spes absolutionis non esset, ipse mortem sibi conscisceret. de hac re duplex est fama, altera Valerii Maximi l. s.: *Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, uir praetorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in maenianum conscendit. si quidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem uidisset, misit ad eum qui diceret se non damnatum, sed reum perisse, nec sua bona hastae posse subici, ac protinus sudario, quod forte in manu*

1) Jordan Herm. 6, 78 hanc epistulam a Licinio, ut administrationem prouinciae defenderet, ad senatum scriptam postea in publicum emissam esse statuit. mihi tamen illa, ex qua quaedam Nonius laudauit, a Sallustio esse ficta et ex eius historiis sumpta uidetur, in quibus complures epistulae inueniuntur, ut epistula Cn. Pompei ad senatum 3, 1 Kr. 2, 98 M., regis Mithridatis ad regem Arsacen 4, 19 Kr. 69 M. (accedit quod fr. illud inter fragmenta Sallustiana apud Nonium exstat), quae sententia ab Hertzio in progr. de hist. p. 4, Gutschmidio l. s. p. 534, L. Muellero ad Non. l. s. probata est. addo nunc eam confirmari etiam Nonii compositione: nam duo sola Licinii fragmenta inscriptione et numero libri ab eo distincta sunt eaque in capite primo atque prius (fr. 6 p. 63, 12) uno exemplo Plautino explicatum, alterum (fr. 21 p. 52, 51) nullo, at uero hoc in quarto in uicinitate Sallustii historiarum (p. 257, 44; 46. 258, 33) multorumque aliorum exemplorum, in quibus quod etiam 'Licinius Macer' occurrit, mihi dubitationem mouit.

habebat, ore et faucibus suis coartatis incluso spiritu poenam morte praecucurrit. qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiauit. igitur illustris ingenii orator et ab inopia rei familiaris et a crimine domesticae damnationis inusitato paterni fati genere uindicatus est. altera Plutarchi in uit. Cic. 9: *Λέγεται δὲ καὶ Λικίννιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ [Κικέρωνος], τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθώς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ κατακλινεὶς ἀποθανεῖν. τὸ δὲ πρᾶγμα τῷ Κικέρωνι δόξαν ἤνεγκεν ὡς ἐπιμελῶς βραβεύσαντι τὸ δικαστήριον.* prior tamen narratio et per se minus probabilis est Valeriique artem sapit, et extrema Plutarchi uerba confirmantur ab ipso Cicerone, qui (1, 4, 2) ad Atticum haec scripsit: *Nos hic incredibili ac singulari populi uoluntate de C. Macro transegimus. cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* quo consensu etiam earum rerum, quae antea narratae sunt, auctoritas augetur.

Qua aetate annales composuerit, non liquet. neque enim ex ea re, quod in oratione, quam Sallustius eum habentem facit, diligentem rerum Romanarum cognitionem ac scientiam ostendit, aliud apparet nisi eum etiam in re publica administranda historiae studio ductum esse neque ut alios scriptores grammaticos uel philologos in sola antiquitate eruenda uersatum.[1]) inscriptio binis locis a Nonio (fr. 6. 21) idque in eo capite, quo accuratius citare solet, et a Prisciano (7. 22) tradita est annalium, uno historiarum a Macrobio (fr. 1). trahimur igitur auctorum numero ad annales, qui titulus etiam propter librorum naturam probabilior mihi est. Libri fuerunt minimum sedecim (fr. 22).[2]) sed quae fragmenta seruata sunt, perpaucis et admodum tenuibus (fr. 22 et inc. sed. 24. 25) exceptis ex solis duobus primis libris excerpta sunt. in his a Romuli Remique pueritia exorsus res Romanas minimum usque ad Pyrrhum deduxerat (fr. 20)[3]), de ceteris libris, quae est testimoniorum inopia,

1) Cf. Niebuhr, praelect. I p. 33. 227. H. R. I p. 350 not. 793.

2) fr. 23 est C. Clodii Licini fr. 3 (Vol. II p. 78).

3) Quas res primus, quas alter liber continuerit, non potest discerni

omni certo iudicio abstinemus, etsi propter librorum numerum Macrum usque ad suam aetatem descendisse et procedente opere copiosius res exposuisse ueri simile est.[1])

Nunc ut ad genus scribendi pergamus, cum Macri uerba perpauca ad nos peruenerint, confugiendum est ad Ciceronis iudicia, qui de eius orationibus sic scripsit in Bruto 67, 238: *C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. huius si uita, si mores, si uultus denique non omnem commendationem ingeni euerteret, maius nomen in patronis fuisset. non erat abundans, non inops tamen, non ualde nitens, non plane horrida oratio; uox, gestus et omnis actio sine lepore; at in inueniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognouerim, sed eam, ut citius ueteratoriam quam oratoriam diceres. hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in priuatis illustriorem obtinebat locum.* de historia (quattuordecim annis post eius mortem) sic de legg. 1, 2, 7: *Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia sed ex librariolis Latinis, in orationibus autem multas ineptias, elatio summam impudentiam.*[2]) artificioso hoc iudicio Cicero infensum suum in eum etiam mortuum animum prodit; nam cum saepe in foro Macro aduersatus esset eiusque uitam moresque atque etiam uultum contemneret, etsi ingenii subtilitatem et urbanitatem ceterorum Atticorum oratorum agnoscebat (cf. orat. 31, 110. Brut. 45, 167), tamen idem Licinio Latinorum rhetorum[3]) ludo disciplinaque exprobrato has laudes

---

quam ob rem fragmenta ex alterutro horum librorum a Liuio Dionysioue seruata infra coniuncta edidimus.

1) Seeck *Kalendert.* p. 52 sq. a Macro hoc opus non perfectum et post mortem eius paulo ante a. 63. 691 (quo Cicero orationem pro Murena habuit) editum esse coniecit; at quoniam altero libro iam usque ad Pyrrhi bellum peruenit, hac suspicione carere possumus.

2) Sic Vahlen in edit. sec. hunc locum multum temptatum constituit; codd. a pr. manu haec exhibent: *multas ineptus [multus et ineptus* ex corr.*] datio summa inpudentia.* unde alii alia elicuerunt, ut A. W. Zumpt *multus et ineptus et adeo summa impudentia,* Bake *multus et ineptus est, clamator summa impudentia,* Nipperdey Opusc. p. 406 *multa, in epistulis relatis summa impudentia,* Halm *multa sunt inepta usque ad summam impudentiam,* Mommsen chronol.[2] p. 95 n. 146 *in orationibus autem multa sed inepta elatio, summa impudentia,* Pluess in Iahn. ann. 99 p. 586 *in orationibus autem multas inde perturbationes (heftige Affecte).* proxime tamen Vahleni scriptura ad codd. uestigia accedit.

3) Sic enim interpretanda esse uerba '*ex librariolis Latinis*' ex eis

detrahit, quibuscum omnino discrepare impudentiam in audendo, quam noui illi magistri corroborarent, obtunderent ingenia, Crassum de orat. 3, 24, 93 disputantem induxerat. reliquit ei solas argutias de subtilitate (Cic. l. s.). itaque Licinius cum uir popularis esset, languorem et inscitiam, quae homine docto indigna esse Cicero existimabat, etiam affectasse uidetur, Coelii autem Graecam historiam aspernatus esse. hic etiam ueterum annalium rationem ita imitatus est, ut res gestas per annos digereret, quae quidem cura diligentiaque usque ad reges Romanos pertinuit; bella quidem Anci Marcii Latinorumque etiam Dionysius, qui in hac parte Licinium secutus est, ita ordinauit.[1]) artem tamen oratoriam non omnino spreuit, quoniam orationum ornamenta historiis inserta fuisse ex Ciceronis illo iudicio, quod ad orationes publice habitas quidam falso rettulere, apparet confirmaturque duobus fragmentis (20. 22). alia eius artis indicia desunt, nec fortuito; Graecorum enim erudita copia eum Cicero spoliauit, quae autem reliquiae ad uerbum excerptae sunt, uix unius uersus modum transeunt.

Sed utcumque de genere eius scribendi existimamus, hac certe re singularem inter aetatis suae scriptores obtinet locum, quod antiquitatis studiis tum efflorescentibus excitatus etiam instituta publica ab origine deduxit (fr. 9. 10) neque satis habuit ueteres annales exscripsisse sed etiam, ut erat homo etiam Cicerone teste diligentissimus et in rebus inueniendis componendisque mire accuratus, idque ita, ut res ipsas spectaret, non quatenus oratorie exornari possent, alia antiqua monumenta indagata et explorata in usum suum conuertit. ut foedus Ardeatinum a. 444. 310 ictum in manibus habuit (fr. 13 c. adn.) maximeque libros quosdam linteos multum adhibuit et laudauit (fr. 13. 14. 15). in his uero libris, qui in aede Iunonis Monetae in arce repositi erant, magistratuum nomina per annos digesta fuisse claro Liuii testimonio satis constat. haec enim ille 4, 20, 8 (fr. 15): *qui si ea in re sit error, quod tam ueteres annales quodque magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, decimo post demum anno cum T. Quinctio Poeno A. Cornelium Cossum*

---

quae antecedunt '*cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa eruditorum Graecorum copia*' discimus, unde de auctoribus ab eo adhibitis cum Schweglero I p. 93 (qui uertit *Buecherschraenke*) cogitare uetamur. uid. Cic. ad Att. 4, 4. pro Balbo 6, 14. Norden *Kunstprosa* p. 176.

1) Eo magis Dionysius exsultat, ubi errores eius chronologicos deprehendit (fr. 11. 12).

consulem habeant et q. s. suppetebant autem Liuio complures libri magistratuum (39, 52, 4. cf. 9, 18, 12), quos, ut omnem suam materiam significaret, cum ueteribus annalibus coniungebat (4, 7, 10: *qui neque in annalibus priscis neque in libris mag. inueniuntur.* c. 20, 8: *quod tam ueteres annales quodque mag. libri — Cossum consulem habeant*). ex his igitur quidam lintei[1]) 'ad Monetae' seruati a Licinio inspecti et citati erant, quorum testimonium si Liuius ex eius annalibus transferebat, et nomen auctoris addebat et de tribus locis bis (fr. 13. 15) etiam originem librorum, ut monetales a ceteris distingueret. itaque quod Fr. Lachmann (De font. Liu. I p. 13) et Hertz in ed. Liuiana in fr. 15 *quosque* pro *quos* scribendum esse uoluerunt, Mommsen chron.[2] p. 208 *libri* ⟨*librique*⟩ *quos*, has coniecturas omisi. haec igitur diligentia Licinii certis testimoniis confirmatur, cum probabilitate autem quadam etiam hoc addere possumus, Dionysium cognitionem suam foederum Gabini (4, 58) et Latini (6, 95) eidem debuisse.

Propter hoc autem studium antiquitatis cum Licinii Macri auctoritatem plurimi aestimasset Niebuhr (H. R. I p. 255. 556. II p. 11. praelect. I p. 33) et post eum Lachmann De f. L. I p. 39 sq., Liebaldt p. 14 sq., Bergk (Fleckeis. suppl. XIII p. 584) aliique, Th. Mommsen (Chronol.[2] p. 95 sqq. *R. F.* I p. 315 sq.) grauissimis eum cumulauit criminibus. non solum enim repetundarum condemnatum esse sed etiam impudentissimum in modum eum res fictas et commenticias pro ueris uendidisse et quae ex libris linteis proferret testimonia, mera mendacia esse. nam quae ille Licinii librorum linteorum auctoritate nisus de tribunorum mil. cons. pot. abdicatione et de L. Papirii Mugilani et L. Sempronii Atratini consulum subrogatione narrauisset, ita cum more et consuetudine illius aetatis (444. 310) pugnare, ut fieri non possit, quin falso ex recentiore aetate in antiquitatem illam translata sint. paucis tamen (Seeckio *Kalendert.* p. 42 sqq. Wachsmuthio *Einleit.* p. 630) id persuasit. nam fundamenta eius sententiae G. F. Vnger (ap. Fleckeis. CXLIII p. 650—655) non solum labefactauit sed etiam destruxit auctoritatemque librorum linteorum restituit. quid enim? tantaene eum fuisse censes impu-

1) In linteis etiam libri Sibyllini scripti erant, Symmach. ep. 4, 84. apud Liuium 10, 38, 6 a Samnitibus 'ex libro uetere linteo lecto' sacrificatur (a. 293. 461) multosque uidit M. Aurelius Anagniae libros linteos ad sacra pertinentes (Front. ep. 4, 4 p. 67 Nab.). cf. Vopisc. Aur. 8, 1. Plin. n. h. 23, 69: *Postea publica monumenta plumbeis uoluminibus, mox et priuata linteis confici coepta aut ceris.*

dentiae, ut de rebus a se fictis prouocaret ad sacros libros (ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων Dion. adn. ad fr. 13), qui in arcis templo repositi essent, cum semper ei uerendum esset, ne quis ex aduersariorum grege in foro siue ex magno, qui tum etiam in nobilitate his studiis uacabat, antiquariorum numero templi tablino inspecto manufestae fraudis eum coargueret et conuinceret famamque eius et publicam et priuatam prorsus subuerteret? ne rumorem quidem eius fraudis tum exstitisse putas? an, si exstitit, ad Ciceronis aures auide talia de aduersariis corripientis non peruenisse? an hunc, qua arderet in Macrum ira et inuidia, suppressisse? denique etiam Q. Aelius Tubero (fr. 6) de consulibus anni 434. 320 libros linteos auctores professus est, atque ex Liuii quidem opinione eosdem, neque eum hanc materiam sumpsisse a Macro inde euincitur, quod eius fide examinata in diuersas partes discedunt, Licinius etiam h. l. ita, ut libros linteos sequi non dubitet, Tubero 'incertus ueri' remaneat. hi igitur libri in eorum numero fuisse uidentur, qui post incendium Gallicum ad rerum Romanarum memoriam restituendam scripti sunt, ut qui hos libros composuere, aut fraudis aut erroris insimulandi sint, non Licinius.

Contra iam Liuius (7, 9, 1. fr. 16), posteaquam a. 364. 390 a C. Licinio Caluo T. Quintium Poenum dictatorem dictum esse secundum Macrum rettulit, haec addidit: *Quaesita ea propriae familiae laus leuiorem auctorem Licinium facit.* causa h. l. exigua fuit. sed nimiae eius familiae laudi obsecutum esse tandem eum paenituisse uidetur.[1]) nam ex Liciniis unum inter primos tribunos plebi primoque loco creatum esse rettulerat (2, 33, 2), alium primum de plebe tribunum militum consulari potestate (5, 12, 9) tantaque eum apud populum auctoritate usum esse, ut eo suasore filius in eius uicem succederet (c. 18, 1 sqq.), qui moderatione sua patrem aequauit (c. 20, 7), tertium item primum magistrum equitum de plebe fuisse (6, 39, 3), denique iam anno 274. 480 Sp. Licinium legem agrariam perferre studuisse (2, 43, 3), legesque Licinias Sextias ab inepta fabula domestica et a communicatis consiliis M. Fabii Ambusti Liciniique generi repetendas esse (6, 34, 11; 36, 7), in quem Licinium Stolones in fastis desinunt. Liuium igitur horum honorum cumulationis, praesertim cum ratio consanguinitatis uanitate tribunorum turbata (Liu. 2, 42, 8) et saepe obscura dissensusque memoriae (Schwegler II p. 481 n. 4) ei molestias pararet, fortasse etiam lumen

1) Cf. supra p. XXXVIII.

Licinii collegae merita inique praeumbrare ei uideretur, pertaesum animi offensionem effudisse non mirabimur similiterque de Valerio Antiate Liuii seueritatem ingenii crescente opere auctam esse recordabimur (uid. p. CCCXXIV). hoc uero uitium cum omnium historicorum Romanorum commune fuerit, gentilium suorum laudes ultra modum ueritatemque amplificare, Macrum etiam id egisse consentaneum est, ut non solum suam familiam ultra alias plebeias extolleret sed etiam plebi in memoria Romana sua iura constitueret aequaretque quantum posset patriciis. quae ratio quamquam in solo fr. 18 elucet, tamen Liuium diuersas partes pro sua quamque orationes dicentes induxisse et, qua erat moderatione et iustitia, res ita descripsisse infra uidebimus, ut saepe etiam plebis causae faueret. atqui proxime Licinio antecesserat in historia Valerius Antias, cuius artem prolixa narratione fabulisque res exornandi ita superabat, ut antiquariorum more res ipsas ad auctores quam maxime fide dignos reuocaret ingeniique sui acumine memoriam eius exploraret, cuius rationis in fr. 14 exemplum habemus, ubi Valerii consulum indicem libris linteis refutauisse uidetur.[1]) ita uero non solum ueritatem spectabat, sed etiam Valerios in fastos fraude gentili insertos exturbabat, ne nimia illorum honorum multitudo suos gentiles obscuraret, nouasque interpolationes auctoritate ueteris gentis Fabiae eiusque cum Licinia iuncta affinitate scite fulciebat, in quam fauore quodam se inclinasse etiam fr. 19 prodidit cuiusque popularitas Claudiano fastidio patricio aliquot alterius pentadis locis apud Liuium opposita a Licinio in annales intrusa esse Soltauio (*Livius* p. 119 sqq.) uidetur.

Nihilo minus a principatu Fabianae historiae desciuit grammaticorum inquisitionibus et dubitationibus contra illius fabulas occupatus atque studio ex aliis annalibus, qui minus uanitate gentili infecti essent, uetustatis Romanae cognitionis amplificandae et corrigendae ad Cn. Gellium delatus est[2]), quem item inter antiquarios, quos artis oratoriae taederet, supra posuimus (p. CCIX sq.). testificatur hoc Dionysius Halicarnasensis, qui Gellium ter (fr. 11. 16. 17)

1) Vsus Antiatis apud Licinium indicia etiam O. Bocksch (*De fontibus libri V et VI ant. Rom. Dionysii Hal. quaest.* diss. Lips. 1895 in stud. Lips. XVII p. 161—274. uid. max. p. 233) conspexit, illum cum alio auctore a Liuio per magnam primae decadis partem contaminatum esse Nitzsch *Annal.* p. 351 sqq. posuit.

2) Inuertit tempora Kiessling De Dion. f. p. 31, quod Licinio Gellium inferiorem fuisse posuit.

in libro II auctorem professus aliis locis tacite exscripsit (cf. infra p. CCCLXII), tum uero eundem semel in libris IV. VI. VII cum Licinio consociatum, nusquam praeterea, primo loco (fr. 18), ut in eorum consensu discrepantiam quandam notaret Liciniumque praeferret, ceteris (fr. 19. 20) ut utrumque propter neglegentiam in temporibus definiendis reprehenderet. atqui a probabilitate per se nec illud abhorret Dionysium Gellii cognitionem omnino Licinio debere, nec hoc eum dubitatione sua de illius auctoritate (fr. 16. 17) motum ad Licinium defecisse. uerum tamen Dionysius eadem nota (fr. 19. 20) eos uituperauit, ut utrumque ei in manibus fuisse et aut ab ipso aut a tertio aliquo auctore erroris conuictum esse ueri similius sit, tum Bocksch diligenti sua disputatione, qua multas aliorum opiniones recte refutauit, eo peruenit, ut per ampla spatia archaeologiae usque ad librum quintum Licinium primo loco in usum uocatum esse statueret, deinde uero non ipsum sed alium scriptorem, qui eo auctore usus esset. quod si se recte habet, nihil obstat, quo minus simili ratione a Dionysio primo Gellium solum adhibitum esse, deinde in libr. V. VI. VII, cum cum Licinio comparatus esset, aut utrumque nominatum (4, 6) aut solum Licinium (5, 47; 74), denique in ceteris libris (VI fr. 11. VII fr. 12) utrumque propter neglegentiam de primo loco sepositum esse censeamus (cf. infra p. CCCLXII sq.). hoc quidem constat Licinium Gellium ita secutum esse, ut Dionysius eorum auctoritates coniungere et perraro discrepantias de leuibus rebus animaduertere posset. quod autem hoc potissimum par scriptorum elegit, ratione τοῦ εἰκότος factum est, quam in Cn. Gellii annalibus inuenerat et laudauit (2, 31. fr. 11), quo eodem studio ductus Licinius fabulis Fabianis spretis ab initio res Romanas pertexuit (fr. 1). socordiae autem eum ideo cum Dionysio non condemnabimus, quod cum Gellio Tarquinium Superbum in pugna Regillensi nonagenarium ab equite conflixisse narrauit (fr. 11) aut legatos Romanos a. 492. 262 Syracusis Dionysium regnantem (fr. 12) inuenisse. quam saepe ipse in idem crimen incurrit!

Denique ut unde exorsi sumus redeamus, Licinium antiquariorum recentibus studiis et doctrina instructum ultra fines annalium scriptorum euagatum etiam monumenta illis patefacta conquisiuisse — nam de foederis Ardeatini ueritate ne Mommsen quidem (chron. p. 94) dubitauit — denuoque Niebuhrii laudes confirmatas esse demonstrasse nobis uidemur, quas etiam Gutschmid p. 535, Schanz I 2^3 p. 109, alii redintegrauerunt.

Ipsi primam eius historiarum notitiam habemus apud Cicero-

nem l. s. s., quem tamen quod Mommsen (Chron. p. 95 sq.) in epistula ad Paetum fort. a. 46. 708 data (uid. adn. ad fr. 13) consules a. 443. 311 et primos censores a. insequentis haurire non potuisse nisi e Licinii mendaciis conclusit, ea coniectura simul cum restituta librorum linteorum auctoritate concidit.

Ex insequentis aetatis scriptoribus Liuius septem (fr. 13—19), Dionysius sex locis (fr. 5. 8—12) nominatim Licinium Macrum laudarunt, atque hic eum in nobilium historicorum Romanorum numero posuit (1, 7, 3 *οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων*), a quorum lectione in scribendo ipse profectus esset. apud Liuium uero eius usus prima decade continetur, in cuius libris solis IV. VII. IX. X eius mentio facta est. quaeritur, num etiam aliis locis eum consuluerit. sed accuratius in eam rem inquirere non est huius loci. nam etsi Nitzsch (*Annal.* p. 267 sqq. 351 sqq.) et Soltau (Fleckeis. ann. CLV p. 409 sqq. *Livius* p. 104 sqq. 209 sq.) a diuersis initiis exorsi per totam paene decadem (lib. II—X) uestigia Licinii manufesta a se indagata esse putauerunt, ita ut ille non solum certas quasdam particulas (ut 2, 29—33) ex eo deduceret sed etiam per maiores partes eius annales subesse statueret, hic multas paragraphos et capita aliquot ad eum referret primamque decadem inter Valerium, Pisonem, Macrum Tuberonemque partiretur, tamen praeter eius popularitatem nihil certi hinc ad indolem eius operis depingendam redundat. itaque me intra fines libri quarti continui, in quo cum ad intestinas dissensiones accederet[1]), largam materiam et rerum et orationum apud eum reperiebat et praeter Aelium Tuberonem et Valerium Antiatem, qui uno loco de eadem re, de qua etiam Macer, citati sunt, solus Licinius Macer tribus locis — isque semper cum librorum linteorum auctoritate coniunctus — nobis occurrit. nam in hoc etiam alia tacite ex eodem sumpta esse uidentur, ut 4, 13, 7 librorum linteorum commemoratio, quos certe ipsos Liuius non inspexit (c. 20, 3. fr. 15)[2]), c. 8, 7 L. Papirii Mugilani et L. Sempronii Atratini censura, quae tam arte cum eorum consulatu (fr. 13) conexa est, ut utraque res non possit non esse repetita ex eodem auctore (Mommsen chron.² p. 95 sq.). deinde quoniam ceteris locis Liuius haud ita plebi fauet patrumque partes amplecti solet, iure offendunt quae c. 51, 5 de patrum aperta iniuria conqueritur: *Aptissimum tempus fuerat uindi-*

1) De his Soltau l. s. Fleckeis. ann. p. 417—423 pluribus disputauit.

2) Infra hunc locum Licinii reliquiis subiunximus, et quia dubitari uix poterit, quin ex Macro sumptus sit, et ut omnia librorum linteorum fragmenta coniuncta haberes.

catis seditionibus delenimentum animis Bolani agri diuisionem obici, quo pacto minuissent desiderium agrariae legis, quae possesso per iniuriam agro publico patres pellebat: tunc haec ipsa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos ui teneret, pertinacem nobilitatem esse, sed ne uacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi diuidere, mox paucis ut cetera futurum praedae. non ignotae apud Liuium hae querellae sunt; at ceteris locis eas tribunos pl. proferentes fecit (c. 49, 11. 53, 6. cf. 6, 5, 4; 36, 11; 37, 2; 39, 10) ut idem aduersarios leges agrarias improbantes, hoc suam sententiam profitetur, quae ambiguitas explicari non potest nisi eum plebeia auctoritate occupatum haec scripsisse censemus, i. e. Licinii Macri. eundem uero animum spirat libri initium, quo contentionem de lege Canuleia (c. 1—6) narrauit. primo enim consules contra furores tribunicios oratione obliqua acriter inuehuntur, tum Canuleius tribus capitibus oratione diligenter multis exemplis ex historia repetitis exornata modeste respondet, denique Liuius hac clausula narrationem finiuit[1]) (c. 12, 7): *coepere a fame mala, seu aduersus annus frugibus fuit, seu dulcedine contionum et urbis deserto agrorum cultu. nam utrumque traditur.* ipse igitur auctores diuersarum partium significauit.

Quae tamen repperimus Licinii Macri uestigia, omnia pertinent ad res intestinas: de bellis cum Aequis, Volscis, Veientibus, Fidenatibus aliisque ciuitatibus gestis alium auctorem uidetur secutus esse. nec in sequentibus libris ullo loco Macrum exscriptum esse cernimus praeter eos locos librorum VII. IX.[2]) X, quibus nominatim laudatur, et alium libri X locum, quo et Licinius et Tubero significantur. est is in cap. 11, 9, ubi quod haec scripsit de anno 299. 455: *Caritas etiam annonae sollicitam ciuitatem habuit, uentumque ad inopiae ultimum foret, ut scripsere quibus aedilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni eius uiri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonae dispensatione praeparando ac conuehendo frumento fuisset,* aperte ad illos auctores respicit, ex quibus in cap. 9, 10 (fr. 19) in eum annum Q. Fabium aedilem factum esse rettulerat. atque haec quidem hactenus.

---

1) Quae in editione priore breuiter de his Licinii uestigiis adumbrauimus, pluribus Soltau *Livius* p. 109 sqq. exposuit.

2) Vbi in hoc libro (fr. 18) Macer laudatus est, tenor narrationis secundum Pisonem pertextus esse, etiam in libro X postquam c. 9 (fr. 19) Macrum nominatim attulit, c. 13 Pisonem tacite exscribere uidetur. uid. supra p. cxc sq.

Multo uero plura Licinii fragmenta ex Liuio elicere eidemque certiora de annalium eius indole proferre possemus, nisi casu ita accidisset, ut tum demum Liuius eis uti inciperet, ubi integri Dionysii libri deficiunt. nunc uno modo loco, qui est in fine libri XI Dionysii et in principio libri IV Liuii (uid. fr. 13 c. adn.), quae partes ab illis historicis secundum Macrum pertextae sunt, inter se contingunt. sed Dionysius eum citauit in libris II (fr. 5), IV (fr. 8), V (bis fr. 9. 10), VI (fr. 11), VII (fr. 12) ususque eo est ita, ut in Cn. Gellii locum eum substitueret eosque etiam ter consociaret (uid. p. CCLIX), tum uero nescio cuius iudicio propter temporum incuriam ab eis deterritus (fr. 11. 12) alii auctori se addixisse uidetur; extremo tamen libro XI (c. 62) eum ad Licinium rediisse consensus cum fr. 13 (apud Liuium) docet. sed etiam praeter hos locos apud Dionysium eius usus subest. nam quae de bellis ab Anco gestis 2, 38 et 39 memoriae tradidit, ex Macro tracta esse fragmento 8 (uid. adn. ad h. l.) comparato computauit Kiessling De Dion. font. p. 30 sq. idemque p. 33 cum Liebaldtio p. 15 foedus Gabinum (4, 58) et Schweglerum (II p. 307 sqq.) secutus foedus a Cassio cum Latinis ictum (6, 95) ad Macri auctoritatem de coniectura rettulit. hoc enim monumentum in columna ahenea Cicero cum pro Balbo (23, 53) diceret, meminit *nuper post rostra incisum et perscriptum fuisse*, tum igitur ipse uidere non potuit, multoque minus quinquaginta fere annis post Dionysius. qui quod nihilo minus, quid in illo scriptum esset, inseruit, aperte alii auctori eius notitiam debet, quem neminem ueri est similius fuisse quam Macrum, talium rerum curiosum scriptorem.[1]) contra denuo intricata est haec quaestio, si eius de Sp. Maelii caede narrationem ex primis insequentis libri capitibus excerptam cum Liuio comparauerimus.[2]) hic enim commemoratione librorum linteorum (4, 13, 7) quasi digito Licinium Macrum monstrauit Maeliumque quod 'regnum esset aggressus' iure caesum esse L. Quinctium dictatorem professum multis ex historia Romana sumptis exemplis exponentem induxit bonaque eius a quaestoribus ueniisse et in publicum redacta esse addit: Macer igitur regni crimen a causa plebis tribunisque separauit, qui nusquam Maelio adsunt et post eius

1) Nitzsch librum suum ita conclusit (*Annal.* p. 351 sqq.), ut Dionysio in scribendis libr. V—IX suspicaretur fuisse auctorem, qui duas diuersas famas contaminasset, eumque fuisse Licinium Macrum. at modum longe supergressus est, ut praeter alios etiam Bockschio uisum est.

2) Dion. 12 c. 1—4. Liu. 4, 13—16. Vid. Schwegler III p. 131—139. Mommsen *R. F.* II p. 199—220.

necem hanc indignitatem queri non desinunt (c. 16, 5). eandem autem famam etiam Dionysius secutus est, idque ita, ut materia Graecorum de tyrannis declamantium usus horum consilia dolosque prolixe explicaret suamque ipse artem dicendi ostentaret, cui quidem indulgens multa omisit, quae non quadrarent (nisi hoc eius qui excerpsit culpa factum est), alia mutauit, uelut Maelium priorem cultro arrepto ui se defendisse eumque a multitudine irata quasi bestiam esse obtruncatum (c. 2, 7). nihilo setius non solum in summa argumenti Liuius Dionysiusque inter se concordant, etiam in ipsa descriptione quaedam eiusdem originis remanserunt; nam ut hic Minucium indicium suum apud senatum longa oratione exponentem fecerat (Dion. 12, 1, 15), sic Liuius breuiter oblique (4, 13, 9) atque uterque Seruilium Maeliumque ante necem inter se colloquentes (Dion. c. 2, 4—7. Liu. c. 14, 3—5).[1])

Post Tuberonem (uid. infra p. CCCLXIX sq.), Liuium, Dionysium Licinii auctoritas inobseruata uel neglecta iacuit, nisi, quae C. Cichorii coniectura est[2]), illa factum est, ut nobiles rerumque scriptores ternis nominibus uti solerent. ne Varro quidem hos annales ab obliuione tuitus est, ex quo Censorinus (fr. 3) et Macrobius (fr. 1. 4) pauca sua fr. sumpserunt, plura, fortasse Probi Berytii aetate excerpta, grammatici, qui soli etiam libros post primum citauerunt, Nonius (fr. 6. 21. 24. 25) et Priscianus (fr. 7. 20 tribus locis. 22 cf. 26)[3]), unum etiam Diomedes (adn. ad fr. 22) exhibet; quibus riuulis fr. 2 in Ioannis Malalae opus (inde in alia Byzantina) deductum sit, nos fugit.

Denique ne quid frustra hic quaeratur e numero fragmentorum, quae apud Krausium et Rothium habes, consilio explosum est hoce, quod est apud Solinum (c. 2, 12): *Licinio placet a Messapo Graeco Messapiae datam originem, uersam postmodum in nomen Calabriae,*

1) Dionysius hanc famam probabiliorem quam Cincii (fr. 6) Pisonisque (fr. 21) esse dixit, quam ei adnexuit, cum hi ἐπιχώριοι συγγραφεῖς essent. quae causa nisi in excerpto turbata est, Dionysius significasse uidetur se Graeco scriptore usum esse. ita per hunc Macri fama ad eum translata esset, uid. s. p. cxxxiv, quae quidem originem ex priuatis monumentis familiae Seruiliae ducere uidetur, Mommsen l. s. p. 199. 209. cf. s. p. xxxvii sq.

2) *De fastis consularibus antiquissimis* in stud. Lips. IX p. 186 sq. contra eum disputauit Vnger ap. Fleckeisen. 141 p. 313 sqq.

3) Liebaldt p. 14 etiam alium locum, ut opinabatur, ex Prisciano citauit (I p. 13 H.): *Auctoritas quoque tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet literarum.* is tamen non est Licinius sed Pompeius Macer, 'cui ordinandas bibliothecas delegauerat' Augustus (Sueton. Caes. 56, 7). cf. Hertz a. h. l.

quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominauerat. ubi de nomine auctoris has adnotauit discrepantias Mommsen: '*liciniano* codd. cl. primae (*liciano* L). *Luciniano* alt. class. (*Lutiniano* S. *lucinio* H.') quibus heptadis Bonnensis opinio firmari uideatur in Granii Liciniani fragmentis illa uerba ponentis (p. 47). at eandem rem habes expositam in Plinii naturali historia 3, 99: *Graeci Messapiam a duce appellauere et ante Peucetiam a Peucetio Oenotri fratre in Sallentino agro.* uides igitur ex ea quae intercedit inter Plinium et Solinum cognatione, eundem auctorem esse descriptum a Plinio quem a Solino. in Plinii autem auctoribus non inuenitur Granius Licinianus, contra saepissime ab eo est adhibitus Licinius Mucianus, modo sic (in ind. libr. III. IV. V. VI. VII. V 83. VII 36. IX 68), modo simpliciter Mucianus appellatus, qui librum Pliniano simillimum de naturali historia composuerat atque etiam in tertii libri indice, in quo illa de Messapiae nomine protulit Plinius, recensetur. itaque nullus dubito, quin apud Solinum quoque hic Licinius Mucianus sit intellegendus et apud eum aut *Licinio* sit scribendum aut, quod mihi magis placet, *Licini<o Muci>ano.* quae scriptura nescio an commendetur quorundam codicum scripturis *luciniano* uel *lutiniano* uel *lucinio.* neque quidquam ualet contra hanc sententiam Isidori inscientia, qui rem ipsam ad uerbum ex Solino transtulit, pro auctoris tamen nomine nescio quem historicum in animo habens scripsit *historiis* [an *historicis?*] *placet.* uid. Vol. II p. XC—XCII. 101—107. tum uero ne apud nos quidem fr. 23 iure locum suum seruat. est enim C. Clodii Licini et nunc eius fragmentis (Vol. II p. 78) insertum, id quod inscriptio suadet. nam Nonius semper 'Licinium Macrum' citauit. uncis tamen id circumscripsisse, ne numeri turbarentur, satius esse putaui.

Difficilius lis est dirimenda inter Licinium Macrum et Aemilium Macrum poetam, qui haud raro inter se confusi sunt. atque apud Nonium quidem (s. u. prosecta p. 220) nulla est dubitatio, quin, cum *Licinium Macrum in Hornithogonia* afferret, Nicandri illum imitatorem suis uerbis spoliauerit[1]), nec apud Priscianum (fr. 22), quoniam annalium inscriptio (ut fr. 7) addita est. num uero Plinii uerba mutanda sint, controuersia est. in huius enim indicibus libr. IX. X. XI. XVII exstat Aemilii Macri nomen, tum in ind. libr. XIX. XXI. XXII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXII Licinii Macri, quae diuisio, quamquam per se sane mira est, tamen nos de librorum deprauatione

1) Apud Baehrensium in fr. poet. Rom. est Aemil. Macri fr. 3 p. 344.

cogitare non coget. sed ei loci, quibus in ipsa enarratione Aemilii uel Licinii auctoritates nobis occurrunt, sunt hice libri 32, 9: *homines quibus impactus* [lepus marinus] *est piscem olent; hoc primo argumento ueneficium id deprehenditur. ceterum moriuntur totidem in diebus quot uixerit lepus, incertique temporis ueneficium id esse auctor est Licinius Macer.* et paulo post 14: *Licinius Macer murenas feminini tantum sexus esse tradit et concipere e serpentibus, ut diximus (ob id sibilo a piscatoribus tamquam a serpentibus euocari et capi), et pinguescere, iactato fusti non interimi, easdem ferula protinus.* quorum uerborum argumenta ut prorsus abhorrent ab annalibus, ita optime quadrant in carmina scriptoris alicuius, qui Nicandrum imitatus (Quint. inst. 10, 1, 56) talia composuerit qualia ille eiusque similes poetae, uel Ornithogoniam uel Theriaca uel Alexipharmaca, cf. Ouid. trist. 4, 10, 43:

Saepe suas uolucres legit mihi grandior aeuo
quaeque necet serpens, quae iuuet herba, Macer.

tum pro hac sententia faciunt argumenta librorum, in quorum indicibus Licinius Macer auctor inuenitur: XIX de herbarum quarundam et radicum naturis, XXI continentur naturae florum et coronamentorum, XXII auctoritas herbarum, XXVIII—XXX medicinae ex animalibus, XXXII medicinae ex aquatilibus, quibus quae in priore naturalis historiae parte ex 'Aemilio Macro' se excerpsisse Plinius indicibus significauerat (de naturis aquatilium IX, insectorum XI, satiuarum arborum XVII), suppleta sunt, ut in altera (32, 14) ad locum quendam prioris (9, 76) ut eiusdem auctoris se referre potuerit. itaque quamuis repugnante Liebaldtio (p. 12 sq.) cum Vngero (*De Aemil. Macro* p. 15. *De Valgio Rufo* p. 211), Brunnio De ind. Plin. p. 30, Rothio p. 367 omnibus illis locis Licinii nomine expuncto, cum siue ipsius Plinii siue librariorum errore intrusum sit, Aemilius Macer reponendus est.

Q. AELIVS TVBERO[1])

Aeliorum Tuberonum familia et uitae simplicitatis seueritatisque et doctrinae litterarumque laude per complura saecula floruit, primusque, de quo compertum habeamus, Q. Aelius Tubero, Aemiliae Africani minoris sororis filius, L. Aemilii Pauli nepos, inclaruit. is princeps Romanorum totum se addixerat stoicae uitae ac disciplinae, usque adeo, ut non solum domi seuerus ac parcus esset sed etiam publice, cum Africani mors honestanda esset, summam ostentaret simplicitatem. in re publica stabat ab optimatibus, ut Tib. Gracchum, cum eius amicus fuisset, rem p. uexantem derelinqueret et postea in Gaium fratrem haud frustra complures orationes haberet. neque tamen, ut ait Cicero, maiorum honoribus respondere potuit. erat enim ut uita sic etiam oratione durus, incultus, horridus, neque placuit stoica eius iactatio populo, qui eius sapientiam in morte Africani celebranda tam grauiter tulit, ut praeturae spe eum deiceret. num postea eam adeptus sit et ad summum honorem escenderit, etsi Pomponius (de orig. iur. 40) id tradidit, nescimus; neque enim apud Ciceronem, cui pleraque de eo debemus (Brut. 31, 117. pro Muren. 36, 75. Lael. 11, 37. 27, 101), usquam eius magistratuum fit mentio, nisi eum tribunatu functum esse.[2])

Multo maius eius fuit nomen in litteris, quibus dies noctesque summa cum adsiduitate operam dabat (Cic. de or. 3, 23, 87). atque primum quidem audiebat Publium Mucium et Brutum et Manilium, qui ius ciuile fundauerant (Pompon. l. s. s.), tum uero Panaetium philosophum, inter cuius discipulos praecipuum locum obtinuit, cum non solum eius condiscipuli sed etiam ipse Panaetius libros quosdam ad eum miserint[3]), Cicero autem ei partes quasdam colloquii de re publica instituti tribuerit.[4])

---

1) Vid. adn. ad p. CCCL.

2) Recte enim Schuetz Brut. l. s. pro triumuiratu, quae codicum scriptura explicari nequit, substituit tribunatum. — Cf. Zeller *Gesch. d. gr. Philos.* III 1[3] p. 535 sq.

3) Cic. de offic. 3, 15, 63. de fin. 4, 9, 23. Tuscul. 4, 2, 4 cf. acad. 2, 44, 135.

4) De re p. 1, 19, 31. ad Q. fr. 3, 5, 1. ad Att. 4, 16, 2.

Huius forsitan nepos fuerit L. Tubero, ei et uita et doctrina similis, 'homo cum ingenio tum etiam doctrina excellens' (Cic. pro Lig. 4, 10), cum Cicerone una domi eruditus, in militia contubernalis, eorundem studiorum uinculo coniunctus, in omni denique uita familiaris (Cic. pro Lig. 4, 10). is Q. Ciceronem, cum a. 61. 693 in Asiam prouinciam abiret, legatus secutus est (Cic. ad Quint. fr. 1, 1, 3, 10) et quattuor annis post ex Asia decedens ea re de Marco bene meritus est, quod quas insidias ab exulibus coniuratis ei paratas esse audiuerat, ad eum Thessalonicam detulit (Cic. pro Planc. 41, 100. cf. Drumann V p. 642). bello ciuili exorto ex senatus consulto Africam prouinciam sortitus cum Q. filio iuuene eo profectus est. interea tamen P. Attius Varus prouinciam iam occupauerat, eiusque iussu Q. Ligarius Tuberonem Vticam uenientem, etsi filius ualetudine affectus erat, portu atque oppido prohibuit, quare ille sublatis ancoris ad Cn. Pompeium in Macedoniam se contulit, ubi filius armatus pugnae Pharsalicae interfuit (Cic. p. Lig. 3, 9. 8, 23 sqq.). tum uero uenia a Caesare uictore impetrata Romam reuersi Q. Ligarii odio ita indulserunt, ut, cum ne ex exilio reuocaretur, timerent, Q. Tubero filius apud eundem Caesarem dictatorem, quocum ipse armis congressus erat, Q. Ligarium, quod in aduersariorum parte fuisset, accusaret (a. 46. 708). atque hic quidem et Caesaris clementia et Ciceronis deprecatione absolutus est, Q. autem Tubero cum rem non obtinuisset apud Caesarem, a causis agendis ad ius ciuile transiit ibique praeter ceteros floruit. haec enim de eo Pomponius (l. s. 46) rettulit: *Post hos Quintus* [sic emend. Mommsen, *quoque* libri] *Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. fuit autem patricius* [*patronus* scrips. Mommsen] *et transiit a causis agendis ad ius ciuile, maxime postquam Q. Ligarium accusauit nec optinuit apud Gaium Caesarem* [cf. Quint. 11, 1, 23; 78. Meyer orat. reliq. p. 501 sq.]. — *Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici et priuati et complures utriusque operis libros reliquit: sermone etiam antiquo usus affectauit scribere et ideo parum libri eius grati habentur.* sed iam sua aetate multos nanctus est, qui eius iuris scientiam admirarentur, sic Ciceronem, de cuius existimatione Gellius (1, 22, 7) haec tradidit: *M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est 'de iure ciuili in artem redigendo', uerba haec posuit: 'Nec uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit'. in quo loco 'superfuit' significare uidetur 'supra fuit et praestitit superauitque maiores suos doctrina sua, superfluenti tamen et nimis abundanti'. disciplinas enim Tubero stoicas et dialecticas percalluerat;* tum etiam

Varronem, qui in epistolicis quaestionibus, quid facere dicereque iuberet eum, qui senatum consuleret (post triumuiratum rei p. constituendae[1]) exposuerat; hanc enim quaestionem idem Gellius 14, 7 abbreuiauit et in capite subsequenti (8, 2) haec addidit: *M. autem Varro in quarto epistolicarum quaestionum et Ateius Capito in coniectaneorum VIIII ius esse praefecto senatus habendi dicunt; deque ea re adsensum esse Capito ⟨Varro⟩nem*[2]) *Tuberoni contra sententiam Iunii refert: 'Nam et tribunis' inquit 'plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum'*. eundem autem Capitonem (mortuum a. 22. 775, uid. Funaioli p. 563 sqq.) Tuberonis auctoritatem magni fecisse ex eius ipsius uerbis apparet, quibus epitomen illam clausit: *Sed quod ait* [Varro] *senatus consultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis aut per discessionem, parum conuenire uidetur cum eo, quod Ateius Capito in coniectaneis scriptum reliquit. nam in libro VIIII Tuberonem dicere ait, nullum senatus consultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatus consultis etiam in iis, quae per relationem fierent, discessio esset necessaria, idque ipse Capito uerum esse affirmat.*[3]) etiam usque ad digesta eius auctoritas mansit (uid. Bremer Iur. anteh. q. s. p. 358—367). Sed ut nunc ad L. Tuberonis studia litterarum accuratius explicanda reuertamur, fuisse eum, ut Quintum maiorem, philosophum uel stoicum uel academicum (Zeller l. s. III 2^2 p. 10 sq.), neque eum ignobilem, et ex Photii bibl. cod. 212 p. 169 Bk. uidemus: *γράφει δὲ τοὺς λόγους* [*Πυρρωνίους*] *Αἰνησίδημος προσφωνῶν αὐτοὺς τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τινὶ συναιρεσιώτῃ Λευκίῳ Τοβέρωνι* [sic enim cod. A., *Νέρωνι* uulgabatur], *γένος μὲν Ῥωμαίῳ, δόξῃ δὲ λαμπρῷ ἐκ προγόνων καὶ πολιτικὰς ἀρχὰς οὐ τὰς τυχούσας μετιόντι*, et ex eo quod Varro unum ex logistoricis inscripsit *Tubero de origine humana* (Ritschl *De logist.* Opusc. III p. 404. 414), sed eundem historiae operam dedisse ex eis quae a. 60. 694 Cicero ad Q. fratrem scripsit (1, 1, 3, 10), ubi ut ministros quam optimos habeat, hortatus *quamquam*, inquit, *legatos habes eos, qui ipsi per se habituri*

1) Quoniam eius in Gellii epitome mentio fit, Gellii loci ad antiquiorem Q. Tuberonem cum Nipperdeio Opusc. p. 408 transferri non possunt.

2) *Capitonem* libri emend. Hertz.

3) Quid 'Aelius Tubero' libro ad Oppium scripto tractauerit, unde formam antiquam Probus Berytius 'occecurrit' excerpsit (ap. Gell. 6, 9, 10), incertum est.

sint rationem dignitatis suae, de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos uelit et possit imitari.[1])

At uero eius Tuberonis, cuius historiae fragmenta quaedam exstant, praenomen Quinti fuit. sic enim Liuius 4, 23, 3 (fr. 6) eum citauit[2]): *Valerius Antias et Q. Tubero - - consulem edunt*, quae ipsa scriptura codd. est (*etq̄.* Medic. *etq.* ceteri). quodsi G. F. Vnger (Fleckeis. 143 p. 320 sq.) et Soltau (Herm. XXIX p. 631 sqq.), praesertim cum Liuius auctores suos raro praenomine distinxisset, 'Valerius atque Tubero' scripserunt, coniectura Quintum ex historicorum numero expulerunt, qui de Caesaris uita bis a Suetonio citatus (fr. 11. 10 A) aut haud dubie aut probabiliter restitutus locum suum tuetur, apud Liuium autem ea de causa hic duobus nominibus utitur, ne, ubi primum prodit, iuxta Licinium Macrum, qui post illos affertur, et Valerium Antiatem altero nomine careat.[3])

Duo igitur Tuberones in historia scribenda uersati sunt. qui tamen fragmenta Tuberonis citauerunt, praeter Liuium et Suetonium uno nomine ea distinxisse satis esse duxerunt, neque Dionysius (fr. 3), qui arta consuetudine cum Tuberonum familia coniunctus erat, si

1) A Plutarcho in uit. Luc. 39 Tuberonis stoici (*τοῦ Στωικοῦ Τουβέρωνος*) dictum aliquod affertur, quo cum Licinii Luculli opera et substructiones Neapoli uidisset, eum Xerxem togatum appellauerat. sed cum illa aetate is Tubero, qui praeter ceteros stoicus nominabatur, iam diu mortuus esset, pro *Στωικὸς* Ruhnken ad Vell. 2, 33 substituit *ἱστορικός*. quae tamen coniectura, etsi stoicum illum non posse intellegi Ruhnken recte animaduertit, non est probanda. ipse per errorem a Plutarcho hunc Lucium, qui erat academicus, stoicum dictum esse censeo. Ceterum Plinius n. h. 9, 170 hoc apophthegma Pompeio Magno uindicat.

2) Vossius I c. 12 c. 56 hunc Liuii locum neglexerat, cum Lucium has historias condidisse diceret. eum redarguit Lachmann De f. L. I. p. 40. II 26. ipse ut difficultatem solueret opus historicum a patre incohatum hereditate filium accepisse et perfecisse suspicatus est, quae opinio a probabilitate non abhorret, fundamento tamen caret. is L. Aelius, quem Gellius 5, 21, 6 post M. Catonem, Q. Claudium, Valerium Antiatem cum P. Nigidio et M. Varrone testem citat, non est Tubero, ut Krausio p. 322 placuit, sed Stilo (cf. Kretzschmer *De Gell. font.* p. 41), recte nunc in editionibus restitutus.

3) Liuium talis aequalitatis rationem habere ex eis locis discimus, ubi iuxta Coelium alibi uno nomine distinctum etiam Valerii uno contentus est (28, 46, 14. 29, 35, 2); praetera moneo etiam Fabium Pictorem, ubi primum, duobus nominibus citatum esse (1, 44, 2).

plures rerum scriptores Aelios Tuberones nouisset, sic simpliciter praenomine omisso scripsisset *Τουβέρων Αἴλιος, δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής.*[1]) optio autem si inter Lucium patrem et Quintum filium datur, huius (Quinti) doctrina, ut Gellius 1, 22, 7 id uerbum explicuit, superfluens et nimis abundans fuit. quid? quod 'Tuberonem' etiam librum aliquem astronomicum confecisse Plinius testis est (n. h. 18, 235 cf. German. schol. p. 132 Br.), cuius argumentum et ipso hoc fragmento et uicinitate Tuberonis in indice eius libri 'L. Tarutii, qui Graece de astris scripsit, et Caesaris dictatoris qui item' indicatur, praenomen Quinti indice libri alterius, ubi Titum Caesarem imp. sequitur, 'qui de acontia cometa praeclaro carmine perscripserit' (2, 89), et libri XXXVIII. denique officiorum publicorum rationis et ordinis eundem peritum aliisque, etiam Varroni idoneum auctorem eum uisum esse ex Gellii l. s. cognouimus. doctrina igitur eius ab historia non afuit neque habemus, cur de scriptura codicum Liuii dubitemus. contra Lucius pater magis philosophiae erat addictus eoque studio inclaruit. quodsi Cicero amicus de eius historia uerba fecit, in publicum eius cognitio ita non peruenit, ut si de tali opere sermo esset, Quintus filius omnium animos occuparet neque praenomen addi soleret. atqui cum Dionysius (a. 30. 724) Romam migrasset, perlustratis poetis et rerum scriptoribus 'Quinti Aelii Tuberonis' (sic eum sollemniter alloquitur) admonitu de Thucydide librum suum composuit et ad eundem, cui nihil ueritate pretiosius esset, misit (c. 1 p. 325 Vs. c. 55 p. 418. cf. de Thuc. propriet. c. 1 p. 421), atque hic certe fuit ille uir *περὶ τὴν συναγωγὴν ἱστορίας ἐπιμελής*, cuius de Lupercalibus famam, ut hoc honore eum prosequatur, uulgatae Fabii Pictoris ceterorumque historicorum opponit (arch. 1, 80. fr. 3). disputatione igitur nostra id euicisse nobis uidemur Q. Aelium Tuberonem eas historias scripsisse eamque ipsam ob causam praenomen omissum esse, quod dubitandi causa non erat.[2])

De historiae Tuberonis genere multa Soltau (in disp. *Macer u. Tubero*, uid. p. CCCL et *Livius* p. 105—116. 211. passim) proposuit, maxime de ratione, quae inter eum et Macrum intercessisset; illum enim ut Ciceronem moderate et optimatium causam egisse et

---

1) 1, 7, 3, ubi Aelios, Gellios, Calpurnios Dionysius auctores sibi fuisse profitetur, singulos illorum nominum scriptores intellegendos esse iam identidem monuimus.

2) Filius eius fuit Q. Aelius Tubero cos. a. 11. 743. uid. Rohden *R. E.* I c. 538.

contentionem ordinum a Macro populariter infectam ad illam redegisse, idque ita ut ex tabulinis priuatis quarundam gentium patriciarum, Fabiae, Quinctiae, Seruiliae, Furiae, Postumiae laudationes in annales insereret[1], arte autem oratoria utrumque pariter insignem fuisse Liuiique operis primam decadem multa per capita locupletasse. at si ipsa fragmenta pauca et magnam partem tenuia perlustramus, antiquariorum studio eum ductum esse concedimus (fr. 2 de equo Troiano, 3 de Lupercalibus, 4 de Seruii Tullii classibus) atque diligenter in res traditas auctorumque fidem inquisiuisse (fr. 7), tum eum cum Licinio in memoria tradenda consensisse (fr. 7. 8) neque nisi caute ab eo discessisse (fr. 6). contra idem, ubi res Romanas ipsas narrat, totus mendaciorum fictorum uanitati adstipulatur (fr. 8. 9). restringo igitur eius de Tuberonis historia iudicium neque Liuii particulas, quas Soltau ex eius annalibus repetiit[2], ad illud supplendum adhibere ausim. Historias Q. Tuberonis libros inscriptos esse omnium scriptorum consensu (Gell. fr. 4. 8. 9. Charis. 5. Non. 1. 10), qui inscriptionem addiderunt, constat. libri minimum fuerunt quattuordecim, res Romanae a Troia euersa deductae (tum enim etiam Varro de familiis Troianis scripsit[3]), idque, ut uidetur, ita ut mythicum colorem abstergeret (fr. 2) et res usque ad belli ciuilis inter Caesarem et Pompeium gesti initium persequeretur (fr. 11). primo libro peruenerat minimum usque ad Seruium Tullium (fr. 4), qua ratione ceteras res in singulos libros diuiserit, incertum est; unum fragmentum, quod ad quam rem pertineat cernimus, addito libri numero ad nos propagatum est, fr. 9, quo Atilii Reguli supplicium crudelissimum expositum est. exstat enim hoc in cap. quarto libri Gelliani VII sic inscripto: *Quid idem Tubero nouae historiae de Atilio Regulo a Carthaginiensibus capto litteris mandauerit*, ubi Gronouius cum magna probabilitatis specie *noua historia* coniecit fragmentumque illud suo libro tribuit; *noua* ex ipsius fr. *nouis exemplorum modis excruciatum* huc inrepsit.

'Sermone tamen antiquo usus affectauit scribere', ut ait Pomponius l. s. s., confirmaturque hoc iudicium eis formis, quas Nonius et Charisius ex historiis notauerunt. nec hoc mirabimur. uiuebant enim Tuberones in iure ciuili tractando et in artem redigendo, quae disciplina sola apud Romanos ornamenta dicendi respuit et integra

1) Si fr. 1 recte interpretor, ex eo potius auctam familiarum superbiam impugnasse uidetur.

2) *Liv.* p. 211. uid. supra p. XXXIII sqq.

3) De Attici familiis Romanis uid. uol. II p. XXXII sq. XXVIII sq.

mansit. auctoritas eius magni a Dionysio aestimata et propter acre studium antiquitatis exili littera expediendae (Varr. de l. l. 7, 2) in eodem loco quo Cato positus est[1]) consentitque cum eius laude Liuius (fr. 6), qui libros linteos ab eo non solum adhibitos sed etiam diligenter examinatos esse profitetur. Licinium enim imitatus monumentorum historiae cuiusuis generis curiosus fuit. alia eius auctoritatis testimonia desunt, quoniam omnis eius certa cognitio paucis locis continetur. nam Liuius in libris IV et X singulis locis (fr. 6. 7) nominatim eum citauit, neque num in auctorum, quos frequenter adhibuit, numero ponendus sit, in tanta fragmentorum tenuitate diiudicari potest. libro quidem X c. 11, 9, ubi famae cuiusdam, quam antea (fr. 7) ex Licinio Macro et Tuberone protulerat, meminit, etiam Licinium solum ante se habere potuit (uid. supra p. CCCLXI), nec in libro XVIII Tuberonem exscriptum esse pro certo affirmauerim (adn. ad fr. 8). similiterque de Dionysio res se habet, qui in libro I semel (fr. 3) eum citauit, quamuis eius diligentiam admiraretur. obfuit Tuberoni antiquitas et ieiunitas sermonis, cum in compositione potissimum uerborum delectatio uulgaris ita posita esset, ut ne Polybium quidem omnesque eos scriptores, qui ab Isocrate desciuerant, quemquam legentem usque ad finem peruenire posse diceret (de compos. uerb. 4, 30 p. 20 Vs.). ita nemo ante Hadriani aetatem eius mentionem fecit, tum Suetonius (fr. 10A. 11); etiam Gellius, Claudii Quadrigarii admirator, tria fragmenta (4. 8. 9) ex eo excerpsisse satis habuit, atque apud posteriores grammaticos eius uestigia etiam tenuiora sunt, apud Charisium fr. 5, Seruium 2, Nonium 1. 10, per argumentum tamen nihil obstat, quominus duo fragmenta, quae libro non addito sub Tuberonis auctoritate ad nos peruenerunt, unum apud Seruium (13), alterum apud Donatum (fr. 12), ex historiis excerpta esse sumamus.

Vssit igitur fulgore suo Augusti aetas, si quod opus communem eius inferiorisque saeculi uirorum doctorum admirationem obtinuerat, ut Horatius Lucilii saturas, Vergilius Ennii annales. aequior fortuna comoediis Latinis adriserat, in quo litterarum genere Graecorum exemplo confirmata aduersus florem iuuentutis ueteribus suffragata est Varronisque eorum patrocinium sub Augusto recentibus operibus deleri non potuit. neque uero eiusdem doctrina Pisonis, Heminae,

1) Cf. Dionysii laudem Tuberonis supra p. CCCLXX commemoratam (fr. 3) et Catonis (fr. 6. 17) *ἐπιμελὴς γενόμενος, εἴ καί τις ἄλλος, περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας.* dicit igitur Tuberonem quasi alterum Catonem.

Tuditani, Gellii annalibus profuit; nam Liuius uetustatem etsi admiratus et in prima decade secutus est, cum omnino laude sua obscurauerit, tum potissimum recentissimum eius defensorem monumentorum antiquorum inuestigatorem, Tuberonem, uirum litteratissimum itemque nobilissimum. lactea ubertas studium diligenter ueritatis eruendae exilique littera explanandae superauit et obruit, uel, ut Ciceronis dictionem (de legg. 1, 2, 6) imiter, historia dum unum maxime oratorium opus habebatur, stare non potuit nisi uiribus artis i. e. ornamentis oratoriis fulta (Leo *Roem. Liter.* I p. 338 n. 5).

PROCILIVS

Varro in eis libris, quos de lingua latina composuit, bis Procilii cuiusdam scriptoris auctoritate nititur atque, ut unde lacus Curtius dictus sit, explicet, tricipitem historiam profert, primo loco secundum eum fabulam illam notissimam de Curtii morte narrat (fr. 1), tum paulo post unde intimus circus *ad Murcim* uocatus sit, ex eodem refert (fr. 3); praeterea eundem Procilium, ut uidetur, de Pompei triumpho Africo adhibet Plinius (fr. 2)[1]; ex quorum testimoniorum coniunctione in historicorum Romanorum numero Procilium esse ponendum cum probabilitate efficitur.[2] accedit quod Cicero (ad Att. 2, 2, 2 scr. a. 60. 694) postquam Dicaearchi *Πελληναίων* mentionem fecit, haec ad Dicaearchum laudandum addit: *O magnum hominem et unde multo plura didiceris quam de Procilio. Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere,* itaque Procilium significauit libros scripsisse, qui illis Dicaearchi similes essent, id est *πολιτείας* uel historias[3] (Mueller Fr. hist. Gr. II p. 241).

Accuratiora de eis uix poterunt definiri, nisi, si res Romanae temporum ratione pertextae erant, quemadmodum Dicaearchi *Βίος Ἑλλάδος* ab aureo aeuo usque ad suam aetatem, antiquitates non esse neglectas, quod studium et multum exercitatum est a Dicaearcho (Mueller l. s. p. 228) et illa aetate Romae uigebat. scripsit enim Procilius inter annos 81. 673, quo anno Pompeius triumphum Africum egit (fr. 2), et a. 60. 694, quo anno Cicero eum ut scrip-

1) Praeterea eum recenset Plinius in libr. XII et XIII indicibus, neque tamen probo, quae Brunn *De indic. Plin.* p. 21 de Flauii et Procilii nominibus coniungendis disputauit. num Plinius ipsum Procilium inspexerit, dubium est; Muenzer *Quellenk. d. Plin.* p. 165 de Varrone cogitauit, Wellmann (Herm. XXVII p. 397) de Iuba.

2) Muenzer l. s. eum inter antiquarios ponere mauult librumque eius urbis periegesin fuisse suspicatur.

3) Quod Orelli Onomast. II p. 497 ex hoc ipso loco geographica a Procilio scripta esse collegit, orationis tenorem neglexit. alio loco ad Attic. 6, 2, 3 (eiusdem anni 60. 694) Cicero Dicaearchum *ἱστορικώτατον* fuisse dicit.

torem tum satis notum commemorat: Romae autem eius opus Varronis opere a. 43. 711 *De gente populi Romani* scripto obscuratum est.

Atque hi quidem sunt loci, quibus eius librorum certa mentio facta sit, sed in re publica eadem illa aetate Procilius quidam uersatus est, quem, cum Procilii nomen tam rarum fuerit, ut Manutius quidem Prociliam familiam ex familiarum Romanarum numero omnino eicere uellet, eundem fuisse cum scriptore illo non abhorret a ueri similitudine. is enim fuit tribunus pl. a. 56. 698 cum C. Catone et Nonio Sufenate, qui, ut Pompeius et Crassus consulatum adipiscerentur, multa per uim fecerant, ex quibus tertio anno post, cum ea de causa postulati essent, Sufenas et Cato sunt absoluti, Procilius condemnatus. accusauerat P. Clodius, cuius animum offendere Cicero ueritus filiae morbo quodam praetexto reo defuit eumque defendendum reliquit Hortensio (Cic. ad Att. 4, 15, 4, cf. Drumann II^2 p. 281. III p. 99 sq.). praeterea forsitan eiusdem nomen exstiterit in titulo quodam a. 59. 695 (Momms. C. I. L. I n. 729) et in numo quodam inter annos 74. 680 et 69. 685 defosso (n. 455. p. 138), ex quo Lucio ei praenomen fuisse intellexerimus.[1])

1) Quaestura eius, qua a. 61. 693 eum functum esse scribunt Orelli Onomast. II p. 497 aliique, ad Pighii ingenium redit (Ann. III p. 343). Ex serie fragmentorum iam in uol. II p. LXIV fr. 4 eieci, ubi quod Cicero Verr. act. secund. 1, 19, 50 querimonias, quae ad legatum populi Romani pertinerent, non ad praetorem sed Romam deferri oportere dixerat, Pseudo-Asconius a. h. l. p. 236 St. contrarium de (P.) Oppio, quaestore M. Aurelii Cottae repetundarum accusato, et 'de Procilio' factum esse se legisse affirmat, quem tribunum a. 56. 698 fuisse ueri simile est.

L. SCRIBONIVS LIBO

Cicero ut sciret, qui decem legati Mummio post euersam Corinthum (a. 146. 608) fuissent, in duabus epistulis ad Atticum a. 45. 709 datis (13, 30, 3; 32, 3. fr. 1. 2) Libonis annalem se in manus sumpsisse dicit, qui quidem annalis nusquam alibi commemoratur, ut nihil nisi hoc unum certo constet, eum scriptum esse ante illum a. 45. 709. amplus igitur patet coniecturis campus. atque Vossius quidem, quem secuti sunt Krause p. 138, Closset p. 461, Kayser in ind. nom. Cic. p. 468, alii, de L. Scribonio Libone cogitauit, qui acerrime suadente Catone a. 149. 605 tribunus plebis rogationem promulgauit, 'ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti ab Ser. Galba in Galliam uenissent, in libertatem restituerentur' (Liu. per. 49), quem non infantem fuisse ex orationibus intellegi Cicero in Bruto (23, 90) affirmat. rectius tamen Schweighaeuser ad Appian. b. c. 3, 77 L. Scribonium Libonem, Sexti Pompei socerum, illum annalem condidisse coniecit probauitque M. Hertzio, qui docta et diligenti disputatione eam rem, quoad fieri potuit, ad liquidum perduxit (*De Liv. fragm. comment. part. II.* ind. lect. hib. Vratisl. 1864 p. 13—17). ille enim amicus fuit Pompei Magni belloque ciuili orto eius partes amplexus est. in ipso bello classi cuidam praefectus primo Dolabellam ex Dalmatia pepulit Gaiumque Antonium cepit, tum uero frustra impediuit, ne M. Antonius Brundusio in Graeciam traiceret. gratissimam tamen operam et Pompeio et rei publicae hanc praebuit, ut paci conciliandae operam daret, primo frustra inter Caesarem et Pompeium Magnum, tum prosperius inter Sextum Pompeium generum et Octauianum Antoniumque, denique ad Antonium transgressus a. 34. 720 consul factus est.[1])

Quamquam autem hunc Libonem ipsum in litteris uersatum esse non est traditum, tamen, si ex amicis licet concludere, ab eis non uidetur alienus fuisse. nimirum utebatur ille familiaritate M. Marii (Cic. ad fam. 7, 1—4), hominis humanissimi et doctissimi, et arta litterarum societate coniunctus erat cum ipso Cicerone et cum Varrone, qui quaecunque scribebat cum eo communicasse uidetur atque etiam libros quosdam ad eum misit (Cic. ad fam. 7, 4. acad. post. 1, 1, 3. cf. Ritschl Opusc. III p. 407). a tali igitur homine annalis conscri-

1) Vide de hoc Prosopograph. imp. Rom. III p. 184 n. 210. G. F. Vnger in Fleckeis. ann. CXLIII p. 644—649.

bendi consilium abhorrere uix quisquam contendet. sed etiam ratio, qua Cicero eum testem citauit, scriptorem significat, qui utrique, et ipsi et Attico, bene notus sit, quem a Cicerone usque ad id tempus nondum esse nominatum maximo opere miraremur, nisi liber, quem etiam in epist. 13, 44 a. 45. 709 secum esse scribit, paulo ante in manus ei uenit.[1]) sed Hertzius (l. s. p. 15) etiam tertium locum Liboni uindicauit. est Appiani b. c. 3, 77: *Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ περί τε Συρίαν καὶ Μακεδονίαν τοιάδε ἐγίγνετο. Γάιος Καῖσαρ ὅτε Συρίαν διώδευε, τέλος ἐν αὐτῇ καταλελοίπει, τὰ ἐς Παρθυαίους ἤδη διανοούμενος. τούτου τὴν μὲν ἐπιμέλειαν Καικίλιος Βάσσος εἶχε, τὸ δὲ ἀξίωμα Ἰούλιος Σέξτος, μειράκιον αὐτοῦ Καίσαρος συγγενές, ὅπερ ἐκδιαιτώμενον ἐς τρυφὴν τὸ τέλος ἀσχημόνως ἐπήγετο πανταχοῦ. μεμψαμένῳ δὲ τῷ Βάσσῳ ποτὲ ἐνύβρισε· καὶ καλῶν αὐτὸν ὕστερον, ἐπεὶ βραδέως ὑπήκουσεν, ἄγειν ἐκέλευσεν ἕλκοντας. θορύβου δὲ καὶ πληγῶν γενομένων ἡ στρατιὰ τὴν ὕβριν οὐ φέρουσα τὸν Ἰούλιον κατηκόντισε. καὶ εὐθὺς ἦν μετάνοια καὶ δέος ἐκ τοῦ Καίσαρος. συνομόσαντες οὖν, εἰ μή τις αὐτοῖς συγγνώμη καὶ πίστις γένοιτο, μέχρι θανάτου διαγωνιεῖσθαι, καὶ ἐς αὐτὸ Βάσσον ἀναγκάσαντες ἄλλο συνέλεξαν τέλος καὶ συνεγύμνασαν. ὧδε μέν τισι περὶ τοῦ Βάσσου δοκεῖ, Λίβωνι δ', ὅτι τῆς Πομπηίου στρατιᾶς γενόμενος καὶ μετὰ τὴν ἧτταν ἰδιωτεύων ἐν Τύρῳ διέφθειρέ τινας τοῦ τέλους καὶ διεχρήσαντο τὸν Σέξτον καὶ τῷ Βάσσῳ σφᾶς ἐνεχείρισαν. ὁποτέρως δ' ἐγένετο, Στάτιον Μοῦρκον οἴδε — ἐγκρατῶς ἀπεμάχοντο κτλ.* quo loco qua fide prior fama pluribus ab Appiano narrata digna sit, nolumus quaerere (diuulgata erat ab auctore Caesari infesto et ab Appiano solo seruata), altera, quae breuius

1) Diuersa in hac epistula Cicero et ut Attico responderet et ut ad libros suos componendos doctrinam eius exhauriret, breuiter miscuit, sic etiam haec: *Cottam mihi uelim mittas. Libonem mecum habeo et habueram ante Cascam.* cum Libonis annalem significasse uideretur, etiam Cottae et Cascae similes libros a Cicerone dictos esse plerique interpretati sunt, Popma eorum cursum honorum Ciceronem ab amico postulasse; uersabatur quidem in libris de natura deorum parandis, in quibus C. Aurelius Cotta cos. 75. 679 primas egit. sed quoniam initio epistulae haec scripsit: *Verum tamen scire omnia non acerbum est, uel de Cotta* dixitque L. Cottam, qui ex libris Sibyllinis illud responsum ediderat Parthos nisi a rege non posse uinci seque in senatu sententiam dicturum, ut Caesar rex appellaretur (Suet. Caes. 79), inter preces Ciceronis maxime hanc ipsam cognoscere intererat. sed utut res se habet, Cottae et Cascae, quos libris scribendis uacasse nescimus, inter rerum scriptores locum concedere ueritus sum.

excerpta S. Iulio fauet, Romae publica auctoritate esse confirmata uidetur, nam Cicero omnino ambiguus fuerat.[1]) cum res pertineat ad a. 46. 708 (Drumann II² p. 106), tempore non impedimur, quominus eam commemoratam esse censeamus a Libone illo (Haakh, *Realencykl.* VI p. 881 sq.), cuius libri insequenti anno a Cicerone mentio fiat. sed si argumenta comparauerimus, prior fama multo magis quam altera cum Libone Pompeiano conspirat, qui praesertim a. 46. 708 bello ciuili totus occupatus erat. itaque recte Perizonius (Animadu. hist. cap. IV p. 183) pro *Λίβωνι* proposuisse uidetur *Λιβίῳ*. cum multa enim narrauit Appianus cum Liuio consentiens, ut ex eo hausta esse Wijnnio (*De App. fid. et auct.* p. 12 sqq. uid. Schwartz *R. E.* II c. 226) uideantur, tum Liuius hic eandem de Basso famam secutus est, quam ex Libone attulit Appianus. id quod cognoscimus et ex periocha (114), in qua summatim de ea re haec relata sunt: *Bellum in Syria Caecilius Bassus, eques Romanus Pompeianarum partium, excitauit, relicto a legione Sexto Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo,* et ex Cassii Dionis (47, 26 et 27) consensu, qui in compluribus historiarum partibus Liuium ducem primarium habuit (cf. Wilmans *De Cass. Dion. font.* p. 14 sqq. Schwartz *R. E.* III c. 1697 sqq.). cf. inprimis haec Dionis uerba cum Appiano: c. 26, 3: *Καικίλιος Βάσσος ἱππεὺς στρατεύσας τε τῷ Πομπηίῳ καὶ ἀναχωρήσας ἐς Τύρον ἐκεῖ ἐν τῷ ἐμπορίῳ τὰς διατριβὰς λανθάνων ἐποιεῖτο· ἦρχε δὲ τῶν Σύρων Σέξτος.* 7: *τοῖς δὲ δὴ στρατιώταις προσπέμπων τινὰ τρόπον οὕτω τινὰς αὐτῶν ἐσφετερίσατο, ὥστε καὶ αὐτόχειρας τοῦ Σέξτου γενέσθαι. ἀποθανόντος δὲ ἐκείνου τό τε στράτευμα πᾶν πλὴν ὀλίγων προσηταιρίσατο κτλ.* quae cum ita essent, Appiani locum ex Libonis fragmentis huc transtulimus simulque fundamentum eius historiae subtraximus. nam quae restant fragmenta, ad unam quandam de praetoris cuiusdam anno quaestionem a Cicerone motam pertinent neque is postea ad eum refugit, de hac ab Attico certior factus, de aliis eius annali a. 47. 707 uel 46. 708 edito[2]), qui eodem uocabulo atque Libonis inscriptus est.

1) Ad fam. 10, 1, 4. 12, 12, 3; 18, 1. pro Deiot. 8, 23. 9, 25. Phil. 11, 13, 32. uid. Muenzer *R. E.* III c. 1198 sq.

2) Vol. II p. XXIII sqq. huc usque igitur cum Vngero l. s. p. 644 sqq. consentio. Soltau Philol. 56 p. 122 sq. Suppl. VII p. 612 sqq. in fragm. pro Libone Pisonem posuit et Appiani alteram famam non a Libone sed ab amico aliquo eius (fortasse Theophane uel eius filio Pompeio Macro Augusti bibliothecario) litteris mandatam esse coniecit.

INCERTAE AETATIS SCRIPTORES

Sulpicius Blitho.

Vnico Sulpicii Blithonis librorum fragmento uix quidquam praefatus essem, nisi a Vossio (lib. I c. 18 p. 92), cui G. F. Vnger (*Abh. d. Bayer. Akad.* XVI p. 154) assensus est, esset confusus cum Sulpicio Galba, Galbae imperatoris auo, qui multiplicem nec incuriosam historiam edidit, ut ait Suetonius Galb. 3, cuius duo fragmenta (ap. Plut. Rom. 17, Oros. 5, 23, 6. Vol. II p. LVIII. 41. uid. Prosop. III p. 283 n. 720) ad nos peruenerunt. nam huius pater Ser. Sulpicius Galba, cum a. 54. 700 praeturam gereret, a. 49. 705 consul suffectus esset (Prosop. III p. 284 n. 722), erat Cornelii Nepotis aequalis, neque igitur fieri potuit, ut librum aliquem ab eius filio (cos. 33. 786) compositum Cornelius Nepos in auctoribus suis haberet. ceterum Sulpiciis per illa tempora gentile fuit studia historiae fouere; Claudium quidem (imperatorem) adulescentulum hortante T. Liuio scribere aggressum Sulpicius Flauus adiuuit (Suet. Claud. 41, 1). antea C. Sulpicius Gallus (cos. 166. 588) astrologiae non solum peritus fuerat sed etiam librum de ea scripserat (Plin. n. h. 2, 53; 83).

Alfius.

Alfii complures litterarum laude floruere, ut Alfius Flauus Augusti aetate celeber erat et rhetor et poeta, fortasse idem (sec. Kiesslingium in ind. Senecae p. 529. Schanz II 1³ p. 367), qui de delphino puerum quendam amante una cum Maecenate et Fabiano a Plinio n. h. 9, 25 testis citatur, tum libri excellentium uirorum Alphii Auiti cuiusdam identidem a Prisciano laudantur (Baehrens Fr. poet. lat. p. 383 sq.). denique Alfius[1]), scriptor belli Carthaginiensis, cuius memoria exstat apud Festum.[2]) omitto Vossii (De poet. lat. p. 38) coniecturam ex his

1) Nipperdeium (Opusc. p. 401 sq.) non recte Coelii nomen substituisse uideri iam supra p. CCXXXVII monuimus.

2) Sub Alpheo philologo apud Prisc. 8 p. 383 H. latet Ateius Philologus, quem recte detexit Osann Annal. crit. p. 66. cf. Hertz a. h. l.

unum efficientis Flauum Alfium Auitum, qui Augusti et Tiberii temporibus uixisset, diuersos miscentis. neque enim certa causa est, cur Alfii mentionem ab ipso Verrio repetendam esse Alfiumque uixisse ante Augustum, fortasse post Coelium negemus. sed ab Alfio Flauo rhetore et poeta eoque, cuius testimonio ad rem quandam, quae sub Augusto facta est, usus est Plinius, distinguendus est, itemque ab Alfio Auito, quem 'pridem' ante Terentianum Maurum uixisse (Gr. Lat. p. 398 u. 2448 K.) librosque suos excellentium uirorum scripsisse uersibus dimetris iambicis constat, a quorum sono illa de Mamertinis narratio omnino abhorret. itaque Alfius locum suum inter hos historicos obtinuit.

C. Piso.

Hic Gaius Piso, etsi quod unicum eius historiarum fragmentum ad nos peruenit ad C. Marii mortem spectat, Lucius autem Piso Censorinus paene quinquaginta annis ante consul fuit, tamen diu cum Lucio confusus omnino latuit. sed ne nunc quidem, ut accuratius eum cognosceremus, nobis contigit. hoc unum accepimus, a C. Pisone quodam C. Marii mortem ita esse expositam, ut malignos illos rumores de ea uulgatos non recoqueret.[1])

Quamquam, si coniecturae locus sit, nihil obstat, quominus consulem illum anni 67. 687, C. Pisonem, quem in oratorum numero ponit Cicero in Bruto (68, 239 '*sermonis plenus orator*'), eundem etiam historiae operam dedisse et fortasse opus gentilis sui continuauisse statuamus.[2]) utique, cum Gai praenomen haud ita frequens in Pisonum familia fuerit, si illa aetate has historias scriptas esse existimamus, hic solus est ex Pisonibus, quos cognouerimus, de quibus cogitari possit. uid. de eo Drumann II[2] p. 75—78.

1) Haud abhorrere hanc famam a ueritate suo iure censet Kiene *Bundesgenossenkrieg* p. 305.

2) Adsensus est Muenzer *R. E.* III c. 1377.

Cf. Cic ad Att i. 17. 11 [connection between Lucceius & Piso]

RELIQVIAE

ANNALES MAXIMI

[**1.** *Dionys. 1, 74, 3.* *Οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης
τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιά-* 751
*δος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ᾽ ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι
κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν,
ἀλλὰ τοὺς ἐπιλογισμούς, οἷς αὐτὸς προσεθέμην, εἰς μέσον ὑπευθύνους τοῖς
βουληθεῖσιν ἐσομένους ἐξενεγκεῖν.*]

2. *Vopisc. uit. Tacit. 1, 1 (II p. 185).* Quod post excessum Romuli nouello adhuc Romanae urbis imperio factum pontifices, penes quos scribendae historiae potestas fuit, in litteras rettulerunt, ut interregnum, dum post bonum principem bonus alius quaeritur, iniretur, hoc post Aurelianum — sex totis mensibus factum est.

3. *Cic. de re p. 1, 16, 25.* Id autem *[solem lunae opposita so-
lere deficere]* postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scri- 403
bit, anno quinquagesimo CCC fere post Romam conditam 351

Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

adque hac in re tanta inest ratio adque sollertia, ut ex hoc die, quem aput Ennium et in maximis annalibus consignatum uidemus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae nonis

---

ADNOTATIO **1.** *Vide supra p.* XII *sq.*

3. *Enn. Ann. 163 p. 29 Vahl.*[2] *uide supra p.* XIX. — *Fuit ea defectio re uera a. 400. 354 a. d. XI kal. Iul., simulatque sol occidit (Zech, Astron. Untersuch. über die von den Schriftstellern des Alterthums erwähnten Finsternisse p. 58. Mommsen Chronol.*[2] *p. 201 sq.). — Soltau Chronol. p. 186 sqq. defectum Ennii ad prid. non. Mai. a. 203. 551 refert (cf. Ginzel, Kanon der Sonnen- und Mondfinsternisse p. 53 sq.) scribitque* anno DL fere.

APPARATVS CRIT. **1,** 3 *ἀγχιστεῦσι Chisianus Vrbinas, corr. Niebuhr* 5 *οὓς αὐτὸς προεθέμην uulgo, Kiessling οἷς recepit ex Vrb., προσεθέμην ex Chis.*

3, 13 quum, ut scribit *Halm,* quum *referens ad uerba Ennii qui sic scribit Mommsen* 14 quinquagesimo^{CCC} fere *Vatic.* CCC quinquagesimo *Maius* quinquagesimo et CCC *Osann. nos secuti sumus Halmium* 15 Nonis] non *Vatic.* Iunonis *Hulleman p. 73 coll. Macrob. 1, 12, 30* nonis Iunis *Heinrich tribuit Ciceroni* 16 sollertia^{e}aut *Vatic.* 18 superioris *Vatic.* reputate *Vatic. pr. m.*

Quinctilibus fuit regnante Romulo. quibus quidem Romulum tenebris, etiam si natura ad humanum exitum abripuit, uirtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

4. *Gell. 4, 5.* Statua Romae in comitio posita Horatii Coclitis, fortissimi uiri, de caelo tacta est. ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Etruria acciti inimico atque hostili in populum Romanum animo instituerant eam rem contrariis religionibus procurare atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol opposito circum undique aliarum aedium numquam illustraret. quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum proditique sunt et, cum de perfidia confessi essent, necati sunt, constititque eam statuam, proinde ut uerae rationes post compertae monebant, in locum editum subducendam atque ita in area Volcani sublimiore loco statuendam; ex quo res bene ac prospere populo Romano cessit. tum igitur, quod in Etruscos aruspices male consulentis animaduersum uindicatumque fuerat, uersus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur:

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de aruspicibus ac de uersu isto senario scripta est in annalibus maximis libro undecimo et in Verri Flacci libro primo rerum memoria dignarum.

4. *Gellius res ex Verrio exscripsit neque inter testimonium annalium additamentumque eius distinxit. uid. s. p.* XXII *sq.*

---

1 quinctilibus *Vatic. sed deleta* c `2 hum(anum)exitum *Vatic.* [anum *supra scr.*]

94. *Ad Cantabros pertinere uidit Roth comparatis Strabonis 3, 4, 18 p. 165 uerbis:* τὰ δὲ τοιαῦτα ἧττον μὲν ἴσως πολιτικά, οὐ θηριώδη δέ, οἷον τὸ παρὰ τοῖς Καντάβροις τοὺς ἄνδρας διδόναι ταῖς γυναιξὶ προῖκα.

95. *Gellius huius orationis fragmenta a—f ex Tullii Tironis epistula hausit, quam conscripsit ad Q. Axium, familiarem patroni sui, in qua sibimet uisus est hanc orationem acri subtilique iudicio percensuisse (par. 10). fr. g. ipse addidit, quoniam Tiro praetermisit (par. 49). — Non ipsum orationis tenorem nos habere sed pauca quaedam excerpta et ex ipsis fragmentorum argumentis apparet et ex Gellii uerbis, quibus reprehendit Tironem quod ex omnibus facultatibus tam opulentae orationis aptis inter se et cohaerentibus paruum quippiam nudumque sumpserit (54), et quibus singula frustula introducit: fr. b* Quae deinde Cato iuxta dicit, ea, inquit *[Tiro]*, confessionem faciunt, non defensionem. — eaque ipsa uerba ponit, ita ut infra scriptum: — *fr. c* postea uerba haec ex eadem oratione ponit. *fr. d* post deinde usum esse Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honestis et nimis audacibus. — uerba autem ex ea oratione M. Catonis haec sunt: — *fr. e* deinde paulo infra dicit: — *fr. f* postea ita dicit: — *Pluribus Rodiensium legationem enarrauerunt Polybius 30, 4 sq. et Liuius 45, 20—25 (qui in hisce Polybio non est usus). hic postquam unum e Rodiensibus longa oratione sese defendentem fecit, sic pergit (c. 25, 1):* Secundum talem orationem uniuersi rursus prociderunt ramosque oleae supplices iactantes tandem excitati curia excesserunt. tunc sententiae interrogari coeptae. infestissimi Rhodiis erant qui consules praetoresue aut legati gesserant in Macedonia bellum. plurimum causam

94, 1 originalibus *Karol. ante corr.*

95, 3 *Ad librum VII orationem rettulit Nipperdey Opusc. p. 436* 5 Ea Rhodiensis ciuitas *uulg.* Rodiensis *om. VRP* foret *om. R* 7 fuit] foret fuit *V* 11 aduersũ *V* 13 quae] q; *VRP* 17 sĩpliciter R^1 supliciter R^2

causa sua factis e curia excesserunt, sententiae rogari coeptae; cumque partim senatorum de Rodiensibus quererentur maleque animatos eos fuisse dicerent bellumque illis faciendum censerent, tum M. Cato exsurgit et optimos fidissimosque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus uiris intenti infensique erant, defensum conseruatumque pergit orationemque inclutam dicit, quae et seorsum fertur inscriptaque est pro Rodiensibus et in quintae originis libro scripta est. — Ipsum deinde *[Tiro]* principium apposuit, cuius uerba haec sunt:

a. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. quo mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo aduorsi eueniat, quod nostras secundas res confutet, neue haec laetitia nimis luxuriose eueniat. aduorsae res edomant et docent, quid opus siet facto. secundae res laetitia transuorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. quo maiore opere dico suadeoque, uti

---

eorum adiuuit M. Porcius Cato, qui asper ingenio tum lenem mitemque senatorem egit. non inseram simulacrum uiri copiose quae dixerit referendo; ipsius oratio scripta exstat, originum quinto libro inclusa.

a. Partem repetiit Gellius 13, 25, 13: Item M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rodiensibus, cum uellet res nimis prosperas dicere, tribus uocabulis idem sentientibus dixit. Verba eius haec sunt: 'Scio — augescere'. — *Praeterea conferri iubet Meyer (orat. Rom. fr. p. 105) Caes. epist. ad Front. 2,13 p. 36 N.:* Nam uni M. Porcio me dedicaui atque despondi atque delegaui. hoc etiam ipsum 'atque' unde putas? ex ipso furor. *Huc pertinere Charis. 2 p. 220 K.:* Secunde Cato senex, ut Maximus notat *Klotz monuit in Iahn. ann. 85 (1862) p. 316, Sulpiciae sat. u. 48:* Quos inter prisci sententia dia Catonis scire deis magni fecisset, utrumne secundis an magis aduersis staret Romana propago *Roth p. 284.*

1 factis e curia] facti securi *VP* habitis facti securi *R em. Carrio* 5 infessique *V* infestique *Carrio* incensique *Gronouius* que *om. R* 7. 8 pro Rod. — scripta est *om. R*

a, 10 in rebus *Gell. 13, 25, 14* 10. 11 prolixis prosperis *P* 11 ferosciam *V ante corr.* 12 atque crescere *Gell. libro XIII om.* quo mihi *Iordan* quod *libri* quom *Haupt ap. Iord.* 13 prosscessit *R* processerit V^2 *Meyer* 14 res secundas confutaet *R* confuter ne ue *P* 14. 15 nimia luctuose *Bolhuisius. at conferri iubet Peerlkamp bibl. crit. nou. III p. 399 Liu. 23, 12, 12:* uereor ne haec quoque laetitia luxuriet nobis ac uana euadat, *2,21,6. 3,33,2*

15 aduerse *P* edomant] se domant (sedonant *V*) *libri em. Pricaeus* sit *P* 16 transuersum *P* recto *VRP* 17 intellegendo *V* intelligendo *cet. libri* opera *R*

haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. —

b. Atque ego quidem arbitror Rodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen uinci. sed non Rodienses modo id noluere sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. atque haut scio an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint euenire. sed enim id metuere, ⟨ne⟩, si nemo esset homo quem uereremur, quidquid luberet faceremus. ne sub solo imperio nostro in seruitute nostra essent, libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror. atque Rodienses tamen Persen publice numquam adiuuere. cogitate, quanto nos inter nos priuatim cautius facimus. nam unus quisque nostrum, si quis aduorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa ui contra nititur, ne aduorsus eam fiat: quod illi tamen perpessi. —

c. Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam ami-

---

b. Appian. Punic. 65: ἐγίγνοντο οὖν αἱ συνθῆκαι, τρίται αἵδε, Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρὸς ἀλλήλους. καὶ ὁ Σκιπίων ἐς αὐτὰς ἐδόκει μάλιστα τοὺς Ῥωμαίους ἐναγαγέσθαι, εἴτε τῶν εἰρημένων οὕνεκα λογισμῶν, εἴτε ὡς ἀρκοῦν Ῥωμαίοις ἐς εὐτυχίαν τὸ μόνην ἀφελέσθαι Καρχηδονίους τὴν ἡγεμονίαν. εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ τόδε νομίζουσιν αὐτὸν ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον ἐς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μή ποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ. καὶ τόδε οὕτω φρονῆσαι τὸν Σκιπίωνα οὐ πολὺ ὕστερον ἐξεῖπε τοῖς Ῥωμαίοις Κάτων, ἐπιπλήττων τοῖς παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδον. Catonem uidetur imitatus esse Sallustius Iug. 41 et hist. fr. 10 p. 9 Kr. fr. 11 p. 5 M.

1 dum] cum *VRP*

b, 4 psen *P* Persem ς uinci sed non] uicisē non *R* uicisse non *rel. libri em. Maduig* 8 metuere si *VR* metueres *P* ⟨ne⟩ *add. A. Schaefer Phil. 24, 176* 8. 9 quidquid luberet] quicquid luberet *R* quid qd' ıub'et V^1 quicqd (*superscr.* † li) ıubet V^2 quid qd' lub'et *P* et quidquid *Carrio* quodque *Gronouius* quo id quod *Wagener* 9 faceremus. Ne *PR* 9. 10 nostra essent] nre sent V^1 nostra essent V^2 *(saec. XV corr.)* nrę sēnt *R* n̄re sunt *P* iusta essent *Gronouius* nostra omnia essent *O. Ribbeck in mus. Heluet. n. I p. 16* 10 atqui *Scioppius*

11 Persen] pse V^1*P* (persem V^2 *m. saec. XV*) Perse *R* adiuuare *VRP* cogitare *RPV* 12 nos priuatim] nrı uatim *P*V^1 (nrī natiui *m. rec.*) nr̄iuatī *R* cogitate quanto nos priuatim *Lipsius. corr. Gronouius* caucius *VPR* 13 quis] *an* ques? *uid. fr. 1 c. adn.* arbitratur *uulgo* 14 aduersus *P* ea *VRP* illam *uulgo* illi itam̄ perpēsi s; *R* perpessi s; *VP* perpessi sunt *Maduig*

c, 15 ei *R* eo *Iordan* de repente *P* nos *post* tanta *uulgo additur om. VRP* beneneficia *R*

citiam relinquemus? quod illos dicimus uoluisse facere, id nos priores facere occupabimus? —

d. Qui acerrime aduorsus eos dicit, ita dicit 'hostes uoluisse fieri'. ecquis est tandem, qui uestrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere uoluisse? nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet, nolim. —

e. Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat 'si quis illud facere uoluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere uoluerit, tanta poena esto; si quis maiorem pecuum numerum habere uoluerit, tantum damnas esto'? atqui nos omnia plura habere uolumus, et id nobis impune est. —

f. Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere uoluisse quis dicit neque fecit tamen, Rodiensibus oberit, quod non male fecerunt sed quia uoluisse dicuntur facere? —

d. cf. orationem Rodiensium Liuianam 45, 24, 2—3: Voluntatis nostrae tacitae uelut litem aestimari uestris inter uos sermonibus audio, patres conscripti: fauisse nos regi et illum uincere maluisse, ideo bello persequendos esse credunt alii uestrum; alii uoluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus neque legibus ullius ciuitatis ita conparatum esse, ut, si qui uelit inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur.

e. Fest. s. u. pecuum p. 246 M.: Pecuum cum dixit M. Cato per casum genetiuum a singulari casus recti formauit, quo utebantur antiqui, id est pecu.

2 occupauimus *VRP*

d. 3 accerrime *P* aduersus *libri* hostes *V* ostes *R* hoste *P* 4 et quis *libri* ecquis *Gronou.* uestrorum qui *Gronou. de forma* uestrorum *pro* uestrum *uid. Neue Formenl. II² p. 185* equum *VP* eqū *R* 5 quempiam *ante* poenas *add. uulg.*

e, 7 quin nunc *R* et qua *VP* et quae R *uulg.* ecqua *Meyer* 8 mille minus *VPR* ⟨ne⟩ minus *C. F. W. Müller* mille nummi dimidium *uulg. codd. scripturam iure suo tuitus est E. Huschke cf. tab. Bantin. u. 12 C. I. L. I p. 45 et Mommsen* Staatsr. *I³ p. 179* m. esto? *VR* 9 abere *R* 9. 10 tanta — uoluerit *in P. in mg. addiderat m. pr., nunc tamen margine circumcisa haec exstant:* tanta pena es | maiorē pecuū | hab'e uoluer | et si quis *uulg.* 10 damna *RP*˜ dampna *V*˜ damni *uulg. corr. Vrsinus* 11 atque *libri* pluria *Roth coll. Gell. 5, 21, 6*

f, 12 equum *VP* eqū *R* 13 dicitur *H. I. Mueller* taberit *VR* *aberit *P* non aberit *P²* oberit *Lambecius* male erit *Scioppius* noxae erit *Iac. Gronouius, Hertz (Vind. Gell. alt. p. 54)* id (nunc *Hosius*) oberit *Iordan,* non oberit — facere *Mommsen, ego cogitaui de* fraudi erit 14 qd' n̄ *VPR* quia *del. Mommsen*

g. Rodiensis superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici uelim. sint sane superbi. quid id ad nos attinet? idne irascimini, si quis superbior est quam nos?

96. *Gell. 11, 3, 2.* Videbam — M. Catonem in originum quarto — scripsisse et item in quinto: urbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse.

97. *Non. s. u. pisculentum p. 151.* Cato originum libro V: Fluuium Naronem magnum, pulchrum, pisculentum . . .

98. *Prisc. 10 p. 510 H.* Cato in V originum: quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est . . .

99. *Gell. 15, 9, 5.* M. Cato in quinta origine ita scripsit: Postri-

g. Gellius haec de tota oratione iudicat: Praeterea animaduertere est, in tota ista Catonis oratione omnia disciplinarum rhetoricarum arma atque subsidia mota esse; sed non proinde ut in decursibus ludicris aut simulacris proeliorum uoluptariis fieri uidemus, non enim, inquam, distincte nimis atque compte atque modulate res acta est, sed quasi in ancipiti certamine, cum sparsa acies est, multis locis Marte uario pugnatur: sic in ista tum causa Cato, cum superbia illa Rodiensium famosissima multorum odio atque inuidia flagraret, omnibus promisce tuendi atque propugnandi modis usus est et nunc ut optime meritos commendat, nunc, tamquam si innocentes purgat, ne bona diuitiaeque eorum expetantur, obiurgat, nunc et quasi sit erratum deprecatur, nunc ut necessarios rei publicae ostentat, nunc clementiae, nunc mansuetudinis maiorum, nunc utilitatis publicae commonefacit. Eaque omnia distinctius numerosiusque fortassean dici potuerint, fortius atque uiuidius potuisse dici non uidentur.

96. *Fortasse referendum est ad a. 167. 587, quo senatus populusque Romanus partem Illyriorum liberam esse iussit (Liu. 45, 26, 12), fr. 97 ad bellum cum Gentio gestum Gutschmid V p. 524 sq.*

97. *Cf. fr. 110.*

g, 2 dici *deest in P lacuna relicta* minime uelim *Lambecius* obici *Iordan* minime obici nolim *H. Sauppe Opusc. p. 552* deici *Hertz* quid *V* qd' *P* uos *Wagener* 3 superior *R* uos *Wagener*

96, 5 in quinto] in ut *X* argro *Q* 6 illirio *QZBΠ* est (ē *B* ē. *Q*) esse *QZB*

97, 7 *ante* Fluuium *libri* origine *addunt. del. Mercer* 8 paronem magnom G^1

98, 9 in V originum *om. Sang.* 10 quisquam] quis *Bamberg.*^{1} *ante corr.* mihi *in mg. add. Halberst.*

99, 11 M. Cato] * cato (a *eras.?*) *X* quinta] *OTΥ* quito X^2 $\overset{i}{\text{p}}$mo *QZ* origine] *Gronouius* originum *libri* post tridie *ZΠ* Post tridiae *X* post tri die *Q*

die signis conlatis aequo fronte peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnauimus.

100. *Gell. 15, 9, 5.* 'Recto' quoque 'fronte' idem Cato in libro eodem *[originum quinto]* dicit.

101. *Gell. 15, 13, 5.* M. Cato in quinta origine: Exercitum, inquit, suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit.

102. *Fest. s. u. pilates p. 237 M.* Cato originum l. V: Lapis candidior quam † pelastes.

103. *Non. s. u. protelare p. 363.* Cato originum lib. V: Sed protelo trini boues unum aratrum ducent.

104. *Prisc. 9 p. 475 H.* Cato in V originum: Illi polliciti sese facturum omnia . . .

EX LIBRO VI

105. *Gell. 20, 5, 13.* Quod est scriptum a M. Catone in sexta origine: Itaque ego, inquit, cognobiliorem cognitionem esse arbitror.

EX LIBRO VII

106. *Cic. Brut. 23, 89.* Quae quidem uis *[Galbae]* tum maxime 149/605
cognita est, cum Lusitanis a Seruio Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, T. Libone tribuno pl.

---

106. *Ciceronis uerba (non Liuii) partim ad uerbum descripsit Valerius Max. 8, 1, 2. — Cic. Brut. 20, 80:* Et uero etiam tum Catone uiuo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e uita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, q u a m e t i a m o r a t i o n e m s c r i p t a m r e l i q u i t. *de orat. 1, 53, 227:* P. Rutilius Rufus — Seruium Galbam — pergrauiter reprehendere sole

---

1 p̃ditatu aequitibus atque alis X^1 (pedit. X^2) equitibus] peditibus *Q* uelitibus *Gronou.* aliis *Z Γ* peditatu equitibusque alariis *Bormann* 2 pugnauimus *QZ* pugnauit *uulgo*

to

101, 5 in ·V· originum *Π* exercitu *Z* 6 paratum] pratū *Z* paratumque *Π* cohortatum] & hor. *Q* cohertatum (e *in* a *corr.*) *X* cohortauit *Π* cohortatum eduxit *in ras. Z* instruxit] x *in ras. Z*

102, 8 pilates *Festus in lemmate et Paul. p. 236 M.* Pellates (= Φελλάτης) *Leutsch in Zenob. prou. V 13 p. 121*

103, 10 origine LG^1 11 ducunt G^1

104, 12 V. de originum *Sang. Gruter. Karolir.*

105, 14 M. *om. X* quinto origiñ *Π* VI *cet. codd.*

106, 18 L. Libone *Corradus*

populum incitante et rogationem in Galbam priuilegi similem ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit. quam orationem in origines suas rettulit, paucis antequam mortuus est an diebus an mensibus. tum igitur *nihil* recusans Galba pro sese et populi Romani fidem implorans cum suos pueros tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissumi patris. isque se tum eripuit flamma propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato.

107. *Front. epist. ad Caes. 3, 20 p. 57 N.* Cato quid dicat de Galba absoluto, tu melius scis; ego memini propter fratris filios eum absolutum. τὸ δ' ἀκριβὲς ipse inspice. Cato igitur dissuadet neue suos neue alienos quis liberos ad misericordiam conciliandam producat neue uxores neue adfines uel ullas omnino feminas.

108. *Gell. 13, 25 (24). 15.* Itidem Cato ex originum VII in oratione, quam contra Seruium Galbam dixit, conpluribus uocabulis super eadem re usus est: Multa me dehortata sunt huc prodire, anni,

bat, quod is — populi misericordiam concitasset, cum M. Cato, Galbae grauis atque acer inimicus, aspere apud populum Romanum et uehementer esset locutus, quam orationem in originibus suis exposuit ipse. — quod item apud Catonem scriptum esse uideo, nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse. *Quintil. 2, 15, 8:* Seruium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos paruulos in contione produxerat sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse cum aliorum monumentis tum Catonis oratione testatum est. — *cf. Ps.-Ascon. ad Cic. diu. 20, 66 p. 203 St.:* Cato accusauit Sergium Galbam pro direptis Lusitanis. *Liu. per. 49:* Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populo Romano dediti ab Seruio Galba in Galliam uenissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. exstat oratio et in annalibus ipsius inclusa. Q. Fuluius Nobilior ei, saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba; ipse quoque Galba cum se damnari uideret, complexus duos filios praetextatos et Sulpici Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. *39, 40, 12.*

108. *Cf. carmen de figuris u. 139 sqq. p. 68 Halm.:* Est conductio conque gregatio, cum adcumulo res. Multa hortantur me: res, aetas, tempus, amici, concilium [-lia *lib.*] tantae plebis, praenuntia uatum [*sic Halm* denuncia *Schneidewin* dementia natum *Quich.* denuntia natum *lib.*]. *Imitatus est Catonem Memmius Sallustianus in bell. Iug. 31.*

4 nihil *om. libri add. Corradus ex Val. Max. 8, 1, 2*   8 sique se *Gud. 2* sicque se *C. Peter*   flammae *Lagom. 30. 56*

108, 15 origiū *Q*   16 contraserunt *X ante corr.*   serum *Z* cum plib; *Q*   17 Multa me] multa rie *Π*   dehorata *X ante corr.* deortata *Z*

aetas, uox, uires, senectus; uerum enim uero, cum tantam rem peragier arbitrarer . . .

109. *Gell. 1, 12, 17.* M. Cato de Lusitanis, cum Seruium Galbam accusauit: Tamen dicunt deficere uoluisse. ego me nunc uolo ius pontificium optime scire: iamne ea causa pontifex capiar? si uolo augurium optime tenere, ecquis me ob eam ⟨re⟩m augurem capiat?

110. *Non. s. u. pisculentum p. 151.* Cato originum — libro VII: . . . fluuium Hiberum; is oritur ex Cantabris, magnus atque pulcher, pisculentus.

111. *Fest. s. u. mulleos p. 142 M.* M. Cato originum li. VII: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos alitaciniatos, ceteri peronei . . .

112.** *Plut. q. Rom. 49.* *Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἄρχειν ἔθος ἦν ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν ἀχίτωνας, ὡς Κάτων ἱστόρηκεν;*

113. *Fest. s. u. ruscum p. 262 M.* Cato originum l. VII: Mulieres

110. *Vid. fr. 97. — cf. Strab. 4, 4 p. 159: Ῥεῖ δὲ ὁ Ἴβηρ, ἀπὸ Καντάβρων ἔχων τὰς ἀρχάς, ἐπὶ μεσημβρίαν διὰ πολλοῦ πεδίου παράλληλος τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν. Plin. n. h. 3,21:* Regio Ilergaonum, Iberus amnis nauigabili conmercio diues, ortus in Cantabris haud procul oppido Iuliobrica, per CCCCL M pass. fluens, nauium per CCLX M a Varia oppido capax. — *Fortasse spectat ad bellum quod a. 153. 601 Celtiberis a Q. Fuluio Nobiliore inlatum est.*

112. *Ex quaestionibus Romanis repetiit Plut. Coriol. 14: Καὶ γὰρ ἔθος ἦν τοῖς μετιοῦσι τὴν ἀρχὴν παρακαλεῖν καὶ δεξιοῦσθαι τοὺς πολίτας ἐν ἱματίῳ κατιόντας εἰς τὴν ἀγορὰν ἄνευ χιτῶνος.*

1 etas uxor uires *Z (in ras.)* enīuiro *X ante corr.* rē. p. agier *N* rēp agier *O* *pagier *Z* agier *X* 2 arbitraret *Z* arbitraretur *Q*

109, 3 Sergium *libri* 4 tamen] cum *ς* 5 si] ius *Popma* 6 ecquis] et quis *VR* et quos *P* ob meam augurem *VPR* ob eam rem aug. *uulgo* augurii scientiam *inseruit Hertz*

110, 8 libro VIII *Esc. an* libro V? 9 fluuius hiberus oritur *F in ras.* H^1 fluuiū Hiberum LH^2 Cantabris] *Iunius* catinatis *libri praeter* G^1 (cacinatis) magnis H^1

111, 12 allitaciniatos *cod.* alutacinatos *uel* lunatos *August. Vrsin.* alutacinatos *Turnebus* alii uncinatos *Scaliger* aluta laciniatos *Mueller* aluta cinctos *Haupt* aluta uinctos *Mommsen de corrigiis intellegens (apud Iordan.)*

113, 17 commemorat Cato or. l. VII mulieres opertas *Scaliger*

opertae auro purpuraque; arsinea, rete, diadema, coronas aureas, rusceas fascias, galbeos lineos, pelles, redimicula . . .

114*. *Charis. 1 p. 101 K.* Cato in originibus: Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere unguitabant, ut rutilus esset crinis.

115.** *Seru. (auctus) ad Aen. 3, 64.* Cato ait deposita ueste purpurea feminas usas caerulea, cum lugerent.

116. *Charis. 1 p. 93 K.* Quamuis Cato originum VII genetiuo casu dixerit: Iurum legumque cultores.

117. *Fest. s. u. socordiam p. 293 M.* M. Cato *[socordiam]* pro *[stultitia posuit originum l.]* VII, cum ait: *[. . . . . Ob im]*mensam ti*[miditatem et socordiam causa erat]* ne quid neg*[oti publici . . . . . . gere]*retur.

INCERTORVM ORIGINVM LIBRORVM RELIQVIAE

118. *Cic. Tusc. 4, 2, 3.* Grauissimus auctor in originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum uirorum laudes atque uirtutes.

---

114. *Seru. (auctus) ad Aen. 4, 698:* In Catone legitur de matronarum crinibus: Flauo cinere unctitabant, ut rutilae [sic *Flor.* rutuli *Tur.*] essent.

116 *iterum posuit Charis. 1 p. 135 K.*

117. *Paul. p. 292 M.:* Socordiam quidam pro ignauia posuerunt. Cato pro stultitia posuit.

118. *Cic. Tusc. 1, 2, 3:* Quamquam est in originibus solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum uirtutibus. *Brut. 19, 75:* Atque utinam exstarent illa carmina, quae multis saeclis ante suam aetatem in epulis esse cantata a singulis conuiuis de

---

1 ars inheret *cod.* arsinea, rete *Scaliger (coll. Paul. p. 20 M.)* 2 ruscea facile *cod.* ruscea facie *Vrsinus* russeas fascias *Scaliger (coll. Apul. met. 2, 7),* rusceas fascias *(propter Festi u. antec.) Mueller* galbeos lineas *cod.* galbeos, lineas *Scaliger* galbeas lineas *Mueller* galbeos lineos *Iordan* pelles *cod.* pallas *Roth*

114, 4 flauo cinere *Seruius* inungitabant *Putschius* unctitabant *Seruius* et rutilius esse cinis *Neapol.* ut rutilus esset crinis *ed. princ.* cinis *del. Keil*

115, 6 purpura *Flor.*

116, 7 originum III *exc. Cauchiana* 8 *p. 135 deest in Neap.* cultores

117, 9 *exempli gratia exhibui Vrsini Muellerique supplementa, etsi non omni ex parte placent*

119.** *Seru. ad Aen. 1, 726.* Vt ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.

120. *Charis. 1 p. 131 K.* Glis Varro in admirandis 'in silua mea est glis nullus' sed et Cato in originibus ita est locutus.

121. *Charis. 1 p. 124 K.* Biber G. Fannius annalium VIII — Cato quoque originum ** *(ipsa uerba interciderunt).*

122. *Seru. (auctus) ad georg. 1, 75.* Cato in originibus: Alae ex lup⟨*ino*⟩ lug . . . . . .

123. *Seru. (auctus) ad Aen. 3, 637. Argolici clipei]* Quia Graecorum clipei rotundi, ut Cato originum ait.

124. *Macrob. 1, 14, 5.* Veteres 'an' pro 'circum' ponere solebant, ut Cato in originibus: Oratorum an terminum.

125. *Non. s. u. tributum p. 229.* Cato originum libris: Ne praedia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur . . .

---

clarorum uirorum laudibus in originibus scriptum reliquit Cato. *cf. de legg. 2, 24, 62. Varro de uit. pop. Rom. apud Nonium s. u. assa uoce p. 76:* In conuiuiis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudis erant maiorum, et assa uoce et cum tubicine. *Quintil. 1, 10, 20:* Veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. *Val. Max. 2, 1, 10:* Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa canebant [*sic recte Nep.* pangebant *libri Val.*], quo ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent.

119. *Cf. Seru. ad Aen. 1, 637:* Notandum quia affluentiam ubique exteris gentibus dat, Romanis frugalitatem, qui et duobus tantum cibis utebantur et in atriis edebant sedentes. *Meyer in orationis ne legi Orchiae derogaretur fragmentis posuit p. 94. res anceps est.*

120. *Plura Catonis uerba adlata erant a Charisio 1 p. 90 K. sed librariorum incuria interciderunt:* Gliris nominatiuus est hic glis non glir, ut quidam uolunt. nam Varro in admirandis ait — et Cato in originibus * * *, *ut etiam Catonis uerba fr. 121.*

122, 8 *In cod. post* lup *quattuor, post* lug. *tredecim litterae euanuere, tum sequitur* de lingua latina: alam *et q. s. in ed. Danielis haec exstant* lupino lugium . . . tamen Varro de l. l., legumine *Roth, Thilo*

124, 12 orator *Paris.* am *Par. ante corr.* oratorum amterminum *Scaliger* arator *uel* uruator *Roth cf. Paul. p. 17 M.* Amtermini qui circa terminos prouinciae manent.

125, 14 dirigerentur *FH* derigerentur *L* dirigentur *GE* diriberentur *L. Mueller* eum F^1G

INCERTORVM CATONIS LIBRORVM RELIQVIAE SELECTAE

126. *Fest. s. u. natinatio p. 166 M.* M. Cato in *[orig. lib. V scripsit: audito tum]*ultu Macedoniae Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse . . .

127. *Cic. de rep. 1, 17, 27.* Quam est hic fortunatus putandus —, qui — ut Africanum auum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam se plus agere quam nihil cum ageret, numquam minus solum esse quam cum solus esset.

128. *Fronto ep. ad Ver. 2, 1 p. 129 N.* Ipsum hoc tuum a te diu⟨ti⟩na prudentia consultum, quod non ante signis conlatis manum cum hostibus conseruisti, quam leuibus proeliis et minutis uictoriis militem imbueres, nonne Cato docuit, orator idem et imperator summus? Ipsa subieci Catonis uerba, in quibus consiliorum tuorum ex-
195/559 pressa uestigia cerneres: Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam, quid facere possent; proeliis leuibus spectabam, cuiusmodi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem uellent facere, atque in contione uerbis multis laudabam. interim aliquot pauca castra feci. sed ubi anni tempus uenit, castra hiberna . . . . .

195/559 **129.** *Plutarch. Cat. 10.* Αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων πλείονας

126 *suppleuit Mueller, qui Macedonicum hunc tumultum ad Philippi regis foedus cum Hannibale initum a. 215. 539 spectare existimat.*

127. *Cic. de off. 3, 1, 1:* P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primus *[om. Bamb. pr. m.]* Africanus appellatus est, dīcere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. *Plut. apophth. reg. et imp. 1:* Σκιπίων δὲ ὁ πρεσβύτερος τὴν ἀπὸ τῶν στρατειῶν καὶ τῆς πολιτείας σχολὴν ἐν γράμμασι διατριβὴν ποιούμενος ἔλεγεν, ὁπότε σχολάζοι, πλείονα πράττειν. *cum his uerbis* 'illud uerum est M. Catonis oraculum: nihil agendo homines male agere discunt' *(Colum. 11, 1) Bormann conexuit, ut prooemii sententiam expleret, at tamen restitutio eius admodum dubia est.*

128. *Cf. supra p.* CLVIII *sq.*

129. *Haec res, quam eius auctoritate usus iterum exposuit Plutarchus apophth. 25. 26, sumpta est aut ex originibus aut ex dierum dictarum libris.*

126, 1 *suppleuit Mueller*

127, 7 *post* ageret *in palimpsesto* numquam se plus agere *repetita sed punctis notata sunt*

128, 14 lenibus *codex* 17 aliquitau castra *codex corr. Mai* 18 *quae sequebantur, in cod. oblitterata sunt*

εἰληφέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ· καὶ τοῦτο κόμπος οὐκ ἔστιν, εἴπερ ὡς ἀληθῶς τετρακόσιαι τὸ πλῆθος ἦσαν. τοῖς μὲν οὖν στρατιώταις πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν ἔτι καὶ λίτραν ἀργυρίου κατ' ἄνδρα προσδιένειμεν, εἰπών, ὡς κρεῖττον ἦν πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν· εἰς δ' αὑτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε. 'Καὶ οὐκ αἰτιῶμαι', φησί 'τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας'.

130. *Plutarch. Cat. 14.* Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε, 191/563 τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγε, πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις ὄγκον περιτέθεικε καί φησι τοῖς ἰδοῦσιν αὐτὸν τότε [*in pugna Thermopylensi*] διώκοντα καὶ παίοντα τοὺς πολεμίους παραστῆναι μηδὲν ὀφείλειν Κάτωνα τῷ δήμῳ τοσοῦτον, ὅσον Κάτωνι τὸν δῆμον, αὐτόν τε Μάνιον τὸν ὕπατον θερμὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔτι θερμῷ περιπλακέντα πολὺν χρόνον ἀσπάζεσθαι καὶ βοᾶν ὑπὸ χαρᾶς, ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις.

131. *Ps. Frontin. 4, 1, 16.* M. Cato memoriae tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si lenius animaduertere uoluissent, in principiis sanguinem missum.

132. *Cic. de diuin. 1, 15, 28.* Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, neglegentia collegii amissa plane et deserta sunt.

130. *Wagener ad quintum originum librum rettulit, Iordan cautius ad incert. libr. reliq. 70 p. 92.*
131. *Iordan in rel. de re militari libri (p. 82) posuit. forsitan ex originum libro quarto fluxerit, quo res Romanas militares Carthaginiensibus Cato opposuisse uidetur (fr. 82).*

129, 5 ἦν] εἴη *Paris. A*[2] 6 ὀλίγον *Barocc. c Par. A*[1] αὐτόν *libri* αὑτόν *Stephanus*
131, 22 memoriae *om. Ioann. Saresb. Polycr. 6, c. 12, qui sua hinc exscripsit* 23 deprehensis *Saresb.* si lenius] *Lipsius* silentius *Goth. Harl.* ut silentius *Par.* si benignius *Saresb.* si leuius *uel* si lentius *uulg.* 24 principiis] *Saresb. uulg.* in principis *Goth. Harl. Par.* in principes *Stewechius*
132, 26 omissa *Moser* 27 et *sup. lin. Voss. A*

133. *Paul.-Fest. s. u. uiritim p. 378 M.* Cato: Praeda quae capta est, uiritim diuisa.

134. *Charis. 1 p. 102 K.* Cato sic dixit: et in Italia atras capras lacte album habere.

135. *Charis. 1 p. 134 K.* Sed et Cato his 'iugeris', ut notat Plinius eodem libro VI.

136. *Charis. 2 p. 215 K.* Primo pedatu Cato senex: In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum ui captum, alteras primo pedatu et secundo, ut Maximus notat.

137. *Seru. (auctus) ad Aen. 3, 314.* Cato ait, uerba tertiato et quartato quempiam dicere prae metu.

138. *Seru. (auctus) ad Aen. 4, 121.* Cato: Sedere non potest in equo trepidante.

139. *Seru. (auctus) ad Aen. 4, 293.* Cato: Qua mollissimum est, adoriantur.

140. *Seru. (auctus) ad Aen. 8, 694.* Cato: Sub tela uolantia.

141. *Priscian. 6 p. 227 H.* Cato (in I originum — idem) 'nulli' pro 'nullius': qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas . . .

142. *Priscian. 3 p. 87 H.* Cato [dixit]: quod iter longius arduiusque erat a curia . . .

143. *Priscian. 6 p. 260 H.* Cato: speca prosita, quo aqua de uia abiret . . .

134 *Roth p. 276 inter originum fragmenta recepit. cf. de fr. 134—136 supra p.* CLXI.

139. *Ad elephantos coll. Liuio 21, 55, 11 (de pugna Trebiensi):* eos uelites ad id ipsum locati uerutis coniectis et auertere et insecuti auersos sub caudis, qua maxime molli cute uulnera accipiunt, fodiebant, *et ad libr. V refert Woelfflin m. Rh. 41 p. 155.*

141. *Repetiit Priscianus p. 266 H. utroque l. post fr. 25. Iordan in annal. Iahn.* LXXX *p. 429 haec a Catone in originum prooemio dicta esse existimat. cf. de fr. 141—143 supra p.* CLXI.

136, 7 in is *Neap.* in his *ed. princ.*

137, 10. 11 tertiata et quartata *Popma.*

139, 14 qua *Commelinus* quam *Flor.* 15 adoriuntur *Daniel*

141, 17 *p. 266 sine codd. auctoritate post* idem *in edd.* in II *propagatum est* 18 nullae *G. I. Vossius, Krehl* sies *libri p. 266* est *p. 227* nil *p. 266*

142, 19 dixit *om. (Par.) P* inter *P* longius (*suprscr.* i *sup.* i) *Sang.* longuius *Gruter. K(arolir.)* 20 a] *om. PK*[1]

143, 21 pro siti *(Par.) R Bamb. B(ern.) S(ang.) Gruter.* ppositi *H*[1]*(alberst. pr. m.)* ppsita *H*[2] propositi *Karolir.* apposita *edd. ante*

143 A. *Ioann. Lyd. de mag. 1, 47 p. 159 Bk. 49 W.* Ἀδωράτορες οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἀπομάχους καλοῦσιν (ἀδωρέα γὰρ κατ' αὐτοὺς ἡ τοῦ πολέμου λέγεται δόξα, ἀπὸ τῆς ζειᾶς καὶ τῆς τιμῆς τῶν ποτε τιμηθέντων αὐτοῖς), βετερανοὺς τοὺς ἐγγεγηρακότας τοῖς ὅπλοις (μάρτυρες Κέλσος τε καὶ Πάτερνος καὶ Κατιλίνας, οὐχ ὁ συνωμότης ἀλλ' ἕτερος, Κάτων ⟨τε⟩ πρὸ αὐτῶν ὁ πρῶτος καὶ Φροντῖνος).

143 A. *Quoniam duo alii loci Catoniani apud Lydum (adn. ad fr. 17. fr. 19) ex originibus sumpti sunt, hoc tertium addidit Sieglin* (Philol. Wochenschr. *1883 p. 1448 sq.*); *deest tamen h. l. inter ceteros auctores, quos adfert, partim nobis omnino ignotos, Varro. Vox* adorator *in Latinitate non inuenitur. de* adoria *uid. Thes. Lat. I c. 813 sq.*

Krehlium posita *Krehl* prosita *M. Haupt* (*coll. Paul. p. 226 M.* prosita proposita) p. 96, 20. 21 deuia *R Amien. B* 21 habiret *B ante corr.*

143 A, 4 αὐτῇ *G. Kroll* βετεριανοὺς *cod.* 6 τε *add. Wuensch*

C. CASSII HEMINAE ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Tertullian. apolog. 10.* Saturnum itaque, si quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Seuerus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum alium quam hominem promulgauerunt, si quantum rerum argumenta nusquam iuuenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus a Iano uel Iane, ut Salii uolunt.

2*. *Solin. polyh. 2, 10.* Notum est — constitutam — Ariciam ab Archilocho Siculo, unde et nomen, ut Heminae placet, tractum.

3*. *Seru. (auctus) ad Aen. 7, 631.* Cassius Hemina tradidit, Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemestrae condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum.

4*. *Seru. (auctus) ad georg. 1, 10.* Cincius et Cassius aiunt, ab

1. *Cf. Tertull. ad nat. 2, 12:* Cum autem Saturnum constat uixisse, frustra demutatis: non conceditur uobis, quem non negabitis fuisse hominem, qui neque deus neque tempus defendi potest. exstat apud litteras uestras usquequaque Saturni census: legimus apud Cassium Seuerum *[cf. supra p. CLXXI]*, apud Cornelios Nepo*tem* et Tacitum *[hist. 5, 2; 4]*, apud Graecos quoque, Diodorum quiue alii antiquitatum canos collegerunt *[sic libri;* antiquitatum canos *a Tertulliano dictum esse arbitratur Oehler pro antiquissimis hominibus. —* canones *Schmitter. ego cogitaui de* antiquitatum commentarios *coll. apol. 10]. Minucii Fel. 21, 4:* Saturnum enim principem huius generis et examinis omnes scriptores uetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. scit [scribit. *Pitheous*] hoc Nepos et Cassius in historia, et *[delet Halm]* Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. *Lactant. instit. 1, 13, 8 (quo loco Varro agmen claudens eius doctrinam indicat):* Omnes ergo non tantum poetae sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores *[Saturnum]* hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt, Graeci Diodorus *[5, 66]* et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro. *cf. Schwegler I p. 212 sq. et supra s. l.*

4. *Vid. supra p. 41.*

2, 9 chilocho *Haun.* Archia *Salmas.*

3, 10 *e Turonensi addidit Daniel*

4, 13 *Vid. Cinc. fr. 2*

Euandro Faunum deum appellatum ideoque aedes sacras 'faunas' primo appellatas, postea fana dicta, et ex eo qui futura praecinerent, fanaticos dici.

5*. *Schol. Veron. ad Aen. 2, 717 p. 428 H.* Varro secundo historiarum refert, Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium ⟨*gratia obtinuisse a*⟩beundi potestatem. itaque ⟨*concessum ei quod*⟩ uellet auferre; cumque circa aur⟨*um*⟩ opesque alias ceteri morarentur, Aenean patrem suum collo ⟨*tulisse mirantibus*⟩que Achiuis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam, ac deos penates ligneis sigillis uel lapideis, terrenis quoque Aenean ⟨*umeris extulisse*⟩. quam rem Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse eaque ⟨*ratione saepius redeuntem omnia e Troia abstulisse et in nauibus posuisse. A*⟩tticus de patre consentit, de dis penatibus negat, sed ex Samothracia in Italiam deuectos, contra quam opinionem refertur ⟨*fuisse simulacr*⟩a Vestae incensis deae eius aris ex ruinis Troicis liberata. Additur etiam ab L. Cassio Censorio miraculo magis Aenean patris ⟨'*dignitate sanctio*⟩rem' inter hostes intactum properauisse concessisque ei nauibus in Italiam nauigasse. Idem historiarum libro I ait, Ilio capto ⟨*Aenean cum dis pena*⟩tibus umeris inpositis erupisse duosque filios Ascanium et Eurybaten bracchio eius innixos ante ora hostium prae⟨*tergressos. dat*⟩as etiam ei naues concessumque, ut quas uellet de nauibus securus ueheret.

6*. *Seru. (auctus) ad Aen. 1, 378.* Alii autem, ut Cassius He-

5. *Vid. supra p.* CLXX.
6. *Cf. Macrob. sat. 3, 4, 9:* Cassius uero Hemina [emina *Paris.*] dicit, Samothracas [samothracos *Bamb. ante emend.*] deos eosdemque Romanorum penates proprie dici θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστούς [χρηστον *Par.*], θεοὺς δυνατούς (δυ*νατους — *o eras. — Paris.* δινατους *Bamb.*]. *uterque, et Seruius et Macrobius, ex Varrone sua hausisse uiden-*

5, 4 *Lacunas codicis comparato Seruio aucto ad Aen. 2, 636, qui in excerpto Varroniano paene ad uerbum consentit, expleuit Keil* humanarum *Seruius l. s.* 17 et Pisone *ante* Censorio *addidit Ritschl at uid. supra p.* CLXX *in codice non est lacuna* ab L. Cassio censorio miraculo magis *Pluess in Fleckeiseni annal.* CIII *p. 295* 19 Item . . . . h. *Ritschl* Idem h. *codex* libro II *si recte haec ad Varronem uerba rettulimus* 21 Eurybatis *filii Aeneae nusquam quod sciam mentio fit.* Euryleontis *ap. Dion. 1, 65, 1. 72, 1 et schol. ad Lycophronem 1263*
6, 24 *solus exhibet C(assellanus)* casius *C*

mina, dicunt deos penates ex Samothraca appellatos *θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατούς, θεοὺς χρηστούς.*

7*. *Solin. 2, 14.* Nec omissum sit, Aenean aestate ab Ilio capto secunda Italicis litoribus adpulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius sescentis, in agro Laurenti posuisse castra; ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur, a Diomede Palladium suscepit tribusque mox annis cum Latino regnauit socia potestate quingentis iugeribus ab eo ac-

---

tur, qui duas sententias de penatibus contaminauerat, de quibus una eos ex Samothracia Romam translatos esse prodiderat, altera inter Samothraciam et Romam Troiam interpolauerat (uide Wissowa Abhandl *p. 96 sqq.). illam, quam Cassius recepit, Varronem cognouisse ipse testatur de ling. lat. 5, 58:* Terra enim et Caelum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni et hi quos dixi multis nominibus, — hi quos augurum libri scriptos habent sic: 'Diui qui potes' pro illo quod Samothraces 'theoe dynatoe', *hanc, quae fuit Timaei (uid. Wissowa l. s. p. 108 sqq.), eum propagasse Seruius (ad Aen. 1, 378):* Idem Varro hos deos *[penates]* Dardanum ex Samothraca in Phrygiam, de Phrygia Aeneam in Italiam memorat portauisse = *ad Aen. 3, 148 et Macrobius 3, 4, 7* (Varro humanarum secundo Dardanum refert deos penates ex Samothrace in Phrygiam et Aeneam ex Phrygia in Italiam detulisse). cf *Seru. ad Aen. 3, 12* Dii penates a Samothracia sublati ab Aenea in Italiam aduecti sunt, unde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur. *Plura ex Varrone Dionysius 1, 61 sqq. de penatibus excerpsit, uid. Kiessling De f. Dion. p. 41 et Wissowa l. s. p. 107 sqq. de Attici sententia uid. supra fr. 5.*

7. *Cf. Seru. Aen. 1, 720:* Venus Erycina, quam Aeneas secum aduexit. — *De Aeneae aduentus tempore eandem famam quam Cassius secutus est ex Varrone, ut uidetur, Dionysius 1, 63 sq.: περὶ δὲ τῶν χρόνων ἐν οἷς ἐκτίσθη τὸ Λαουΐνιον ἄλλοι μὲν ἄλλως λέγουσιν· ἐμοὶ μέντοι δοκοῦσιν οἱ δευτέρῳ μετὰ τὴν ἔξοδον τὴν ἐκ Τροίας ἔτει φέροντες αὐτὴν εἰκότα μᾶλλον λέγειν. — 64. Αἰνείας δὲ κατασκευάσας ἱεροῖς τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις ἀποχρώντως τὴν πόλιν, ὧν τὰ πλεῖστα ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦν, τῷ μὲν ἑξῆς ἐνιαυτῷ, τρίτῳ δὲ ἀπὸ τῆς ἐξόδου, Τρώων ἐβασίλευσε μόνων· τῷ δὲ τετάρτῳ τελευτήσαντος Λατίνου καὶ τὴν ἐκείνου βασιλείαν παραλαμβάνει. — τὸ δὲ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον οἱ μὲν εἰς θεοὺς μεταστῆναι εἴκαζον, οἱ δ᾽ ἐν τῷ ποταμῷ, παρ᾽ ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον· Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει. — 65. Αἰνείου δ᾽ ἐξ ἀνθρώπων μεταστάντος ἑβδόμῳ μάλιστα ἔτει μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν κτλ. cf. Schwegler I p. 284.*

---

1 [S]amothraceica *C* μεγαλος C 2 *χπηστοιε C*
7, 5 aplius *Heidelb. Sang.* 6 adduxerat *Angelom.* dedicauit *Cas. Paris.* 7 Frutis] fructus *Par. M* ericis *Vat. Cas.* suscepit] *codd. classis II* suscipit *Angel. Paris.* suscepisse *class. I* 8 regnauit *class. I (om. Heidelb.)* regnat *class. II* socia] sua *Vat.* acceptus *Guelferb.*

ceptis, quo defuncto summam biennio adeptus apud Numicium parere desiit anno septimo. patris Indigetis ei nomen datum.

8. *Gell. 17, 21, 3.* Vtrumque tamen *[Homerum et Hesiodum]* ante Romam conditam uixisse, Siluiis Albae regnantibus, annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta.

9. *Non. s. u. ilico p. 325.* Hemina hist. lib. I: Et tum quo irent nesciebant, ilico manserunt. — His persuadetur, ilico manerent. — Pars ilico manent.

10. *Non. s. u. perplexim p. 515.* Hemina hist. lib. I: Prudens perplexim scribit.

EX LIBRO II

11. *Diomed. I p. 384 K.* Haec ita esse hoc modo adfirmat Cassius Hemina in secundo historiarum: Pastorum uulgus sine conten-

8. *Vid. supra p.* CLXVII.

10. *Roth ad Tarpeiam rettulit, Schmitter p. 23 ad Amatae uel alius cuiusdam litteras, quae, cum Aeneas cum Turno bellum gereret, scriptae essent. sed res prorsus incerta est.*

11. *Vid. Non. s. u. p. 114:* Grundulsis [*leg.* Grundulis] lares dicuntur Romae constituti ob honorem porcae, quae triginta pepererat. *cf. Schweg-*

1 Numicium] *Heidelb. Angel.* nomicium *Vat. Cas. Haun. Sang.* numicum *Leid. Par. M Guelf. Par. P*[2] nimicum *Par.*[1] parare *Par.*[1] *Haun.* apparere *Sang.* 2 desiuit *Angel. Paris.* patris] *class. I* patrisque *class. II*

8, 4 siluis *Z* alba eregn. *X* 5 traianum $Q^1 Z$ sassius Q^2 $Z\Pi X Q^2$ sallius $Q^1 T$ utiassius X^1 *ante corr.* 6 hesiodio *X* hesyodo *T* plus ⟨minus⟩ *E. Rohde mus. Rhen. 36 p. 422* ducentis atque sexaginta *Lipsius*

9, 9 *Ex diuersis libri primi partibus haec tria fragmenta esse decerpta facile intellegitur, quare Mueller interposuit* idem *atque* et. *uulgo coniunguntur.* hist. *ante* Hemina *libri* tunc *B Gen.* H^2 cum *Mercer. ante* quo *Schmitter add.* quia 10 nesciebat *B Gen.* H^1 11 pars ilico manent *om.* L^1

10, 12. 13 Hemina — perplexim *om. Bamb. Lugd.* Emina in I histo *Flor.* 13 *inter* perplexim *et* scribit *inserunt libri* scottino *i. e.* σκοτεινῶς, *quam uocem primo explicandi causa additam postea falso in Cassii uerba irrepsisse iam a Passeratio est animaduersum.*

11, 15 emina *Par. A* uulgus *Par.* B^2 uulsus *Par. A B Mon.*

tione consentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pararent inter se. monstrum fit: sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt laribus Grundilibus.

12*. *Plin. n. h. 18, 7.* Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset, id uno modo consecutus, statuendo non esse purum ad rem diuinam nisi tostum.

13*. *Plin. n. h. 32, 20.* Pisces marinos in usu fuisse protinus a condita Roma auctor est Cassius Hemina, cuius uerba de ea re subiciam: Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus, ut conuiuia publica et priuata cenaeque ad puluinaria facilius compararentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent eaque praemercarentur.

14*. *Macrob. sat. 1, 16, 33.* Sed Cassius Seruium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in urbem ex agris conuenirent urbanas rusticasque res ordinaturi.

---

ler I p. 323. Diodor. 8 fr. 4 p. 148 Vgl. (exc. Vales. p. 547): χωρὶς δὲ τῆς ἐν τούτῳ φιλοτιμίας ὑπῆρχον ἅπασι τοῖς πλησίον νομεῦσι προσφιλεῖς, ταῖς τε ὁμιλίαις συνόντες καὶ τὸν ἑαυτῶν τρόπον μέτριον καὶ κοινὸν τοῖς δεομένοις ἀναδεικνύντες. διὸ καὶ τῆς πάντων ἀσφαλείας ἐν τούτοις κειμένης οἱ πλεῖστοι τούτοις ὑπετάττοντο καὶ τὸ παραγγελλόμενον ἐποίουν συντρέχοντες εἰς οὓς προστάξαιεν τόπους *cf. Mommsen Opusc. hist. I p. 10.*

12. *Cf. Plut. Num. 8. 16; quaest. Rom. 15. Dion. 1, 74, 4. Schwegler I p. 541. 681.*

13. *Cf. Festus s. u. pollucere p. 253, ubi merces enumerans, quas cuiuis deo pollucere liceat, dicit etiam* pisces quibus est squama praeter scarum. *Bluemner* Roem. Privatalt. *p. 180 sqq.*

14. *Nundinas institutas esse a Seruio Tullio etiam Varroni placuit. Macrob. sat. 1, 13, 20. uid. Tudit. fr. 2. Rutil. fr. 1.*

---

2 pararent inter se *I. F. Gronouius* parent inter se *Par. AB Mon. et cod. Scioppii* pares inter se essent *uet. editiones* 2 monstram *Mon.* 3 fecerunt *Par. AB* secernunt *Mon.* grundilibus *cod. Scioppii* grundulibus *Putschius cum Arnobio 1, 28* grundilis *Par. AB Mon.*

12, 5 hemina] *Par. d* emina *Vat.*[2] eamina *Par. E* aemina *cet. codd.* 6 salubrius esset] *Par. d* salubribus (*uel* sarl-) esse *P cet. codd.* consecutus *Ian* consecutum *codd.*

13, 10 pollucerent] *B(amb.)* polluerint *V(oss.) R(icc.) C(hiffl.)* polluerent *(Par.) d* 11 parsimonia] *Scaliger* patrimonia *codd.* conuentus *B Par. E* 12 conparentur *VRC* niqui *VRdC* neque *B* neque qui *Sillig* polluctum *B* polluc *VRd* 13 paterent *C*

15*. *Seru. (auctus) ad Aen. 12, 603.* Cassius Emina ait, Tarqui-
nium Superbum, cum cloacas populum facere coegisset et ob hanc
iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci
afligi. tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere. 508
16. *Non. s. u. censere p. 267.* Cassius Emina historiarum lib. II: 246
Censuit sese regem Porsennam occidere.

17*. *Non. s. u. pleuitatem p. 149.* Hemina in ann.: Quicumque
propter plebitatem agro publico eiecti sunt, . . .

18*. *Macrob. sat. 1, 13, 21.* Quando autem primum intercala- 450—504
tum sit, uarie refertur. — Tuditanus refert libro tertio magistratuum,

15. *Cf. Plin. 36, 107:* Cum id opus *[cloacas]* Tarquinius Priscus plebis manibus faceret essetque labor incertum maior an longior, passim conscita nece, Quiritibus taedium fugientibus, nouum, inexcogitatum ante posteaque remedium inuenit ille rex, ut omnium ita defunctorum corpora figeret cruci spectanda simul ciuibus et feris uolucribusque laceranda. quam ob rem pudor Romani nominis proprius, qui saepe res perditas seruauit in proeliis, tunc quoque subuenit, sed illo tempore ui post uitam erubescens, cum puderet uiuos tamquam puditurum esset exstinctos. amplitudinem cauis eam fecisse proditur, ut uehem faeni large onustam transmitteret. *cf. Muenzer* Quellenkr. d. Plin. *p. 184 sq. Opus illud cloacarum a Prisco inceptum postea continuatum esse a Superbo satis constat; grauius tamen exercuit plebem Superbus (Liu. 1, 56, 2. Dion. 4, 44). quam ob rem quod supra expositum est aptius in hunc quadrat (cf. Cass. Dion. fr. 11 B.).*

16 *spectare ad Mucii Scaeuolae facinus quiuis uidet. cf. Liu. 2, 12, 7:* ibi cum stipendium militibus forte daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites uolgo adirent, timens sciscitari, uter Porsina esset, ne ignorando regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.

17. *Recte Schwegler II p. 213 not. comparauit hunc Sallustii historiarum locum (ap. August. de ciuit. dei 2, 18. 3, 16. 5, 12. hist. 1, 10 p. 10 Kr. 1, 11 p. 5 M.):* Iniuriae ualidiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum graue cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. dein seruili imperio patres plebem exercere, de uita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in imperio agere. *Liu. 2, 21, 6* Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia *[Tarquinio Superbo mortuo 495. 259].* plebi, cui ad eam diem summa ope inseruitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere.

18. *Vid. Mommsen chron. p. 31. Soltau chron. p. 32. 231. Tudit. fr. 7. Licin. 4. Antiat. 5 c. adnot.*

15, 2 cloapas *Flor.* 3 se *om. Flor.* 3. 4 cruci — sibi *om. Flor.* 4 consciscere] sistere *Flor.*

16, 5 li. VI *Flor.* 6 porsenam *Flor.*

17, 7 in annos *libri* in annalibus *uulgo* Hemina: hos quic. *Mueller* 8 pleuitatem *libri praeter H^1* (leuitatem) *corr. Iunius*

decem uiros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores.

390/364 **19***. *Appian. de reb. Gall. fr. 6 p. 49 Mend. (exc. Vales. p. 557).* *Κελτοὶ μηδεμιᾷ μηχανῇ δυνηθέντες ἐπιβῆναι τῆς ἀκροπόλεως ἠρέμουν ὡς λιμῷ τοὺς ἔνδον παραστησόμενοι. καί τις ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου κατέβαινεν ἱερεύς, ὄνομα Δόρσων, ἐπὶ ἐτήσιον δή τινα ἱερουργίαν ἐς τὸν τῆς Ἑστίας νεὼν στέλλων τὰ ἱερὰ διὰ τῶν πολεμίων εὐσταθῶς· τὸν δὲ νεὼν ἐμπεπρησμένον ἰδὼν ἔθυσεν ἐπὶ τοῦ συνήθους τόπου· καὶ ἐπανῆλθεν αὖθις διὰ τῶν πολεμίων αἰδεσθέντων ἢ καταπλαγέντων αὐτοῦ τὴν τόλμαν ἢ τὴν εὐσέβειαν ἢ τὴν ὄψιν ἱερὰν οὖσαν. ὃ μὲν δὴ κινδυνεύειν ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ἑλόμενος ὑπ' αὐτῶν ἐσώζετο τῶν ἱερῶν. καὶ τόδε φησὶν ὧδε γενέσθαι Κάσσιος ὁ Ῥωμαῖος.*

389/365 **20.** *Macrob. sat. 1, 16, 21.* Horum *[dierum postriduanorum]* causam Gellius annalium libro quinto decimo et Cassius Hemina historiarum libro secundo referunt: Anno ab urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a tribunis militum Virginio, Manlio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in senatu tractatum, quid esset propter

---

19. *Cf. Liu. 5, 46:* Romae interim plerumque obsidio segnis et utrimque silentium esse, ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium euadere inter stationes posset, cum repente iuuenis Romanus admiratione in se ciues hostesque conuertit. sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. ad id faciendum C. Fabius Dorsuo Gabino cinctu sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus nihil ad uocem cuiusquam terroremue motus in Quirinalem collem peruenit; ibique omnibus solemniter peractis eadem reuertens similiter constanti uultu graduque, satis sperans propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciae seu religione etiam motis, cuius haudquaquam neglegens gens est. *ex Liuio Valer. Max. 1, 1, 11 et Flor. 1, 7 [13], 16. uid. Cass. Dion. fr. 25, 5 sq. Bois. (ubi tamen Fabius ille non Gaius sed Kaeso dicitur). cf. Mommsen* Roem. Forsch. *II 319 sqq. Muenzer* R. E. *VI c. 1768.*

20. *Cf. Liu. 6, 1, 11:* Tum de diebus religiosis agitari coeptum. diemque ante diem XV kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Aliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Aliensem appellarunt insignemque rei nullius publice priuatimque agendae fecerunt. quidam quod postridie

---

18, 2 eodem *Bamberg. ante emendat.*

19, 8 *ἐμπεπρισμένον cod.* 10 *αἰδεσθέντων ante τὴν εὐσέβειαν transponit Nauck* 13 *Καύσιος cod. em. Valesius*

20, 15 casius *Bamberg. ante emendat.* 17 uirgilio mallio *Bamb. Paris.* Virginio Manlio *Zeunius (Αὖλος Μάλλιος ap. Diod. 15, 22, 1)*

quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica; et ex praecepto patrum Lucium Aquinium haruspicem in senatum uenire iussum religionum requirendarum gratia dixisse Quintum Sulpicium tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia fecisse postridie idus Quintiles; item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum. tunc patres iussisse, ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur, pontificesque statuisse postridie omnes kalendas, nonas, idus atros dies habendos, ut hi dies neque proeliares neque puri neque comitiales essent.

21. *Non. s. u. proletarii p. 67.* Cassius Emina annali libro II: Tunc Marcius † praeco primum proletarios armauit.

idus Quintilis non litasset Sulpicius tribunus militum neque inuenta pace deum post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie idus diuinis supersederi iussum; inde ut postridie kal. quoque ac nonas eadem religio esset, traditum putant. *Gell. 5, 17:* Verrius Flaccus in quarto de uerborum significatu dies, qui sunt postridie kalendas, nonas, idus, quos uulgus imperite 'nefastos' dicit, propter hanc causam dictos habitosque 'atros' esse scribit. Vrbe, inquit, a Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in senatu uerba fecit, Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia postridie idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum et post diem tertium eius die urbem praeter Capitolium captam esse, compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie kalendas, nonas, idus a magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps proelio rem publicam male gestam esse. Tum senatus eam rem ad pontifices reiecit, ut ipsi quod uideretur, statuerent. Pontifices decreuerunt, nullum his diebus sacrificium recte futurum. *uid. Mommsen chron. p. 26 n. 32.*

21. *Q. Marcium Philippum, qui a. 281. 473 consul fuit cum L. Aemilio Barbula, intellegendum esse uiderunt Harless (De Fab. et Auf. p. 54) et Vahlen (quaestt. Enn.*[2] *p. CLXXVI sq.). de anno quo proletarios armauerit, uide Oros. 4, 1, 1:* Anno ab urbe condita CCCCLXIIII Tarentini Romanam classem forte praetereuntem spectaculo theatri prospectam hostiliter inuaserunt, quinque tantum nauibus uix per fugam elapsis cetera retracta in portum classis et profligata est, praefecti nauium trucidati, omnes bello utiles caesi, reliqui pretio uenditi sunt continuo missi Tarentum a Romanis legati, ut de inlatis quererentur iniuriis, pulsati ab iisdem auctas insuper iniurias retulerunt. his causis bellum

---

1 toties *Bamb.* 2 aruspicem *Paris.* 4 aduersū *Paris.* 10 p̄liales *Paris.* neque *post* puri *om. in Bamb. ante emend.*

21, 12 thunc *L* marcus *libri* Marcius *Lipsius* tum C. Marius consul primus *Freinsheim ad Flor. 3, 1, 13* praeco *L* p̄co *GF* praetor *Popma Lipsius. malim* pro consule *(in textum rec. Mueller) uid. adnot.* prolaterios L^1 protelarios F^1 prolaetarios *H*

22. *Seru. (auctus) ad Aen. 1, 56.* Vt apud Cassium in annalium secundo: Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset. . . .

23. *Non. s. u. moliri p. 346.* Cassius Hemina de censoribus lib. II: et in area in Capitolio signa quae erant demoliunt.

24. *Non. s. u. denasci p. 101.* Cassius Hemina libro II annali: Quae nata sunt, ea omnia denasci aiunt.

25. *Priscian. 9 p. 482 H.* L. Cassius Emina in secundo annalium: idque admiratum esse gauisi. . .

ingens exortum est. Romanos, qui quantique hostes circumstreperent permetientes, ultima adegit necessitas proletarios quoque in arma cogere, hoc est eos qui in urbe semper sufficiendae prolis causa uacabant, militiae adscribere. — itaque inruit in uniuersos Tarentinorum fines cum Aemilio consule Romanus exercitus, igni ferroque uastat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam insolenter acceptam crudeliter uindicat. continuo Tarentinos plurimis finitimorum praesidiis fultos maxime Pyrrhus auxit *et q. s. et August. de ciuit. d. 3, 17, qui cum Orosio, cum uterque Liuio usus sit, fere consentit. sic a Marcio consule proletarios armatos esse sequeretur. ueri similius tamen est Orosium, cum nimis festinanter res contraheret, rerum et temporum ordinem turbasse, atque a Romanis, cum iam Pyrrhus Tarentum adpulisset, ad extremum illud descensum esse i. e. ineunte anno 280. 474 (Mommsen hist. Rom. I p. 396). praetorem autem quod illo anno fuisse Marcium consulatu defunctum adfirmant Harless et Vahlen (l. s.) Lipsii coniecturam amplexi, ipse cum praeturae post consulatum a Marcio administratae nusquam mentionem factam esse inuenissem, malui:* Marcius pro consule primum p. a. *praeferoque cum Muellero etiam nunc Maduigii coniecturae (Aduers. II p. 657)* 'Tum* C. Marcius pretio primum' *et Paisiinae (Hist. Rom. I 2 p. 276 sq.)* 'Mamercinus praetor'. — *De ipsa armatura cf. Ennii fr. 6, 8 (p. 34) Vahlen:* Proletarius publicitus scutisque feroque | Ornatur ferro, muros urbemque forumque | Excubiis curant.

22 *ad Valerium Poplicolam rettulit Schmitter p. 30, sed id non minus incertum est quam quae de aliis fr. lusit.*

23 *eodem spectare censet Schmitter p. 45 quo Pison. fr. 37, i. e. ad annum 158. 596, sed obstat libri numerus. cf. supra p.* CLXXIII.

22, 1 Casium *P(aris.)* Cossium *Cassell.* in annalibus *P* 2 imperia fremere *P*

23, 4 caesius *LHGGen.* 4. 5 Cassius — area] item *A* de tonsoribus BH^1 5 in aera BH^1*Gen.* in Capitolio] Capitolii *L. Mueller* q: erant *L* qua erant *G ante corr.* demoliunt *B* demoliuit *ALHGGen.*

24, 6 casius G^1 annaliq: L^1 7 nuta F^1 ea] et H^1

25, 8 lucius *Bamb.* casius *S(ang.) et ex* cusius *corr. Halberst.* hemina S^1 *Gr(uter.)* hẹmina *Bern.* emina *cet. libri Hertzi* 9 ammiratum *SGr.*

EX LIBRO III

26*. *Plin. 29, 12.* Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est, primum e medicis uenisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniae filium, L. Aemilio M. Liuio coss. anno urbis DXXXV, eique ius Quiritium datum et tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. uulnerarium eum fuisse egregium mireque gratum aduentum eius initio: mox a saeuitia secandi urendique transisse nomen in carnificem et in taedium artem omnesque medicos. 219 / 535

27. *Non. s. u. cymbalissare p. 90.* Cassius Hemina libro III: mulier cantabat tibiis Phrygiis et altera cymbalissabat.

28. *Non. s. u. litterosus p. 133.* Cassius Hemina annalium libro III: Homo mere litterosus.

29. *Priscian. 10 p. 537 H.* Cassius Emina in III annalium: In campo Tiburte ubi hordeum demessuerunt. . . .

26. *Vid. Muenzer Quellenkr. p. 184 sq.*

27 *Popma pertinere existumat ad ritum sacrorum Megalesium, quae magna matre deum in urbem recepta primum instituta et celebrata sunt a. 204. 550, conferrique iubet Lucret. 2, 618 sqq.:* Tympana tenta tonant palmis et cymbala circum | Concaua, raucisonoque minantur cornua cantu, | Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentis *et q. s. et Dionys. 2, 19, 4, qui tamen in eo discedit ab Cassio, quod uirum et mulierem Phrygem illo modo deam celebrasse narrat. quae si recte rettulit Popma, libri numerum quem tradidit Nonius, in IIII corrigere opus erit.*

29. *Repetiit omissis uerbis* in campo Tiburte *Priscianus partit. XII uers. Aen. p. 490 K. cf. Cat. fr. 57 et supra p.* LXV.

26, 1 heminae *V(oss.)* 2 Peloponneson *V (Par.) d* Lisaniae *V* 3 M. Liuio] *R(iccard.)* L. M. Iulio *C(hiffl.) V d* eique] *R* eiusque *V d* 4 puplicae *V* 5 egregium *Mayhoff* e re dictum *Gronouius* credunt *C V R Tolet.* credunt *d* mirique *V* gradu aduentu *(Par.) E* 6 initio *om. E* urendi *om.* V^{1} carnificem et | R^{2} carnificem sed *V* carnifice sed *d* carnifices et *CR* carnificis et *ci. Mayhoff* 7 artem omnesque $R^{2}d$ artemonesque *V* arte moresque R^{1}

27, 8 hemina $H^{2}L^{2}$ *Par. P E* emina *G* heminis $F^{2}H^{1}L^{1}$ *Bamb. Par. C* eminis *Par. D Montep. Oxf.* heminas F^{1} libro IV *Roth* 9 ⟨una⟩ mulier *add. Quicherat. Mueller* frigiis F^{1} *L H G* frygiis *Bamb.* cimbalissabat *F L H G*

28, 11 mere *libri* mire *Madvig (Aduers. II p. 657)* meire *Mueller*

29, 12 casius *Guelferb. p. 490*: hemina *Guelf. p. 490*: in quinto annalium *uulg.* 13 tyburte $Bern.^{1}$ tiburtae *Halberst.* tiburti *Par.* R^{2} $Bern.^{2}$ ordeum *Sang. Gr(uter.) K(arolir.) p. 490: Paris. Guelf.* demesuerunt *Gr. K*

30. *Priscian. 12 p. 587 H.* Cassius Emina in III annalium: Hos libros si quis nostratis sapiens . . .

EX LIBRO IV

31. *Priscian. 7 p. 347 H.* Cassius Emina annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: Bellum Punicum posterior.

216/538 **32.** *Priscian. 7 p. 294 H.* Eabus etiam pro eis differentiae causa in feminino Emina protulit in IIII annalium: Scriba pontificius, qui cum eabus stuprum fecerat, . . . dicit enim de Vestalibus.

33. *Non. s. u. consedo p. 62.* Cassius Hemina annalium libro IIII: nemo uicinus consedo.

34. *Non. s. u. utrasque p. 183.* Hemina historiarum lib. IIII: In Hispania pugnatum bis, utrasque nostri loco moti.

35. *Non. s. u. finis p. 205.* Cassius Hemina historiarum lib. IIII: Qua fine omnis res atque omnes artes humanitus . . . . que aguntur?

---

32. *Cf. Liu. 22, 57, 2:* Territi etiam super tantas clades cum ceteris prodigiis, tum quod duae Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri conpertae et altera sub terra, uti mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciuerat. L. Cantilius scriba pontificis, quos nunc minores pontifices adpellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque uirgis in comitio caesus erat, ut inter uerbera expiraret.
35 *iterauit Nonius s. u. humaniter p. 514.*

30, 1 IV *inter* III *et* IIII *fluctuans Halberst. libro IIII Krehlium secutus tribuit Roth* Emina *Bern.* hemina *(Par.) R Bamb. Halberst. Gruter. Karol.* Emina in III annalium *om. Sang.* annalium] analium *R*[1] *Bern.*

31, 3 casius *Par. R*[1] *S(ang.) K(arolir.)* aemina *Halb.* hemina *Bern. S Grut. K in litura Bamberg.*

32, 6 hemina *Bamb.* III *K(arol.)* pontifitius *Bern.* pontificibus *K* 7 *eabus *(Bern.*[2]*) Gruter.* deabus *Sang.* strupum *Bamb.*

33, 8 analium *F*[1]

34, 10 hist. *G* lib. *om. F* 11 bis] *Iunius* uis *LHG* utraque *Iunius*

35, 12 *p. 514:* hist. lib. *LGV* emina IIII histo *Flor.* 13 finem *LH* fine *GF* finei *Mueller. p. 514:* quare fini *libri p. 514:* omnis res *om. libri* omnis artis atque *LHGF* humanitus aguntur: *sic libri p. 514 (sub lemmate* humaniter), *p. 205:* omnes artes humanitas quae *LGF* huminitasque *H* omnis artis humanitus usque ag. *Harless De Fab. p. 54. mihi ante* que *aduerbium aliquod intercidisse uidetur*

36. *Non. s. u. lacte p. 483.* Hemina annalium lib. IIII: ex Tiberi lacte haurire . . .

181

37. *Plin. n. h. 13, 84.* Cassius Hemina, uetustissimus auctor annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnauit, situs fuisset, in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. filio Cethego, M. Baebio Q. filio Tamphilo cos., ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXXV. hos fuisse e charta, maiore etiamnum miraculo, quod infossi durauerunt. (quapropter in re tanta ipsius Heminae uerba ponam: 'Mirabantur alii, quomodo illi libri durare possent. ille ita rationem reddebat: lapidem fuisse quadra- 573

36 *L. Havet (Revue de philol. VIII p. 10) ad causam Bacchanalium (186 568) rettulit collatis Platone Ion. 5 p 534 A: αἱ βάκχαι ἀρύτονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα κατεχόμεναι, ἔμφρονες δὲ οὖσαι οὔ, Liuioque (39, 13, 12 ex Hispalae indicio):* matronas baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim demissasque in aquam faces, quia uiuum sulfur cum calce insit, integra flamma efferre.

37. *Qui hic Cn. Terentius, a plerisque ceteris scriptoribus L. Petillius nominatur. cum Cassio consentit fere Varro ('in libro de cultu deorum' ap. August. de ciu. dei 7, 34):* Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum, et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius ['Libros XII fuisse ipse Varro humanarum antiquitatum septumo' *Plin. 13, 87*], ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae, in urbem pertulit ad praetorem. at ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus assensus est eosque libros tanquam religiosi patres conscripti, praetor ut combureret, censuerunt. *Fest. p. 173:* Numam Pompilium Ianicul*[o in monte situm esse]* ferunt, in quo arcam eius in*[uentam cum libris Numae]* nominis a Terentio *[quodam scriba repastinan]*te agrum. *Aurel. Vict. de uir. ill. 3:* Morbo solutus in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata. qui libri quia leues quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt. *uid. Pisonis fr. 11. Tuditani 3. Antiatis 7—9. Schwegler I 564 sqq. Dziatzko* Untersuch. ueber roem. Buchwesen *p. 64. 93 (qui Pisonem Plinio fontem fuisse censet).*

36, 2 aurire *L Bamb.*

37, 6 eodem *V(atic.) L(eid.) (Par.) E Vind(ob.)* repertus *Mon.* cornelius *L E Vind.* 7 L. *om. M R(icc.)* filio] F *M* brebio *M* Tamphilo *em. Sigonius* Pamphilio *R* Pamphilo *cet. codd.* (Tham. *L*) 8 Numae *om. M* e *M om. cet. codd.* 9 quod] quodquod *V L E* quod tot *uulg.* infossi] in fossa *M* durauerint annis *uulg.* in retenta *L E Vind.* 11 quod ratum *L Vind.*

tum circiter in media arca euinctum candelis quoquouersus. in eo lapide insuper libros insitos fuisse, propterea arbitrarier non computuisse. et libros citratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. in iis libris scripta erant philosophiae Pythagoricae'.) eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. — — inter omnes uero conuenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tris libros adtulisse, ex quibus sint duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Sullanis temporibus.

38*. *Seru. (auctus) ad Aen. 1, 421.* Cassius Hemina docet ita: Sinuessae magalia addenda murumque circum ea . . .

146 **39*.** *Censorin. de d. nat. 17, 11.* At Piso Censorius et Cn. Gellius
608 sed et Cassius Hemina, qui illo tempore uiuebat, *[quartos ludos saeculares]* post annum factos tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII.

38. *Egregia quadam coniectura his frustulis locum suum restituit Roth p. 294 (et secundum eum Mommsen Opusc. phil. p. 91), cum expleret Liuii (41, 27, 12) uerba lacunis corrupta sic:* Et Sinuessae maga*[lia addenda]* . . . . auiariae in his et clo*[acas faciendas et mur]*um circumducen*[dum]* et forum porticibus tabernisque claudendum et Ianos tris faciendos. *loquitur Liuius de eis rebus quas Q. Fuluius Flaccus censor fecerit. cadit igitur res in a. 174. 580.*

39. *Cf. Pison. fr. 39. Gell. 27. Mommsen chronol. p. 181. supra p.* CLXV.

1 media arca *Mon. Ricc.* mediae arcae *cet. codd.* uictum *Mon.* uinctum *cet. codd. uulg.* euinctum *Ian cum R* quoq. uersu *M* quoquouersus *L* quoque uersus *cet. codd.* 2 insitos] *MR cet. codd.* inse positos *exhibent. Detl. coni.:* III sepositos. *Ian:* inpositos. *Dziatzko et Mayhoff:* III sitos. arbitranter *R* arbitrari ea *E* concuputuisse *R* computruisse V^2L^2 potuisse *EV* 3 propter *LEV* tineas *M* tinias *cet. codd.* 4 tegisse *LPE Vind.* iis *M* his *cet. codd.* scriptae *R (tuetur Maduig Aduers. II p. 527)* in iis libris — Pythagoricae *del. Ian.* 4. 5 Pythagoricae — philosophiae *om. L* Pythagoricae — essent *om. E Vind.* 5 quia] quae *Par. d*

38, 10 Sinuessae *Masuicius* sinuegsae *Cassell.* ea *Cassell.* eam *Scioppius*

39, 12 uiuebant *Sigonius* 14 Mummo *D(armst.) V(atic.)* $\overline{\text{cos}}$ *DV* δCIII *DV uid. Roth mus. Rhen. n. VII p. 375 sq., qui tuetur librorum scripturam*

INCERTAE SEDIS FRAGMENTVM

40. *Priscian. 8 p. 380 H.* Cassius similiter: adulatique erant ab amicis et adhortati.

40. *Cf. supra p.* CLXXII *n. 2.*

40, 1 casius *Bern. S(ang.) Gr(uter.) Karol.* adulati q *Gr.* adulatique — adhortati *om. S* 2 adortati *Par. R* adhor*ti *Halberst.*

FABII PICTORIS LATINI ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Seru. ad Verg. Aen. 12, 603.* Fabius Pictor dicit quod ⟨*Amata*⟩ inedia se interemerit.

2*. *Quintil. 1, 6, 12.* Lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, lupum feminam dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus.

3. *Non. s. u. picumnus p. 518.* Fabius Pictor rerum gestarum lib. I: Et simul uidebant picum Martium.

4*. *Seru. (auctus) ad Verg. Aen. 8, 630. Fecerat ignipotens —*

---

1. *Turnum occisum esse arbitrata se interemerat. uid. Schwegler 1 p. 287. (Verg. l. s. laqueo eam uitam finiuisse scripserat.) supra p.* LXXVII*sqq. Sequuntur apud Seruium haec uerba:* Sane sciendum, quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo uitam finisset, insepultus abiceretur; *similiter coniunxit Nonius Fabii Pictoris annal fr. 3 et iur. pont. fr. 6. Bader (De Diodori auct. p. 38 sq.) utrumque Seruii fr. (1. 4) ex Latinis annalibus remouet.*

2. *De lupo femina, quae Romulum et Remum nutriuit, sermo fuisse uidetur. uid. Ennii annal. lib. I fr. 41 p. 12 Vahlen*[2].

3 *refero ad Faustulum pastoresque ab eo conuocatos (uid. Q. Fab. Pict. graec ann. fr. 5*[b]*), qui cum Romulum et Remum a lupo nutriri animaduertissent, simul picum parramque circumuolitantes uiderunt. cf. Seru. ad Aen. 1, 273:* Pueri uero expositi ad uicinam ripam delati sunt, ad quos uagientes lupa de uicinis montibus uenit et ubera praestitit. sed cum eos Faustus pastor eius loci animaduertisset nutriri a fera et picum parramque circumuolitare, suspicatus diuinae originis sobolem ad Accam Laurentiam uxorem — pueros detulit, quae susceptos aluit. *de pico Martio uid. Carter in Roscheri lex. III c. 2494 sq.*

4. *Vid. Q. Fab. Pict. graec. ann. fr. 5*[b] *(ap. Dion. 1, 79):* ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ — ἀπῄει. καὶ ἦν

1, 1 fabios pictor dicit *Flor.* alii dicunt *uulg.* 2 Amata *deest in Thilonis libris* media *Hamb. Regin.* quod caute *Flor.* interimit *Mon.*

2, 4 lupus *Ambros.*

3, 6 fauius *codd.* rerum *Harl.*[1] rerum Romanarum *Mueller* 7 Marcium *Harl.*[1]

et uiridi fetam Mauortis in antro procubuisse lupam, geminos huic ubera circum ludere pendentis pueros]: Potest accipi et 'fecerat lupam Mauortis' et 'Mauortis in antro'. Fabius 'spelunca Martis' dixit.

EX LIBRO IV

5. *Cicer. de diuin. 1, 26, 55.* Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxume Coelius: Cum bello Latino *et q. s. uid. Q. Fab. Pict. gr. ann. fr. 15 supra p. 26, 13.*

6. *Gell. n. Att. 5, 4, 3.* Ibi expositi erant Fabii annales, bonae atque sincerae uetustatis libri, quos uenditor sine mendis esse contendebat. — Ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto: Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duouice- 367
simo anno postquam Romam Galli ceperunt. 387

γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἐκεῖθεν ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφὴς καὶ πέτρα κοίλη πηγὰς ἀνιεῖσα. ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος, καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ. εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἐλθοῦσα ἀποκρύπτεται. aliter narrauit cod. Paris. Seruii ad Aen. 1, 273: Haec *[Ilia]* cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est.

5. *Vid. supra p.* LXXIX *sq.*

6. *De Fabii ratione chronologica uid. Baumgart p. 38 sqq. et Mommseni chronol.² p. 204 sq. Niebuhr H. R. II p. 630 sq., ut haec ratio cum Diodoro consentiat, demonstrare studet, Fabium ipsum re uera scripsisse* duodeuicesimo; *grammaticum uero Gellii offendisse in chronologia, non in forma, idque libri Fabiani mendum iure reprehensum esse Gellium existumare. at quamquam uerba huius capitis Gelliani extrema lacuna turbata sunt, hoc tamen etiam ex eis uerbis, quae seruata sunt, satis constat Gellium cauillari 'grammaticum quempiam de nobilioribus' et scripturam* duouicesimo, *quamuis forma sit minus usitata, probare. cf. Caton. fr. 84 c. adn.*

4, 3 spelunca] *sic Flor.* speluncam *Daniel*
6, 11 duo et uicesimo *libri* duouic. *Quicherat et Hertz*

FABII PICTORIS IVRIS PONTIFICII LIBRI

EX LIBRO I

1. (12.)* *Gell. 1, 12, 14.* In libro primo Fabii Pictoris, quae uerba pontificem maximum dicere oporteat, cum uirginem capiat, scriptum est. ea uerba haec sunt: Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quae optima lege fuit, ita te, Amata, capio.

2. (3.) *Gell. 10, 15.* Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus, unde haec ferme sunt, quae commeminimus: Equo Dialem flaminem uehi religio est; ⟨*item religio est*⟩ 'classem procinctam' extra pomoerium, id est exercitum armatum, uidere. idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur. item iurare Dialem fas numquam est. item anulo uti nisi peruio cassoque fas non est. ignem e flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius non est. uinctum, si aedes eius introierit, solui necessum est et uincula per impluuium in tegulas subduci atque inde foras in uiam demitti. nodum in apice neque in cinctu neque alia in parte ullum habet. si quis ad uerberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die uerberari piaculum est. capillum Dialis nisi qui liber homo est, non detonset. capram et carnem incoctam et hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines e uitibus altius praetentas non succidet. pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet et de eo lecto trinoctium continuum non decubat neque in eo lecto cubare alium fas est. apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cotidie feriatus est. sine apice sub diuo esse licitum non est. ⟨Sub tecto uti

* *Numeri uncis inclusi sunt Bremeri* Iurisprudentiae antehadrianae quae supersunt I p. 9—12; *eius fr. 7 est apud nos Seruiliani fr. 4.*

liceret, non pridem a pontificibus constitutum Masurius Sabinus scripsit et alia quaedam remissa gratiaque aliquot caerimoniarum facta dicitur.⟩ Farinam fermento inbutam adtingere ei fas non est. tunica intima, nisi in locis tectis, non exuit se, *ne* sub caelo, tamquam sub oculis Iouis, nudus sit. super flaminem Dialem in conuiuio, nisi rex sacrificulus, haut quisquam alius accumbit. uxorem si amisit, flamonio decedit. matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est. locum, in quo bustum est, numquam ingreditur, mortuum numquam attingit; funus tamen exsequi non est religio. Eaedem ferme caerimoniae sunt flaminicae Dialis; ⟨*alias*⟩ seorsum aiunt obseruitare, ueluti est, quod uenenato operitur et quod in rica surculum de arbore felici habet et quod scalas ⟨*nisi*⟩ quae Graecae appellantur, escendere ei plus tribus gradibus religiosum est atque etiam, cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depectit.

3*. (9.) *Seru. (auctus) ad Verg. Georg. 1, 21.* Fabius Pictor hos deos enumerat, quos inuocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Veruactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Conuectorem, Conditorem, Promitorem.

4*. (4.) *Macrob. sat. 3, 2, 3.* Nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum uerbum hoc sollenne sacrificantibus est, sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius uerbi exsecutus est: Exta porriciunto, dis danto, in altaria aramue focumue eoue quo exta dari debebunt.

5. (5.) *Macrob. 3, 2, 11.* Nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem uerbum hoc positum est 'uitulari', de cuius uerbi significatu Titius ita retulit: 'uitulari est uoce laetari'.

EX LIBRO III

6. (6.) *Non. s. u. picumnus p. 518.* Idem (Fabius Pictor) in iuris pontificii lib. III: Pilumno et Picumno.

3. *Seruauit L(eidensis)* 18 uerú actorem *L* Redaratorem *Salmasius* inporticitorem *L*[1] 19 hoccatorem *L*

4, 24 poriciunt *Paris.* distato in altaramue *Bamb. ante corr.* distanto aramue *Bamb.*[2] dando *Paris.*

6, 29 idem lib. I: uris pontifex lib. III (IIII *Guelf. Bamb.*) *codd. pro priore* lib. *scripsi* in, *cetera corr. Iunius* 30 picum *codd. corr. Iunius*

EX LIBRO XVI

7*. (8.) *Non. s. u. polybrum p. 544.* Fabius Pictor lib. XVI: Aquam manibus pedibusque dato, polybrum sinistra manu teneto, dextera uasum cum aqua.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA

8*. (10.) *Fest. s. u. Puilia p. 250 M.* Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana uia Ostiensi ad lapidem undecimum.

9.* (2.) *Non. s. u. sal p. 223* Neutro Varro: ⟨*In*⟩ commentario ueteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex sale, quod sale sordidum tunsum est et *in* ollam rudem fictilem adiectum est, et postea id sal uirgines Vestales serra ferrea secant.

9. *Cf. Fest. p. 158 M.:* Muries, quem ad modum Veranius docet, ea quae fit ex sali sordido, in pila pisato et in ollam fictilem coniecto ibique operto gypsatoque et in furno percocto, cui uirgines Vestales serra ferrea secto et in seriam coniecto, quae est intus in aede Vestae in penu exteriore, aquam iugem uel quamlibet praeterquam quae per fistulas uenit, addunt atque ea demum in sacrificiis utuntur. *Seru. (auctus) ad Verg. buc. 8, 82.*

7, 1 Pictor in VI *Flor. numerus corruptus est* 2 quã *Voss. Bamb.* polymbrum *Guelf.*[1] pollibrum *Flor. Bamb.* mtinu *Guelf.*[1] manu *Guelf.*[2]

8, 5 lictor *cod.*

9, 8 legimus tes fit et sale quo sale *codd. em. Cuiac.* 9 siistum est *codd. em. Cuiac.* in *add Scalig.* faci dem (faci de *F*[1] *Leid.*) *codd. em. Cuiac.* coniectum *Cuiac. ex Festo* est *del. Quicherat et Mueller* 10 ferreo *Harl.*[2] *Guelf.* *Mueller sic scripsit:* 'muries fit ex sale sordido, quom pistum est — abiectum' — et postea: 'id sal —' *atque (II p. 171) hoc a Varrone lectum esse censuit in commentariis Fabii uel librorum pont. uel historiarum.*

Q. FABII MAXIMI SERVILIANI ANNALES

EX LIBRO I

1. *Seru. (auctus) ad Verg. Aen. 1, 3. Lauiniaque uenit littora]:* Laurolauinium constat octo milibus a mari remotum. — litus dicitur terra quoque mari uicina. — Fabius Maximus annalium primo: Tum Aeneas aegre patiebatur in eum deuenisse agrum, macerrimum litorosissimumque.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA

2. *Schol. Veron. ad Verg. georg. 3, 7 p. 409 H.* . . . .
. . . . . Seruilianus, historiarum scribtor . . . .

1. *Cum Harlessio p. 3 sq. haec pertinere censeo ad eandem rem, quam Dionys. 1, 56 ita narrat:* καὶ ἡ μὲν [ὗς] ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ τέτταρας σταδίους ἀπὸ θαλάττης διελθοῦσα λόφον τινὰ προσανατρέχει, ἔνθα ὑπὸ καμάτου μοχθήσασα καθέζεται. τῷ δὲ Αἰνείᾳ — ὁρῶντι τὸ χωρίον *[quo postea condidit Lauinium]* γῆς τε οὐκ ἐν καλῷ καὶ θαλάττης πρόσω καὶ οὐδὲ ταύτης ἐνορμίσασθαι ἀγαθῆς πολλὴ παρίσταται ἀμηχανία, πότερα χρὴ τῷ θεσφάτῳ πειθομένους αὐτοῦ κατοικεῖν. ἔνθα λυπηρὸν εἰσαεὶ βίον τρίψουσιν οὐδενὸς χρηστοῦ ἀπολαύοντες. ἢ προσωτέρω χωρητέον ἐπὶ γῆς ἀμείνονος μάστευσιν· ταῦτα δὲ αὐτῷ διανοουμένῳ καὶ τοὺς θεοὺς ἔχοντι δι' αἰτίας ἄφνω λέγεται φωνή τις ἐκ τῆς νάπης ἀφανοῦς ὄντος τοῦ φθεγγομένου προσπεσεῖν κελεύουσα μένειν τε αὐτόθι καὶ πολίζεσθαι διὰ ταχέων καὶ μὴ τῷ ἀπόρῳ τῆς παρούσης δόξης ἐπιτρέψαντα, εἰ μὴ ἐν εὐβότῳ γῇ τὸν βίον ἱδρύσεται, τὴν μέλλουσάν τε καὶ ὅσον οὔπω παροῦσαν εὐτυχίαν ἀπώσασθαι. εἶναι γὰρ αὐτῷ πεπρωμένον ἐκ ταύτης ὁρμώμενον τῆς λυπρᾶς καὶ ὀλίγης τὸ πρῶτον οἰκήσεως πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ἐπικτήσασθαι γῆν σὺν χρόνῳ. *neque enim probo quae Du Rieu p. 396 contra Harlessium monet, intellegendum esse apud Fabium locum mari proximum atque in ipso litore situm. distat enim Lauinium Dionysio teste uiginti quattuor stadiis a mari atque natura loci etiam nunc litorosa est.*

1, 5 litoriosissimumque *Cass.*
2. *Lacunas ita expleui cum Harlessio p. 42: ⟨Pelopem autem Fabius Maximus⟩* Seruilianus, historiarum scribtor ⟨*quod eburneum umerum hab*⟩uerit, eburnum appellatum tradidit. a Minerua ⟨*autem illi nouum umerum*⟩ ex ebore ⟨*esse factum, cum di*⟩ cetera membra reparassent. *cf. Seruium a. h. l.*

uerit eburnum appellatum tradidit. a Minerua . . . . ex ebore . . . . cetera membra reparassent.

3. *Prisc. 8 p. 380 H.* Fabius Maximus: amitti quam apisci.

EX (IVRIS PONTIFICII) LIBRO XII

4. *Macrob. sat. 1, 16, 25.* Sed et Fabius Maximus Seruilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iouemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet.

---

2. *Si recte Harless expleuit, potuit haec dicere Fabius, cum de Pisis conditis ageret, quam urbem quidam a Pelopidis conditam esse censebant (Plin. 3, 50). Seruius ad eundem Vergilii locum haec adnotauit:* Tantalus pater Pelopis, uolens deorum tentare diuinitatem, inuitatis eis filium suum epulandum apposuit, a quo omnes dii abstinuerunt excepta Cerere, quae bracchium eius consumpsit postea dii punito Tantalo cum uoluissent eius filium reuocare ab inferis, Ceres ei eburneum bracchium restituit.

3, 3 fauius *Bamb. Bern. H(alberst.) S(angall.) Gr(uter.) K(arol.) (Par.)* R^2 Fabius — apsci *om. (Par.)* R^1 ãmiti *Gr.* apisci *add.* S^2 adipisci H^2K^2

C. SEMPRONII GRACCHI AD M. POMPONIVM LIBER

1. *Cicer. de diuin. 1, 18, 36.* Ti. Gracchus, Publii filius, qui bis consul et censor fuit idemque et summus augur et uir sapiens ciuisque praestans, nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi conprehensis haruspices conuocauit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori breui tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, aequius esse censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adulescentem: feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus.

2. *Plut. Tib. Gracch. 8.* *Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάιος ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρη-*
νίας τὸν Τιβέριον καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς
γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους 137
τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν 617
αὐτοῖς πολιτείαν.

---

1. *Eandem rem significat Cicero in altero de diuin. libro 29, 62:* C. *[om. Vindob.]* Gracchus *[grachus Voss. B]* ad M. Pomponium scripsit [scribit *Voss. A*[1]] duobus anguibus domi conprehensis haruspices a patre conuocatos. — ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem adferebat Ti. [tito *libri*] Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alteram utram emiserit. nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. at mors insecuta Gracchum [Gracchi *Dauis*] est. *ex Cicerone Valerius Maximus 4, 6, 1. cf. Plut. Ti. Gracch. 1: Οὗτοι Τιβερίου Γράγχου παῖδες ἦσαν, ᾧ τιμητῇ τε Ῥωμαίων γενομένῳ καὶ δὶς ὑπατεύσαντι καὶ θριάμβους δύο καταγαγόντι λαμπρότερον ἦν τὸ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ἀξίωμα. — λέγεται δέ ποτε συλλαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης ζεῦγος δρακόντων, τοὺς δὲ μάντεις σκεψαμένους τὸ τέρας ἄμφω μὲν οὐκ ἐᾶν ἀνελεῖν οὐδὲ ἀφεῖναι, περὶ δὲ θατέρου διαιρεῖν, ὡς ὁ μὲν ἄρρην τῷ Τιβερίῳ φέροι θάνατον ἀναιρεθείς, ἡ δὲ θήλεια τῇ Κορνηλίᾳ. τὸν οὖν Τιβέριον καὶ φιλοῦντα τὴν γυναῖκα καὶ μᾶλλον αὐτῷ προσήκειν ὄντι πρεσβυτέρῳ τελευτᾶν ἡγούμενον ἔτι νέας οὔσης ἐκείνης τὸν μὲν ἄρρενα κτεῖναι τῶν δρακόντων, ἀφεῖναι δὲ τὴν θήλειαν. εἶτα ὕστερον οὐ πολλῷ χρόνῳ τελευτῆσαι δεκαδύο παῖδας ἐκ τῆς Κορνηλίας αὐτῷ γεγονότας καταλιπόντα. Plin. n. h. 7, 122. Aur. Vict. de uir. ill. 57, 6.*

1, 1 Ti.] tibi *codd. Christi* p. filius *codd. Christi* 2 iidemque *Voss. B* 3 G. *codd. Christi* reliquid *Voss. A* 4 conpraehensus *Voss. A*[1] arusp. *Leid. H* 6 equus *Leid. H* maturum *Dauis. coll. Plut.* 7 P. *om. Voss. B*[1] africani *om. Voss. A*[1]

L. CALPVRNII PISONIS CENSORII FRVGI ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Varr. d. r. rust. 2, 1, 9.* Denique non Italia a uitulis, ut scribit Piso?

[**2*.** *Schol. Veron. ad Verg. Aen. 2, 717 p. 428 H.* Additur etiam ab L. Cassio *[et Pisone]* Censorio miraculo magis Aenean patris ⟨*dignitate sanctio*⟩rem inter hostes intactum properauisse concessisque ei nauibus in Italiam nauigasse.]

3*. *Dion. 1, 79, 4. Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, γέγραφεν quae sequuntur habes sub Fab. Pict. fr.* 5^b *p. 8—19.*

4*. *Seru. ad Aen. 2, 761.* Primo autem *[asylum]* apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur hi, qui erant a patre oppressi. — hoc asylum etiam Romulus imitatus est,

---

1. *Varronem secuti sunt Paulus p. 179. Seru. ad Aen. 1, 533:* Alii Italiam a bubus, quibus est Italia fertilis, quia Graeci boues ἰταλούς, nos uitulos dicimus. *Gell. 11, 1, 1:* Timaeus in historiis, quas oratione Graeca de rebus populi Romani composuit *[F. H. Gr. I p. 195 fr. 12]*, et M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco uocabulo appellatam scripserunt, quoniam boues Graeca uetere lingua ἰταλοὶ uocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima. — *Alia fuit Hellanici sententia, qua ab uno quodam boue Herculis, qui ex eius grege aberrauerat, nomen duxisse Italiam censuerat. cf. Mommsen in C. I. L. I p. 26.*

3. *Vid. supr. p.* CLXXII.

1, 1 in Italia *cod. Politiani* non It. *Keil forma interrogationis restituta, uulgo* in *omittebatur*

2, 4 et Pisone *falso suppletum est. uid. s. p.* CLXX *et Cass. fr. 5*

unde est *[Verg. 8, 342]:* 'Quem Romulus acer asylum rettulit', non statuit. quem locum deus Lycoris, sicut Piso ait, curare dicitur.

5*. *Dionys. 2, 38, 3 sqq.* Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ. *[Tarpeiam capit]* καλοῦ πράγματος ἐπιθυμία γυμνοὺς τῶν σκεπαστηρίων ὅπλων παραδοῦναι τοῖς πολίταις τοὺς πολεμίους. ὁπότερον δὲ τούτων *[famarum Fabii et Pisonis]* ἀληθέστερόν ἐστιν, ἐκ τῶν ὕστερον γενομένων ἔξεστιν εἰκάζειν. *[sequitur earum consensus.]* — *(c. 39, 1)* Πείσων γὰρ ὁ τιμητικὸς — ἄγγελόν φησιν ὑπὸ τῆς Ταρπείας ἀποσταλῆναι νύκτωρ ἐκ τοῦ χωρίου δηλώσοντα τῷ Ῥωμύλῳ τὰς γενομένας τῇ κόρῃ πρὸς τοὺς Σαβίνους ὁμολογίας, ὅτι μέλλοι τὰ σκεπαστήρια παρ' αὐτῶν αἰτεῖν ὅπλα, διὰ τῆς κοινότητος τῶν ὁμολογιῶν παρακρουσαμένη, δύναμίν τε ἀξιώσοντα πέμπειν ἐπὶ τὸ φρούριον ἑτέραν νυκτός, ὡς αὐτῷ στρατηλάτῃ παραληψόμενον τοὺς πολεμίους γυμνοὺς τῶν ὅπλων· τὸν δὲ ἄγγελον αὐτομολήσαντα πρὸς τὸν ἡγεμόνα τῶν Σαβίνων κατήγορον γενέσθαι τῶν τῆς Ταρπείας βουλευμάτων. *⟨sequitur fama Fabii.⟩* — *(c. 40, 1)* Ἔπειτα πάλιν ὁ μὲν Πείσων φησὶ τῶν Σαβίνων τὸν χρυσὸν ἑτοίμων ὄντων διδόναι τῇ κόρῃ τὸν περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσι τὴν Ταρπείαν οὐ τὸν κόσμον ἀλλὰ τοὺς θυρεοὺς παρ' αὐτῶν αἰτεῖν. Τατίῳ δὲ θυμόν τε εἰσελθεῖν ἐπὶ τῇ ἐξαπάτῃ καὶ λογισμὸν τοῦ μὴ παραβῆναι τὰς ὁμολογίας. δόξαι δ' αὐτῷ δοῦναι μὲν τὰ ὅπλα, ὥσπερ ἡ παῖς ἠξίωσε, ποιῆσαι δ' ὅπως αὐτοῖς μηδὲν λαβοῦσα χρήσεται, καὶ αὐτίκα διατεινάμενον ὡς μάλιστα ἰσχύος

---

5. *In adnot. Fabii fr. 8 adscripsimus ea, quae apud utrumque scriptorem se inuenisse dicit Dionysius. cf. etiam Liu. 1, 11, 9, qui narrationi Fabianae haec subiunxit:* Sunt qui eam ex pacto tradendi quod in sinistris manibus haberent, arma petisse dicant et fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede.

4, 2 *Huius fr. textus 'auctus' est (ex Varrone, Wendling Herm. 28 p. 347 sq.). De origine asyli Graeca uid. Jordan* R. Topogr. I 2 p. 176 sq. *Roscheri Lex. myth. II c. 218 sqq.* Lucoris *(Cassell.)* Lycores *uel* Lycoreus *Iahn.* Lucaris *Hartung.*

5, 3 Πίσων *Chis. hic et postea* 4 ἐπιθυμίᾳ *libri corr. Sylburg. est supplendum ex eis quae antecedunt* εἰσέρχεται 10 δηλώσαντα *Chis.* 11 τοὺς *et* παρ' *om. libri praeter Vrbin.* 12 ὁμολογιῶν *Buecheler aut delet aut* ὀνομασιῶν *scribi uult* 13 ἀξιώσαντα *Chis. Vrbin.* 14 αὐτῷ τῷ στρ. *Buecheler* παραληψομένην *Reiske* 22 δόξαν *Kiessling u.* 24 καὶ *delens* 23 μηδένα *Chis.* 24 χρήσεται *Meineke* χρήσηται *libri*

εἶχε ῥῖψαι τὸν θυρεὸν κατὰ τῆς κόρης καὶ τοῖς ἄλλοις παρακελεύσασθαι ταὐτὸ ποιεῖν. οὕτω δὴ βαλλομένην πάντοθεν τὴν Τάρπειαν ὑπὸ πλήθους τε καὶ ἰσχύος τῶν πληγῶν πεσεῖν καὶ περισωρευθεῖσαν ὑπὸ τῶν θυρεῶν ἀποθανεῖν. ‹sequitur fama Fabii.› — (c. 40, 2) ἔοικε δὲ τὰ μετὰ ταῦτα γενόμενα τὴν Πείσωνος ἀληθεστέραν ποιεῖν ἀπόκρισιν. τάφου τε γὰρ ἔνθα ἔπεσεν ἠξίωται τὸν ἱερώτατον τῆς πόλεως κατέχουσα λόφον, καὶ χοὰς αὐτῇ Ῥωμαῖοι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπιτελοῦσι (λέγω δὲ ἃ Πείσων γράφει), ὧν οὐδενὸς εἰκὸς αὐτήν, εἰ προδιδοῦσα τὴν πατρίδα τοῖς πολεμίοις ἀπέθανεν, οὔτε παρὰ τῶν προδοθέντων οὔτε παρὰ τῶν ἀποκτεινάντων τυχεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴ τι λείψανον αὐτῆς ἦν τοῦ σώματος, ἀνασκαφὲν ἔξω ῥιφῆναι σὺν χρόνῳ φόβου τε καὶ ἀποτροπῆς ἕνεκα τῶν μελλόντων τὰ ὅμοια δρᾶν. ἀλλὰ ὑπὲρ μὲν τούτων κρινέτω τις ὡς βούλεται.

6*. *Varr. de l. l. 5, 148.* In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia: nam et Procilius non idem prodidit quod Piso nec quod is, † Cornelius Stilo secutus. — Piso

6. *Interposita est fama Procilii (fr. 1), sequitur Lutatii (fr. 9). Varronis famam pluribus exornauit Dionysius 2, 42, qui posteaquam Mettium Curtium, T. Tatii militem, cum in media acie, cui praeerat, uicisset, etiam cornibus laborantibus auxilio uenisse narrauit, sic pergit: ὁ δὲ κίνδυνος ἅπας περὶ τὸν Κούρτιον καὶ τοὺς σὺν ἐκείνῳ νικῶντας ἐγεγόνει· χρόνον μὲν οὖν τινα οἱ Σαβῖνοι δεξάμενοι τοὺς Ῥωμαίους λαμπρῶς ἠγωνίσαντο, ἔπειτα πολλῶν ἐπ' αὐτοὺς συνιόντων ἐνέκλινάν τε καὶ διέσωζον ἑαυτοὺς ἐπὶ τὸν χάρακα, πολλὴν τοῦ Κουρτίου παρέχοντος αὐτοῖς εἰς τὸ μὴ διώκεσθαι τεταραγμένως ἀλλὰ βάδην ἀποχωρεῖν ἀσφάλειαν. αὐτὸς γὰρ εἱστήκει μαχόμενος καὶ τὸν Ῥωμύλον ἐπιόντα ἐδέχετο, γίνεται δὲ τῶν ἡγεμόνων αὐτῶν συμπεσόντων ἀλλήλοις μέγας καὶ καλὸς ἀγών. ἔξαιμος δὲ ὢν ἤδη καὶ καταβελὴς ὁ Κούρτιος ὑπῄει κατ' ὀλίγον, καὶ αὐτὸν ἐκ τῶν κατόπιν ὑπεδέχετο λίμνη βαθεῖα, ἣν περιελθεῖν μὲν χαλεπὸν ἦν περικεχυμένων πανταχόθεν τῶν πολεμίων, διελθεῖν δὲ ὑπό τε ἰλύος πλήθους, ἣν τὰ πέριξ τέλματα εἶχε, καὶ βάθους ὕδατος τοῦ κατὰ μέσην αὐτὴν συνεστῶτος ἄπορον. ταύτῃ πλησιάσας ἔρριψεν ἑαυτὸν εἰς τὸ νᾶμα σὺν τοῖς ὅπλοις, καὶ ὁ Ῥωμύλος ὡς αὐτίκα δὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ λίμνῃ διαφθαρησομένου (καὶ ἅμα ἀδύνατον ἦν κατὰ τέλματός τε αὐτὸν καὶ δι' ὕδατος πολλοῦ διώκειν) ἐπὶ τοὺς ἄλλους Σαβίνους τρέπεται· ὁ δὲ Κούρτιος πολλὰ μοχθήσας σὺν χρόνῳ σώζεταί τε ἐκ τῆς λίμνης τὰ ὅπλα ἔχων καὶ εἰς τὸν χάρακα ἀπάγεται. οὗτος ὁ τόπος ἀνακέχωσται μὲν ἤδη, καλεῖται δ' ἐξ ἐκείνου τοῦ πάθους Κούρτιος λάκκος ἐν μέσῳ μάλιστα ὢν τῆς Ῥωμαίων ἀγορᾶς. cf. c. 46 fin. Minus accurate haec exposuit Liuius 1, 12, 8:* Mettius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat et

2 ταὐτὸ *Sylburg* τοῦτο *libri* 6 ἀπόκρισιν *del. Jacoby* ἀπόφασιν *L. Dindorf* 13 ἀποτροπῆς *Stephanus* προτροπῆς *libri*
6, 17 Aelius et Lutatius *uidetur esse scribendum. cf. Procil. fr. 1 c. comm. crit.*

in annalibus scribit Sabino bello, quod fuit Romulo et Tatio, uirum fortissimum Mettium Curtium Sabinum, cum Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, [Curtium] in locum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacae sunt factae, secessisse atque ad suos in Capitolium recepisse; ab eo lacum inuenisse nomen.

7*. *Tertull. de spectac. 5.* Dehinc *[post Consualia]* idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit.

8. *Gell. n. Att. 11, 14.* Simplicissima suauitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis uita atque uictu scriberet. ea uerba, quae scripsit, haec sunt: Eundem Romulum dicunt ad cenam uocatum ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. ei dicunt: 'Romule, si istud omnes ho-

effusos egerat Romanos toto quantum foro spatium est. nec procul iam a porta Palatii erat clamitans 'uicimus perfidos hospites, inbelles hostes: iam sciunt longe aliud esse uirgines rapere, aliud pugnare cum uiris'. in eum haec gloriantem cum globo ferocissimorum iuuenum Romulus impetum facit. ex equo tum forte Mettius pugnabat; eo pelli facilius fuit. pulsum Romani persequuntur, et alia Romana acies audacia regis accensa fundit Sabinos. Mettius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit; auerteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo uiri. et ille quidem adnuentibus ac uocantibus suis fauore multorum addito animo euadit, Romani Sabinique in media conualle duorum montium redintegrant proelium, sed res Romana erat superior. Tum Sabinae mulieres *et q. s. 13, 5* ubi primum ex profunda emersus palude equum Curtius in uado statuit, Curtium lacum appellarunt. *idem 7, 6, 5, ubi in narrationis tenore uulgarem famam sequitur, breuiter etiam huius mentionem facit dubitans inter utramque. Plut. Rom. 18: Κούρτιος γὰρ ἀνὴρ ἐπιφανής, δόξῃ καὶ φρονήματι γαῦρος, ἵππον ἔχων πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἐχώρει. δεξαμένου δὲ τοῦ βαράθρου τὸν ἵππον ἄχρι μέν τινος ἐπειρᾶτο πληγῇ καὶ παρακελεύσει χρώμενος ἐξελαύνειν· ὡς δ' ἦν ἀμήχανον, ἐάσας τὸν ἵππον ἑαυτὸν ἔσωζεν. ὁ μὲν οὖν τόπος δι' ἐκεῖνον ἔτι νῦν Κούρτιος λάκκος ὀνομάζεται.*

7. *Ludos Capitolinos a Camillo a. 390. 364 institutos esse Liuius tradidit (5, 20, 4).*

---

3 experiore *supr. scr.* su *F(lor.)* curtius *Flor. rec. Haun. Goth. Par. a. b* Curtium *uulg., delet Popma* lacum *libri corr. Laetus* 5 *nisi post* atque *plura interciderunt, aut* ad *delendum est (cum A. Spengelio) aut scr.* recessisse *(cum L. Spengelio) aut* se *ante* recepisse *inserendum* locum *Christ*

8, 11 frigi *X* annaliū de Q^1 *corr.* Q^2 de *om.* $ΠXO^1$ rumuli *B* 11. 12 uitā a. uictū *Π* 12 Eundem] endē *Z* 13 bisse X^1 14 p'tridie *BQ* post tridiū *Z* istuc *libri praeter BQ*

mines faciant, uinum uilius sit.' his respondit: 'Immo uero carum, si quantum quisque uolet, bibat, nam ego bibi quantum uolui.'

9*. *Varr. d. l. l. 5, 165.* Tertia *[porta]* est Ianualis, dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam.

10. *Plin. 2, 140.* Vetus fama Etruriae est — euocatum *[fulmen]* a Porsina suo rege. et ante eum a Numa saepius hoc factitatum in primo annalium suorum tradidit L. Piso, grauis auctor, quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine.

11. *Plin. 13, 84.* Cassius Hemina, uetustissimus auctor anna-
181 lium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum
573 in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnauit, situs fuisset. in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. f. Cethego M. Baebio Q. f. Tamphilo cos., ad quos a regno Numae

---

9. *Cf. Liu. 1, 19, 2: [Numa]* Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit, apertus ut in armis esse ciuitatem, clausus pacatos circa omnes populos significaret. *Schwegler I p. 481 sqq. Iordan Topogr. I p. 176.*

10. *Vid. fr. 13 cum adnot.*

11. *Famae Pisonianae ex errore Valerium Antiatem auctorem substituit Liuius 40, 29, 3, neque enim Vngeri interpretationi (Phil. suppl. III p. 158 sqq.) adsentior. uid. supra p. CXCI sq. uerba Liu. haec sunt:* Eodem anno in agro L. Petillii scribae sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae, octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inuentae sunt, operculis plumbo deuinctis. litteris Latinis Graecisque utraque arca inscripta erat, in altera Numam Pompilium Pomponis filium, regem Romanorum, sepultum esse, in altera libros Numae Pompilii inesse. eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat, inanis inuenta, sine uestigio ullo corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumptis. in altera duo fasces candelis inuoluti septenos habuere libros, non integros modo sed recentissima specie. septem Latini de iure pontificio erant, septem Graeci de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuit. adicit Antias Valerius Pythagoricos fuisse uulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili adcommodata fide. primo ab amicis, qui in re praesenti fuerunt, libri lecti; mox pluribus legentibus cum uulgarentur, Q. Petillius praetor urbanus studiosus legendi libros eos a L. Petillio sumpsit; et erat familiaris usus, quod scribam eum quaestor Q. Petillius in decuriam legerat. lectis rerum summis cum animaduertisset pleraque dissoluendarum religionum esse, L. Petillio dixit sese libros eos in ignem coniecturum

---

1 faciant (i *in ras.*) *X* his *OΠN* hiis *Z* is *X uulgo* imo *Z*
2 quisque] quis *O* bibat] bibit *X* bibam (bi *supra*) quatum *X ante corr.*
9, 5 quom *Goth. Haun. Paris. a*

colliguntur anni DXXXV. hos fuisse e charta — eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. Hoc idem tradit Piso Censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii, totidem Pythagoricos fuisse.

12*. *Plut. Num. 21.* Ὁ Νομᾶς ἐτελεύτησεν οὐ ταχείας οὐδ' αἰφνιδίου γενομένης αὐτῷ τῆς τελευτῆς ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ὑπὸ γήρως καὶ νόσου μαλακῆς ἀπομαραινόμενος, ὡς ἱστόρηκε Πείσων, ἐτελεύτησε δὲ χρόνον οὐ πολὺν τοῖς ὀγδοήκοντα προσβιώσας.

13. *Plin. 28, 14.* L. Piso primo annalium auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numae libris eodem quo illum sacrificio Iouem

esse; priusquam id faceret, se ei permittere, uti, si quod seu ius seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturum. scriba tribunos plebis adit, ab tribunis ad senatum res est reiecta. praetor se iusiurandum dare paratum esse aiebat, libros eos legi seruarique non oportere. senatus censuit satis habendum, quod praetor iusiurandum polliceretur. libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse, pretium pro libris, quantum Q. Petillio praetori maiorique parti tribunorum plebis uideretur, domino soluendum esse. id scriba non accepit. libri in comitio igne a uictimariis facto in conspectu populi cremati sunt. *Ex Liuio sua descripsit Lactantius inst. 1, 22, 5. in plerisque consentit Valerius Maximus 1, 1, 12, nisi quod Latinos libros magna diligentia adseruatos esse memoriae prodidit. Cf. Cassii fr. 37. Tudit. 3. Valer. Ant. 7—9.*

12. *Cf. Dion. 2, 75:* ἡλικίας δ' ἐπὶ μήκιστον ἤλασεν ὁλόκληρος, οὐδὲν ὑπὸ τῆς τύχης κακωθεὶς καὶ θανάτων τὸν ῥᾷστον ἐτελεύτησεν, ὑπὸ γήρως μαρανθείς, ὁμοίου παραμείναντος αὐτῷ τοῦ συγκληρωθέντος ἐξ ἀρχῆς δαίμονος, ἕως ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, βιώσας ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη. *idem Piso fortasse etiam in seqq. est intellegendus, ubi Dionysius de Numae prole quid* οἱ πλείους, *quid Gellius (fr. 17) memoriae tradiderit, adfert.*

13. *Cf. Liu. 1, 31, 5:* Haud ita multo post pestilentia laboratum est. unde cum pigritia militandi oreretur, nulla tamen ab armis quies dabatur a bellicoso rege, salubriora etiam credente militiae quam domi iuuenum corpora esse, donec ipse quoque longinquo morbo est implicitus. tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut, qui nihil ante ratus esset minus regium quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis paruisque superstitionibus obnoxius degeret religionibusque etiam populum inpleret. uulgo iam homines eum statum rerum, qui sub Numa rege fuerat, requirentes, unam opem aegris corporibus relictam, si pax ueniaque ab diis inpetrata esset, credebant. Ipsum regem tradunt uoluentem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta solemnia sacrificia Ioui Elicio facta inuenisset, operatum iis sacris se abdidisse; sed non rite initum aut curatum id sacrum esse, nec solum nullam ei oblatam caelestium speciem, sed ira Iouis

---

11, 3 Piso] Physo *Ricc.* ipso *Vat.*[1] *Leid.*[1] ipse *Par. E Vind. ceteram discrepantiam scripturae uid. supra sub Cassii fr. 37.*

12, 6 τῆς *om. Paris. C*

13, 9 tullium *V(oss.)*

caelo deuocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum.

14. *Dion. 4, 15, 5.* Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγραφῶν ἱστορεῖ, βουλόμενος [*Seruius Tullius*] καὶ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ τῶν ἀπογινομένων καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν, ὅσον ἔδει νόμισμα καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρόν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ⟨τῆς⟩ ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν· ἐξ ὧν ἤμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, ὅσοι τε οἱ σύμπαντες ἦσαν καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον.

mine interposito deorum factum: namque conserenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit, in hostem uersus. quod primo ut augurium caelo missum laetus accepit tribunus, precatus deinde, si diuus, si diua esset qui sibi praepetem misisset, uolens propitius adesset. dictu mirabile, tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotienscumque certamen initum est, leuans se alis os oculosque hostis rostro et unguibus appetit, donec territum prodigii talis uisu oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat. coruus ex conspectu elatus orientem petit. hactenus quietae utrimque stationes fuere. postquam spoliare corpus caesi hostis tribunus coepit, nec Galli se statione tenuerunt et Romanorum cursus ad uictorem etiam ocior fuit. ibi circa iacentis Galli corpus contracto certamine pugna atrox concitatur. — consul contione aduocata laudatum tribunum decem bubus aureaque corona donat. *etiam in minimis igitur rebus Liuius consentit cum Gellio; nam quod Gellius de duobus consulibus loquitur, Liuius de uno, errori Gellii id adscribendum esse apparet; itaque cum etiam 7, 9 Liuium ante oculos habuisse Claudium supra ad fr. 10^b demonstrauerimus, et eum etiam hic eodem auctore usum esse consentaneum est et firmatur hoc consensu sententia nostra de Gellii fonte. — Ceterum eadem fere apud Dionys. 15, 1 (Zon. 7, 25), alia (nihil de coruo) apud Appian. Celt. 10. Muenzer De Val. gente p. 25 sqq. Liuium fabulam secundum Valerium Antiatem narrasse existimauit; a Valeriorum uanitate eam repetendam et Torquati exemplo fictam esse etiam mihi probabile est, Liuium tamen hoc loco a Claudio ad Antiatem transisse mihi non persuasit.*

13 *spectare uidetur ad bellum Latinum.*

---

2 inde *om. N* 2. 3 aduersarios atq; *Q* aduersarii os *ΠNTY* aduersariis atq. *ZB* 3 incipit] cepit *Π* insiliebat Z^2B^2 insibilat *Π* obturbabatq; ung. *Π* 4 manum] *magis mihi placeret* uoltum *coll. Liu.:* os oculosque hostis rostro et unguibus appetit; malas *Kreyssig coll. Dion. 15, 1, 1* alis] alias *QΠN* ales N^2 arcebat] acerbat Q^2 5 seuierat *Z* reuolebat *a*

13. *Contaminaui hoc fragmentum ex Gellio et Nonio l. s. s. haec enim debentur Gellio:* Ea dum fiunt, Latini subnixo animo, *haec Nonio:* ea Latini subnixo animo ex uictoria inerti consilium ineunt. *sed cum cetera Claudii uerba tum etiam haec Nonium sumpsisse ex*

Q. Claudi primo annali: — Ea, inquit, dum fiunt, Latini subnixo animo ex uictoria inerti consilium ineunt.

14*. *Liu. 8, 19, 13.* Conlaudatis Fundanis consul *[L. Plautius* 330/424
Venox] litterisque Romam missis, in officio Fundanos esse, ad Priuernum flexit iter. prius animaduersum in eos, qui capita coniurationis fuerant, a consule scribit Claudius; ad trecentos quinquaginta ex coniuratis uinctos Romam missos, eamque deditionem ab senatu non acceptam, quod egentium atque humilium poena defungi uelle Fundanum populum censuerint.

15. *Gell. n. Att. 6, 11, 7.* Consimiliter Q. quoque Claudius in 326/428
primo annalium 'nequitiam' appellauit luxum uitae prodigum effusumque in hisce uerbis: Persuadent i cuidam adulescenti Lucano, qui adprime summo genere gnatus erat, sed luxuria et nequitia pecuniam magnam consumpserat.

---

14. *Posteaquam Priuernates et Fundani a Vitruuio Vacco Fundano inducti a Romanis defecerunt, L. Papirius Crassus cos. cum Vitruuio bellum conseruit, qui facile uictus Priuernum fugit, alteri autem consuli L. Plautio appropinquanti senatus Fundanorum occurrens et deprecans se suaque omnia dedidit. (De Priuerno capto Liuius c. 20, 6 duplicem famam inseruit.)*

15. 16. *Cf. Liu. 8, 27:* Aliud subinde bellum cum alterius orae Graecis exortum. namque Tarentini cum rem Palaepolitanam uana spe auxilii aliquamdiu sustinuissent, postquam Romanos urbe potitos accepere, uelut destituti ac non qui ipsi destituissent, increpare Palaepolitanos, ira atque inuidia in Romanos furere, eo etiam quod Lucanos et Apulos (nam utraque eo anno societas coepta est) in fidem populi Romani uenisse allatum est: quippe prope modum peruentum ad se esse, iamque in eo rem fore, ut Romani aut hostes aut domini habendi sint. discrimen profecto rerum suarum in bello Samnitium euentuque eius uerti. eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis ualidam, quando Lucanus defecerit, quem reuocari adhuc inpellique ad abolendam societatem Romanam posse, si qua ars serendis discordiis adhibeatur. haec consilia cum apud cupidos rerum nouandarum ualuissent, ex iuuentute quidam Lucanorum pretio adsciti, clari magis inter populares quam honesti, inter se mulcati ipsi

---

Gellio, cum libri eius integriores essent, suspicatus est M. Hertz in Gellianis p. 108 sq. pro Claudio tamen ab eo et hic et in proximis fr. 22. 23. 24 falso Coelii nomen substitutum est. uid. p. ccxxxv.

1 latini (la *ex* h *corr.*) *Q*, *apud Nonium* ex Latini *L H*[2] *G* e latinis *Basil.* e Latini *B Gen. H*[1] et *A* subniso *Q* sub. mixo *X* 2 et uictoriae certi *Canter* ec uictoria indepta *uel* ineptum *L. Mueller*

14, 6. 7 ad cccl ex coniuratis *Med.* 9 populum *om. Med.*

15, 12 persuadenti *libri* persuadent *scripsi collato Liuii l. s. s.* persuadent i *Hertz*

326 **16.** *Gell. n. Att. 2, 19, 7.* Claudius Quadrigarius in primo annali:
428 Ea Lucani ubi resciuerunt, sibi per fallacias uerba data esse . . .

17. *Gell. n. Att. 17, 2, 18.* Verba ex Q. Claudi primo annali:
321 — sese, inquit, ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse.

433 **18.** *Liu. 9, 5, 1.* Consules *[T. Veturius Caluinus Sp. Postumius Albinus]* profecti ad Pontium in conloquium, cum de foedere uictor agitaret, negarunt iniussu populi foedus fieri posse nec sine fetialibus caerimoniaque alia sollemni. itaque non, ut uulgo credunt Claudiusque etiam scribit, foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. quid enim aut sponsoribus in foedere opus esset aut obsidibus, ubi precatione res transigitur, per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, ut eum ita Iuppiter feriat, quem ad modum a fetialibus porcus feriatur? spoponderunt consules, legati, quaestores, tribuni militum, nominaque omnium qui spoponderunt exstant, ubi, si ex foedere acta res esset, praeterquam duorum fetialium non exstarent. et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam
320 sescenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur.
434 **19.** *Gell. n. Att. 2, 19, 8.* Item Quadrigarius in eodem *[i. e. primo]*

---

uirgis cum corpora nuda intulissent in ciuium coetum, uociferati sunt se, quod castra Romana ingredi ausi essent, a consulibus uirgis caesos ac prope securi percussos esse. deformis suapte natura res cum speciem iniuriae magis quam doli prae se ferret, concitati homines cogunt clamore suo magistratus senatum uocare, et alii circumstantes concilium bellum in Romanos poscunt, alii ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt, tumultuque etiam sanos consternante animos decernitur, ut societas cum Samnitibus renouaretur, legatique ad eam rem mittuntur. repentina res quia quam causam nullam tam ne fidem quidem habebat, coacti a Samnitibus et obsides dare et praesidia in loca munita accipere: caeci fraude et ira nihil recusarunt. dilucere deinde breui fraus coepit, postquam criminum falsorum auctores Tarentum commigrauere, sed amissa omni de se potestate nihil ultra, quam ut paeniteret frustra, restabat.

17 *hic posui, quia a. 321. 433 dicere potuit Pontius, cum etiam alterum consilium, quod dederat pater de Romanis apud Caudium inclusis, repudiaret. uid. Liu. 9, 3—4.*

18. *Antea etiam apud Liuium de foedere semper sermo fuerat, ut apud alios auctores (etiam in periocha* 'foedere cum Samnitibus facto'); *nunc antiquarium aliquem sequitur.*

19. *Res post furculas Caudinas Romae gestas intellegendas esse facile apparet. minus clarum est, qua re audita propinqui obsidum in uiam*

16, 1 Cladius *P* 2 fallatias *R*

17, 4 sese] ēē *Q* esse *Z* se *Hertz*

18, 6 fędere *Medic.* 8 ut ulgo *Med.*[1] 13 cos̄ *Par.* coss *Med.*

libro —: Id ubi rescierunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstrauimus, eorum parentes cum propinquis capillo passo in uiam prouolarunt.

20. *Gell. n. Att. 17, 2, 21.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — 'Cum tantus', inquit, 'arrabo penes Samnites populi Romani esset . . .' Arrabonem dixit sescentos obsides. 320 434

21. *Gell. n. Att. 1, 25, 6.* Aut rursus quid esse id dicemus, quod in primo annalium Quadrigarii scriptum est, C. Pontium Samnitem a dictatore Romano sex horarum indutias postulasse, si indutiae 'paucorum' tantum 'dierum' appellandae sunt? 320 434

---

prouolarint. an cum resciuissent, exsoluisse se senatum religione foederis et in magnum periculum adductos obsides? cf. Liu. 9, 5, 5: et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam sescenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur, *Liu. 9, 14, 12:* nec ullum superfuisset animal *[Samnitium castris ad Luceriam expugnatis]*, ni consules receptui signum dedissent auidosque caedis milites e castris hostium imperio ac minis expulissent. itaque apud infensos ob interpellatam dulcedinem irae confestim oratio habita est, ut doceretur miles minime cuiquam militum consules odio in hostes cessisse aut cessuros, quin duces sicut belli ita insatiabilis supplicii futuros fuisse, ni respectus equitum sescentorum, qui Luceriae obsides tenerentur, praepedisset animos, ne desperata uenia hostes caecos in supplicia eorum ageret, perdere prius quam perire optantes. laudare ea milites laetarique obuiam itum irae suae esse ac fateri omnia patienda potius quam proderetur salus tot principum Romanae iuuentutis.

20 *cohaeret cum fr. 19.*

21. *Gellius in eo capite de indutiis egit, quas Varro sic definierat:* Indutiae sunt pax castrensis paucorum dierum. *hoc fr. fortasse ad res ante urbem Luceriam expugnatam gestas pertinet; nam colloquium tum inter Romanos Samnitesque factum esse de urbe tradenda Liuius 9, 15, 3 rettulit. postquam autem in ipso orationis tenore et consules tum rem ad Luceriam gessisse neque Pontium in ipsa urbe fuisse narrauit, haec 15, 8 addit:* haud ferme alia mutatione subita rerum clarior uictoria populi Romani est, si quidem etiam, quod quibusdam in annalibus inuenio *[Claudio autem in his libris esse usum Liuium constat]*, Pontius Herenni filius Samnitium imperator, ut expiaret consulum ignominiam, sub iugum cum ceteris est missus. ceterum id minus miror, obscurum esse de hostium duce dedito missoque: id magis mirabile est ambigi, Luciusne Cornelius dictator cum L. Papirio Cursore magistro equitum eas res ad Caudium atque inde Luceriam gesserit — an consulum Papiriique praecipuum id decus sit. *cf. etiam Dionys. 16, 1, 4: μετ' οὐ πολὺ δὲ τὰ αὐτὰ καὶ ὁ Πόντιος ὑπὸ Ῥωμαίων ἔπαθε, καὶ τὸν ζυγὸν ὑπῆλθον καὶ αὐτὸς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ. De re cf. Mommseni chronol. p. 114 sqq. Weissenborn ad Liu. l. l.*

19, 1 rescierunt *VPR* resciuerunt ς Pontio *R*ς poncio *VP*ς
20, 5. 6 populi Rom. esset] p̃se *X* 6 arbonē *Z* artabonem *Q*
21, 8 poncium *V* sannite *TY* sōnitem *R*

22. *Gell. n. Att. 17, 2, 3.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — Arma, inquit, plerique abiciunt atque inermi inlatebrant sese.

23. *Gell. n. Att. 17, 2, 5.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — Domus, inquit, suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci.

24. *Gell. 17, 2, 9.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — et Romani, inquit, multis armis et magno commeatu praedaque ingenti copiantur.

25. *Gell. 17, 2, 11.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — nos, inquit, in medium relinquemus.

26. *Gell. 17, 2, 15.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — nihil sibi, inquit, diuitias opus esse.

27. *Gell. 17, 2, 22.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — Miserrimas, inquit, uitas exegerunt.

---

22. *Ex Gellio sua habet Non. p. 129, 23, falso tamen sub nomine Coelii, id quod h. l. Nonius ipse prodidit; nam Coelio suo etiam initium explicationis Gellianae addidit uid. s. app. ad fr. 13. Referendum esse hoc fr. mihi uidetur ad proelium in saltu auium ad Bouinum a C. Iunio Bubulco contra Samnites commissum a. 311. 443; ubi cum Romani spe praedae pellecti in insidias incidissent, oratione consulis accensi, aggressi sunt* imminentem hostium aciem *(pergo enim ipsius Liuii 9, 31, 14 uerbis).* ibi paulum laboris fuit, dum in aduersum cliuum erigitur agmen, ceterum postquam prima signa planitiem summam ceperunt sensitque acies aequo se iam institisse loco, uersus extemplo est terror in insidiatores, easdemque latebras, quibus se paulo ante texerant, palati atque inermes fuga repetebant. sed loca difficilia hosti quaesita ipsos tum sua fraude impediebant. itaque ergo perpaucis effugium patuit: caesa ad uiginti milia hominum, uictorque Romanus ad oblatam ab hoste praedam pecorum discurrit. *[Contra Romanos ἐν ταῖς ὕλαις ταῖς Ἀόρνοις, cum circumdati essent, fusos esse a Samnitibus Zonaras 8, 1 narrat.]*

23. 24. *Ex Gellio apud Nonium (p. 113, 8 et* [armis—copiantur] *87, 6) sed falso sub Coelii nomine, cf. adn. ad fr. 22.*

26. *Closset p. 496 not. 4 refert ad Curium Dentatum dona Samnitium tertio bello repudiantem, sed uehementer dubito, num ad hoc bellum iam primus liber descenderit.*

22, 1 Caelius *uel* Coelius annalibus libro I. *Non.* 2 atque] at *Nonii* $L H^1$ inhermi *Z X* inhermis (*uel* inermes) in latebras se illatebrant (illatebrasse *H*, inl. L^1) *Nonius* illecebrant Q^1 illacebrant Q^2 illatebrant X^2 *Nonii cod.* L^2 inlatebant *X ante corr.*

23, 3 Coelius libro II *Nonius* 4 suam *Non. cod. L* quoque *Nonius* suam $F^1 L^1$ sua ni L^2 fru*isci (n *ras.*) *O* frunici *P*

24, 5 Caelius (Coelius *G E*) libro I: armis et magno commeatu (cumm. L^1, cam. F^1) sed (set $L^1 W$) praeda ing. cop. *Non.*

26, 11 inquit sibi *H*

27, 12 uias *Q N*

28. *Gell. 17, 2, 23.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — Hic nimiis in otiis, inquit, consumptus est.

29. *Gell. 17, 2, 25.* Verba ex Q. Claudi primo annali: — Conualles, inquit, et arboreta magna erant.

30. *Gell. 9, 14, 3.* Meminimus etiam in Tiburti bibliotheca inuenire nos in eodem *[primo]* Claudii libro scriptum utrumque 'facies' et 'facii'.

31. *Seru. (auctus) ad Verg. Aen. 1, 108.* Haec autem saxa inter Africam, Siciliam et Sardiniam et Italiam sunt, quae saxa ob hoc Itali aras uocant, quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse uoluerunt. — quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quae subito pessum ierit, cuius reliquias saxa haec exstare, in quibus aiunt Poenorum sacerdotes rem diuinam facere solitos. has aras alii Neptunias uocant, sicut Claudius Quadrigarius I annalium: apud aras, quae uocabantur Neptuniae, . . .

32. *Nonius s. u. reticulum p. 222.* Claudius primo: . . . prius hisce † auctoribus inde reticula galearia . . .

33. *Nonius s. u. possetur p. 508.* Quadrigarius annalium lib. I: Cum non possetur decerni, utrius putaretur uictoria esse . . .

EX LIBRO II

34*. *Liu. 10, 37, 13.* Et huius anni parum constans memoria est: Postumium auctor est Claudius in Samnio captis aliquot urbibus 294/460

---

28. *Ex eis annis, quorum memoriam Claudius libro primo esse conplexus uidetur, solos annos 348. 406 et 347. 407 in otiis consumptos esse tradit Liuius (7, 27, 1 et 3).*

30 *uulgo confusum est cum fr. 10^b p. 208 u. 9. sed falso, id quod cuiuis ipsa Gellii uerba paulo attentius legenti facile apparebit.*

34 *libro secundo attribui cum Krausio. ceterum de rebus a consulibus gestis prorsus alia antea Liuius eaque plurimis uerbis narrauerat. haec in appendice adnotauit addito Fabii testimonio (fr. 19, cf. adn.).*

28, 2 mimis *Q* minuss *ad marg. Z* minus *IIX* mimus *OX* nimiis *Lambecius* annus *conieci* consupt' *Z*

29, 3. 4 conuales *Z*

30, 6 daudii *X* utrumque⁊ f. et f. *Z* 6. 7 facii] faciei *libri, at uid. uerb. Gell. seqq.*

31. *Verba Claudii, ut supra edidimus, solus C(assellanus) seruauit.* 12 i cuius *C*

32, 17 hsce FH^1E hisce H^2LG priuisque ductoribus indit reticula *Lipsius* indere *Hertz* indidere *L. Mueller*

in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam conpulsum, ab Atilio in Etruria res gestas eumque triumphasse.

35. *Nonius s. u. properatim p. 154.* Quadrigarius annali libro II: eo consules propere exercitum redducunt.

36. *Nonius s. u. offendere p. 359.* Quadrigarius annali lib. II: Inde postquam aliquantum recessit, offendit montem, loca inuenit ea res omnes habere, quae militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum.

37. *Nonius s. u. ignauiter p. 514.* Quadrigarius annali lib. II: et qui ibi erant, non ignauiter potando eum diem pro meliore habuerunt.

38. *Nonius s. u. desubito p. 517.* Quadrigarius annali lib. II: his desubito utrisque nuntiatur ipsorum copias adesse.

39. *Priscian. 8 p. 393 H.* Quintus Claudius in II annalium: Conprehensare suos quisque, sauiare, amplexare.

EX LIBRO III

278/476 **40.** *Gell. 3, 8.* Cum Pyrrus rex in terra Italia esset et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset satisque agerent Romani

---

ad quem Liuii narratio (scil. per alium auctorem, qui consulum nomina adscripserat) referenda est.

40. 41. *Claudium Plutarchus (uel Dionysius, ex quo ille sua sumpsit, cf.* Quellen d. Plut. *p. 71) esse secutus uidetur in uita Pyrrh. 21:* μετὰ ταῦτα τοῦ Φαβρικίου τὴν ἀρχὴν παραλαβόντος ἧκεν ἀνὴρ εἰς τὸ στρατόπεδον πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζων, ἣν ἔγραψεν ὁ τοῦ βασιλέως ἰατρὸς ἐπαγγελλόμενος φαρμάκοις ἀναιρήσειν τὸν Πύρρον, εἰ χάρις αὐτῷ παρ'

34, 1 in apuliam *Med. Par. Leid.* ipsum paucis *Med.*[1]

35, 4 et consules *H*[1] propere] *lemma est* properatim et properiter

36, 6 inde pquā̃ntum rec. *L*[1] aliquanto *F* loca munita *libri* (munires *F*) loco munitum — habentem *L. Mueller* inuenit ea *scripsi* 7 aqua *Bernenses* babulum *L*[1]

37, 8 quadriga. in II annali *F* annalibus II *L* 9 qui inerant *F* *post* non *addidit F pr. m.* grauiter potando *Lugd.* putando *cet. libri* pugnando *coni. Gulielm.*

38, 11 quadriga. in II āna is des. *F* hic *L. Mueller*

39, 13 II] I *Gr(uterianus)* analium *(Par.) R* 13. 14 conpraehensare *R* comp̃hensare *S(angall.)* conprensare *H(alberst.)*[2] 14 sauiare *Krehlius* seuire *R Bern. H Gr. Karol.* saeuire *Bamb. S*

40, 15 pyrrus *P* pirrus *V* cirrus *R* ḥitalia *R*

et pleraque Italia ad regem desciuisset, tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrri amicus, ad C. Fabricium consulem furtim uenit ac praemium petiuit et, si de praemio conueniret, promisit regem uenenis necare; idque facile esse factu dixit, quoniam filius suus pocula in conuiuio regi ministraret. eam rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus ad regem legatos misit mandauitque, ut de Timochare nihil proderent sed monerent, uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita, uti diximus, in Valeri Antiatis historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio non Timocharem sed Niciam adisse ad consulem scripsit, neque legatos a senatu missos sed a consulibus, et ⟨*Pyrrum*⟩ populo Romano laudes atque gratias scripsisse captiuosque omnes, quos tum habuit, uestiuisse et reddidisse. **41.** Consules tum fuerunt C. Fabricius et Q. Aemilius. Literas, quas ad regem Pyrrum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo: 'Consules Romani salutem dicunt Pyrro regi.

ἐκείνων ὁμολογηθείη λύσαντι τὸν πόλεμον ἀκινδύνως. ὁ δὲ Φαβρίκιος δυσχεράνας πρὸς τὴν ἀδικίαν τοῦ ἀνθρώπου καὶ τὸν συνάρχοντα διαθεὶς ὁμοίως ἔπεμψε γράμματα πρὸς τὸν Πύρρον κατὰ τάχος φυλάττεσθαι τὴν ἐπιβουλὴν κελεύων. εἶχε δὲ οὕτως τὰ γεγραμμένα· 'Γάιος Φαβρίκιος καὶ Κόιντος Αἰμίλιος ὕπατοι Ῥωμαίων Πύρρῳ βασιλεῖ χαίρειν. Οὔτε φίλων εὐτυχὴς ἔοικας εἶναι κριτὴς οὔτε πολεμίων· γνώσῃ δὲ τὴν πεμφθεῖσαν ἡμῖν ἐπιστολὴν ἀναγνούς, ὅτι χρηστοῖς καὶ δικαίοις ἀνδράσι πολεμεῖς, ἀδίκοις δὲ καὶ κακοῖς πιστεύεις. οὐδὲ γὰρ ταῦτα σῇ χάριτι μηνύομεν, ἀλλ' ὅπως μὴ τὸ σὸν πάθος ἡμῖν διαβολὴν ἐνέγκῃ καὶ δόλῳ δόξωμεν ὡς ἀρετῇ μὴ δυνάμενοι κατεργάσασθαι τὸν πόλεμον'. Ἐντυχὼν τούτοις τοῖς γράμμασιν ὁ Πύρρος καὶ τὴν ἐπιβουλὴν ἐξελέγξας τὸν μὲν ἰατρὸν ἐκόλασε, Φαβρικίῳ δὲ καὶ Ῥωμαίοις ἀμοιβὴν ἐδωρεῖτο προῖκα τοὺς αἰχμαλώτους καὶ πάλιν ἔπεμψε τὸν Κινέαν διαπραξόμενον αὐτῷ τὴν εἰρήνην. et *Zonar.* 8, 5: *Ἤδη δὲ τῶν ῥηθέντων ὑπάτων ἐν τῷ στρατεύματι ὄντων Νικίας τις τῶν Πύρρῳ πιστῶν δοκούντων ἦλθε πρὸς τὸν Φαβρίκιον καὶ ὑπέσχετο αὐτῷ τὸν Πύρρον δολοφονήσειν. δυσχεράνας οὖν ἐπὶ τούτῳ ἐκεῖνος (ἀρετῇ γὰρ καὶ ταῖς δυνάμεσιν ἠξίου τῶν πολεμίων κρατεῖν ὡς ὁ Κάμιλλος) κατε-*

1 deciuisset *R* ambracienisis *R* quispiam regis timochares pirri *P* 2 Demochares *Ammian. 30, 1, 22* pyrrhi (i *ex corr. in ras. duarum litt.*) *V* pirri *PR* C *om. P* 3 et] ut *libri emend. Scioppius* 4 fili sui *R* filii sui *V* 5 regi min.] reministrarent *V* 7 nichil *VR* dproderent *R* circumspectacius *R* 9 ualeriantiatis *R* ualerianciatis *V* ualeriantianis *P* 10 timorẹcharē *V* nitiā *P* 11 at senatū *R ante corr.* missus *V* Pyrrum *addidit Hertz* regem *uulg. inseritur* 12 pop. Rom.] p. r. *R*
41, 14 Q.] q̃ *PVR* pirrum *V* 15 ea causa] earc̣a *R* 16 pirro *VR*

Nos pro tuis iniuriis continuis animo tenus commoti inimiciter tecum bellare studemus. sed communis exempli et fidei ergo uisum, ut te saluum uelimus, ut esset quem armis uincere possimus. ad nos uenit Nicias, familiaris tuus, qui sibi praemium a nobis peteret, si te clam interfecisset. id nos negauimus uelle, neue ob eam rem quicquam commodi expectaret, et simul uisum est, ut te certiorem faceremus, ne quid eius modi, si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum, et quod nobis non placet pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu nisi caues, iacebis'.

258/496 **42.** *Gell. n. Att. 3, 7, 21.* Claudius autem Quadrigarius annali tertio non Caedicio nomen fuisse ait sed Laberio.

μήνυσε τῷ Πύρρῳ τὸ ἐπιβούλευμα· καὶ οὕτως αὐτὸν ἐκ τούτου κατέπληξεν, ὥστε καὶ τοὺς ἑαλωκότας τῶν Ῥωμαίων προῖκα αὖθις ἀφεῖναι καὶ πρέσβεις πάλιν ὑπὲρ εἰρήνης ἀποστεῖλαι. Similia Liuius, quocum consentiunt Cicero de offic. 3, 22, 86 et Senec. ep. 120, 6 (20, 3), narrasse uidetur (Liu. perioch. 13: cum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur uenenum se regi daturum, cum indicio ad regem remissus est, *cf. 24, 45, 3. 42, 47, 6. Flor. 1, 13 [18], 21. Eutrop. 2, 14, quibus tamen locis proditoris nomen omissum est). in textu autem Liuius etiam Valerii Antiatis famam commemorasse uidetur, unde Valerius Maximus sua excerpsit (uid. adn. ad Val. fr. 21). utramque narrationem et Claudii et Valerii contaminasse uidetur Aelianus (uar. hist. 12, 33), qui Niciam medicum (nam quod Cineam eum appellat, error is est aut ipsius Aeliani aut librariorum) ad senatum scripsisse rettulit.*

42. *De re uid. Caton. orig. fr. 83 et Frontin. 1, 5, 15 (quo de loco ad uerbum descripsit is qui librum quartum postea addidit 4, 5, 10):* Idem fecit sub Atilio Calatino consule is, cuius uarie traditur nomen: alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium *[sic Cato]*, plurimi *(M.)* Calpurnium Flammam *[sic Liu. per. 17. 22, 60, 11 et qui eum sequuntur Oros. 4, 8, 2. Flor. 1, 18 (2, 2), 15. Ampel. 20, 5; Zon. 8, 12. Plin. 22, 11. Aurel. Vict. de uir. ill. 39, 3]* uocitatum scripserunt. Hic cum demissum in eam uallem uideret exercitum, cuius latera omniaque superiora hostis insederat, depoposcit et accepit a consule trecentos milites, quos adhortatus ut uirtute sua exercitum seruarent, in mediam uallem decucurrit. et ad opprimendos eos undique descendit hostis longoque et aspero proelio retentus occasionem consuli ad extrahendum exercitum dedit.

---

1 continuo animo tenui *VRP em. Gronou.* intimo *Hosius* inimiciciter *V* 2 ergo P^1 uigore *P a m. rec.* 3 ut te] *P* uite VR^2 uitae R^1 possemus ς 4 famiaris *R* 5 interfaecisset *R* negamus *VRP* negabamus *ci. Hertz* 6 extepcaret R^1 exteccaret *R corr.* 8 precio *P delet L. Mueller* 9 pugnare * *V* tacebis *V ante corr.*

42, 10 annal *R* annalis *VP* 11 tercio *VRP* cedicio *R* cecidio *P* lauerio *VRP* Valerio *Carrio*

43. *Gell. n. Att. 1, 7, 9.* In Claudi quoque Quadrigarii tertio annali 258 496
uerba haec esse dixit [*amicus Gellii, homo lectione multa exercitus*]: i dum conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum.

44. *Gell. n. Att. 1, 16, 1.* Quadrigarius in tertio annalium ita scripsit: Ibi occiditur mille hominum.

45. *Macrob. sat. 1, 4, 18.* Claudius etiam Quadrigarius annali tertio: Senatus autem de nocte conuenire, noctu multa domum dimitti.

46. *Non. s. u. delectare p. 97.* Quadrigarius annalium lib. III: Fabius de nocte coepit hostibus castra simulare obpugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet quod captabat.

47. *Non. s. u. potestur p. 508.* Quadrigarius annali lib. III: Adeo memorari uix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent.

48. *Non. s. u. praeclariter p. 516.* Quadrigarius annali lib. III: et ita rebus praeclariter gestis Romam reuerterunt.

---

43 *ad eandem rem pertinere ad quam fr. 42 iam ab aliis perspectum est; sunt uerba Laberii tribuni, quibus salutis uiam demonstrat Atilio Calatino consuli. uid. Caton. fr. 83 p. 78, 15:* Censeo, inquit, si rem seruare uis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad uerrucam illam — ire iubeas eamque uti occupent, imperes horterisque; hostes profecto ubi id uiderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praeuertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur.

44. *Ex Gellio hoc fragmentum ad uerbum descripsit Macrob. sat. 1, 5, 6.*

45. *Cf. supra p. CCCIII.*

43, 1 Claudi *A* cl. *s.* c̓l. *VPR excerpta Scioppii codd. rec.* centesimo quinquagesimo (*tum* tertio *om.*) *ex Busl. Carrio Steph.* Q *uel* Qu. *codd. rec. et edd. uet.* annali] *A* annali libro *VP codd. rec.* annalib bro *R* annalium libro *codd. rec.* 3 idumi *A* dum hii *VPR* dum hi *V a man. rec.* concideretur *R* copia sibi *P* copia tibi *R* *in* ibi oc *desinit A*

45, 8 dimitti] do demitti *Parisinus*[1] do *postea deletum*

46, 10 hostis *Guiet.* 11 cum (*uel* ut) hostem delectaret *conieci.* hostem *del. Quicherat* eo h. *ci. L. Mueller* eum arte del. *Onions*

47, 12 liber *G* 13 potestur *F (uid. lemma)* potest *cet. libri* suum] sunt *libri* 13. 14 adortei sient *L. Mueller*

48, 15 quadriga. in III anna. *F*

49. *Priscian. 6 p. 232 H.* Claudius in III historiarum: . . . ut uiderent † ne respueret uerminaret litteris addiualis, quod uerminatum ne ad cancer peruenerit.

EX LIBRO IV

50. *Non. s. u. alternatim p. 76.* Quadrigarius annalibus lib. IIII: item gaudium atque aegritudinem alternatim sequi.

51. *Non. s. u. urgere p. 418.* Quadrigarius annali lib. IIII: sed circiter horas duas graui proelio urserunt; deinde in fugam sunt coniecti.

52. *Seru. (auctus) ad Verg. Georg. 1, 135.* Quadrigarius quarto: Inter uenas saxi . . .

EX LIBRO V

216/538 **53.** *Gell. n. Att. 5, 17, 5.* Nihil nos super ea re *[ante diem quoque quartum kalendas uel nonas uel idus tamquam inominalem diem a plerisque uitari]* scriptum inuenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis uastissimam factam dicit ante diem quartum nonas Sextiles.

---

49. *Pluess in Jahn. ann. CIII p. 67 sq. rettulit ad libros Numae a. 181. 573 conbustos (libri numero in* VIII *mutato) et ad orationem praetoris senatum monentis, ne res p. libris illis ad lucem prolatis detrimentum caperet.*
53 *ad uerbum descripsit Macrob. sat. 1, 16, 26.*

49, 2 respuerorum *Karoliruh. alter* uermiaret *(Paris) R a. corr.* *minaret *(cod.) Gr(uteri)*^{1} *pro littera erasa suprascr.* ū *Gr.*^{2} literis *S(angall.)* haddiualis *Bamberg.* adiualis *Halberst.* litteris addiualis] lateris ulcus in alis *Casaub. ad Suet. Claud. 41* Claudius III historiarum litteris ad senatum: ut uiderent ne res sinerent (*uel* paterentur) uerminare; quod uerminatum, ne ad cancer perueniret *I. F. Gronouius ad Suet. l. l.* ne respueret uerminare ad ulceris (ulceris ad *censor Krehlii Ienensis*) cliua, cis quod uerminatum ne ad cancer peruenerit *God. Hermann apud Krehlium.* ne res publica uerminaret literis adulatis, quod uerminatum ne ad cancer perueniret *M. Hertz. ipse desperaui de probabili huius fragmenti emendatione.*
50, 5 alternatum *G*
51, 6 annali] arena *LH*^{1}*Bern. pr. Gen.* 7 oras *L* praelio *H*^{1}*Gen.* urguebant *Bernensis A*
52 *ex Thilonis libris solus Vossianus saec. X seruauit.*
53, 13 quod Q.] q̄ qd *V* quod q̄ *R* qd' * (q; *eras.*) *P* 14 uatissimam *R* 15 Sextilis *Par. Macrobii*

54. *Non. s. u. cohortarent p. 472.* Quadrigarius annalium lib. V: et dicerent castra facta esse atque hos cohortarent, uti maturarent.

55. *Non. s. u. recordauit p. 475.* Quadrigarius annali lib. V: is ubi Dacium cognouit et patria eum recordauit . . .

EX LIBRO VI

56. *Prisc. 10 p. 541 H.* Quadrigarius in VI annali: Artorius Taureae dextrum umerum sauciat atque ita resiluit.

---

54. *Nisi audacius est numerum corruptum existimare, refero haec uerba ad impetum ab Hannibale in castra Romanorum, qui Capuam obsidebant, factum a. 211. 543:* fraudem quoque super tumultum adiectam inmissis ab Hannibale, qui habitu Italico gnari Latinae linguae iuberent consulum uerbis, quoniam amissa castra essent, pro se quemque militum in proxumos montis fugere: sed eam celeriter cognitam fraudem oppressamque magna caede hostium: elephantos igni e castris exactos, *Liu. 26, 6. τοὺς δὲ ῥωμαΐζοντας βοᾶν ὅτι Φουλούιος ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς κελεύει τὸ στρατόπεδον ἐκλιπόντας ἐπὶ τὸν ἐγγὺς λόφον ἀναπηδᾶν. τόδε μὲν ἦν τὸ στρατήγημα τοῦ Ἀννίβου καὶ τούτων τὰ μὲν πρῶτα πάντα κατὰ νοῦν ἀπήντησεν, App. Hann. 41. Quae coniectura si uera est, libro sexto hoc fragmentum adsignandum, fortasse coniungendum est cum fragm. 58:* Paene factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti.

55. *Dacii nusquam in hac historia mentio fit, quam ob rem Decii nomen latere suspicatus est Augustinus, Dasii Roth (ad Non. l. s.). Dasii originis Messapiae tres occurrunt apud Liuium in eis qui huc pertinent libris (propter perfidiam Punicam 21, 48, 9 a. 218. 536. 24, 45 sqq. a. 213. 541. 26, 38 [ex eo Valer. Max. 3, 8 ext. 1; cf. Appian. Hann. 45] a. 210. 544). Decius unus, Capuanus, ex gente Magiorum, qui ob constantem in Romanos fidem ab Hannibale uinctus et in Africam missus, sed tempestate Cyrenas delatus et a Ptolemaeo seruatus est (Liu. 23, 7, 4—10. a. 216. 538). Pluess in Jahn. ann. CIII p. 66 rem ad Insubrem ad Trasumennum Flaminium cos. cognoscentem (Liu. 22, 6, 3) rettulit.*

56. *Claudii Aselli Romani et Cerrinii Vibellii Taureae Campani ad Capuam certamen a. 215. 539 fuse narrant Liuius 23, 46, 12—47, 8. Appian. Hann. 37, Sil. Ital. 13, 142—178, ex quo tamen Taurea saluus cito equo aufugit. aliud certamen simillimum T. Quinctii Crispini Romani et Badii Campani extat apud Liuium 25, 18, 4—15 (unde sua descripsit Valer.*

54, 1 quadraginarius G^1 2 ducerent *F* dicereni L^1 capta *Mercer.* adque L^1 hos] os *G* eos *L. Mueller. qui claudi'* maturarent fugam

55, 3 III GH^2 *Bamb. numerus deest in F* 3. 4 subi L^1 is ubi L^2 4 Decium *Augustinus* Dasium *Roth* patriae *coni. Iun.* patriae ueteris rec. *L. Mueller*

56, 5. 6 taurea *Par. R* taurȩȩ *Bern.* taurae *S(angall.) Gr(uterianus) K(arolir.)* 6 humerum *Bamb. Bern. H(alb.) Gr.* saucia *SK* sacucia *Gr.* resiliuit H^2

57. *Gell. n. Att. 2, 2, 13.* Posuimus igitur uerba ipsa Quadrigarii ex annali eius sexto transscripta: Deinde facti consules Sem- 213/541 pronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus, filius eius qui priore anno erat consul. ei consuli pater proconsul obuiam in equo uehens uenit neque descendere uoluit, quod pater erat, et quod inter eos sciebant maxima concordia conuenire, lictores non ausi sunt descendere iubere. ubi iuxta uenit, tum consul ait: 'Quid postea?' lictor ille, qui apparebat, cito intellexit, Maximum proconsulem descendere iussit. Fabius imperio paret et filium conlaudauit, cum imperium, quod populi esset, retineret.

57 A*. *Liu. 25, 39, 11.* Ita *[post mortem Scipionum in Hispania]* nocte ac die bina castra hostium *[Carthaginiensium Magonis* 212/542 *et Hasdrubalis]* oppugnata ductu L. Marcii. ad triginta septem milia hostium caesa auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem uertit, captos ad mille octingentos triginta,

Max. 5, 1, 3 sed parum accurate): in hoc, quod commissum est anno 212. 542, Crispinus supra scutum sinistrum umerum Badio hasta transfixit superque delapsum cum uulnere ex equo desiluit, ut pedes iacentem conficeret. Badius priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto ad suos aufugit. *res igitur eadem sub diuersis nominibus iterata est.*

57. *Cf. Liu. 24, 43:* creati consules ambo praesentes Q. Fabius Maximus consulis filius et Ti. Sempronius Gracchus iterum. — (44) pater filio legatus ad Suessulam in castra uenit. cum obuiam filius progrederetur lictoresque uerecundia maiestatis eius taciti anteirent, praeter undecim fasces equo praeuectus senex, ut consul animaduertere proximum lictorem iussit et is, ut descenderet ex equo, inclamauit, tum demum desiliens 'experiri' inquit 'uolui, fili, satin scires consulem te esse'. *(ex Liuio Valerius Max. 2, 2, 4 qui tamen falso illud ad Suessam accidisse dicit.) pluribus uerbis exornat Plut. Fab. 24.*

57A. *Cf. Acil. fr. 4. Liuium descripsit Val. Max. 1, 6, 2. cf. Plin. n. h. 35, 14:* Poeni ex auro factitauere et clipeos et imagines secumque in castris uexere. certe captis talem Hasdrubalis inuenit Marcius, Scipionum in Hispania ultor, isque clipeus supra foris Capitolinae aedis usque ad incendium primum fuit. — *Ceterum quae praecedit apud Li-*

57, 1. 2 cadrigrii (*supr.* g *script.* a) *R* 2 annalib' *R* consul ẽem pronius *P* ⟨Ti.⟩ Sempr. *Skutsch* 3 graccus *VR* iterum, Q] iterumq; *siue* iterumque *libri* qui *om. R* 4 ei consuli pater] ei ospat *R* obuiam *om. R* 7 iubere ubi *V* quid postea *VPR Iac. Gron. (interrogationis notam addidit Hertz)* quid opstat? *O. Hirschfeld* quod postea *codd. rec.* tum consul ait: descendere iube. quod posteaquam lictor *in edit. Gron.* Tum consul ait quid postea lictori illi qui apparebat. Cito intellexit. Maximum *I. Gron.* cito] *an* dictum?

57A, 13 expugnata ς

praedam ingentem partam. in ea fuisse clupeum argenteum pondo centum triginta septem cum imagine Barcini Hasdrubalis. — Apud omnis magnum nomen Marcii ducis est. et uerae gloriae eius etiam miracula addunt, flammam ei contionanti fusam e capite sine ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum, monimentumque uictoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clupeum Marcium appellatum cum imagine Hasdrubalis.

58. *Gell. n. Att. 17, 13, 6.* Item in sexto annali eiusdem *[Quadrigarii]* uerba haec sunt: Paene factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti.

59. *Non. s. u. censere p. 267.* Quadrigarius annali lib. VI: ne nos ad certationem censeas haec incepisse. . . .

60. *Non. s. u. aliquantisper p. 511.* Quadrigarius annali lib. VI: Aliquantisper pugnato nihil promouet Poenus.

EX LIBRO VII

61. *Nonius s. u. habentia p. 119.* Libro septimo Claudius: Animos eorum habentia inflarat.

62*. *Liu. 33, 10, 7.* Caesa eo die *[pugna ad Cynoscephalas]* 197/557
octo hostium milia, *quinque* capta. ex uictoribus septingenti ferme

---

uium de Marcii ultione narratio, si ex quoquam trium scriptorum, quos Liuius l. s. s. adfert (praeter Claudium Valerium Antiatem fr. 23 et Pisonem fr. 32), ex Claudio hausta est. cum Liuio utraque castra capta esse Frontinus strat. 2, 10, 2 memorat.

58. *Vide quae adnotauimus ad fr. 54.*

62. *Ex Liuio Oros. 4, 20, 6. cf. uersus ab Alcaeo Messenio poeta (Reitzenstein R. E. I c. 1506) de clade illa Macedonum compositos apud Plut. Flam. 9 (= Anthol. Pal. VII 247):* Ἄκλαυστοι καὶ ἄθαπτοι, ὁδοιπόρε, τῷδ᾽ ἐπὶ νώτῳ | Θεσσαλίας τρισσαὶ κείμεθα μυριάδες | Αἰτωλῶν δμηθέντες ὑπ᾽ Ἄρεος ἠδὲ Λατίνων. *quibus haec addit Plut.:* Τοῦτο ἐποίησε μὲν Ἀλκαῖος ἐφυβρίζων Φιλίππῳ καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀποθανόντων

---

1 paratam *Put.* clupeum *Put.*^{1} clipeum *Put.*^{2} arcenteum *Put.* 2 barchini *Put.*

58, 8 annalii *Z* annalium *R*^{2} 9 pene *pφmga* 9. 10 reliquerent *Z* 10 hosti *om. Q*

59, 12 certatione *L*^{1} *Gen.* incoepisse *F*

60. 13 quadriga. in annali. li. I *F* annali bib *G*^{1} 14 pugno *G Paris. Bamb. Montep.*

61, 15 VII *G Lugd.* cladius *H* 15. 16 animus *L*^{1} 16 hauentia *Gifan. (et L. M.)* habentia *om. G.* inflaret *G*

ceciderunt. — — Claudius quoque duo et triginta milia hostium caesa scribit, capta quattuor milia et trecentos.

196/558 **63*.** *Liu. 33, 30.* Paucos post dies decem legati ab Roma uenerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est, ut omnes Graecorum ciuitates, quae in Europa quaeque in Asia essent, libertatem ac suas haberent leges; quae earum sub dicione Philippi fuissent, praesidia ex iis Philippus deduceret uacuasque traderet Romanis ante Isthmiorum tempus. deduceret et ex iis, quae in Asia essent, Euromo Pedasisque et Bargyliis et Iaso et Myrina et Abydo et Thaso et Perintho: eas quoque enim placere liberas esse. de Cianorum libertate Quinctium Prusiae Bithynorum regi scribere quid senatui et decem legatis placuisset. captiuos transfugasque reddere Philippum Romanis et nauis omnis tectas tradere praeter quinque et regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sedecim uersus remorum agebant. ne plus quinque milia armatorum haberet neue elephantum ullum. bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret. — Valerius Antias quaternum milium pondo argenti uectigal in decem annos inpositum regi tradit; Claudius in annos triginta quaterna milia pondo et ducena, *in* praesens uiginti milia pondo. idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene Attali filio (nouus is tum rex erat) bellum gereret. in haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius.

ἐπιψευσάμενος. numeros Claudii etiam ductos esse ex hisce uersibus perperam intellectis suspicatur Lachmann de font. Liu. II p. 23. etiam Valerii numeros (fr. 32) adscripsit Liuius, secutus tamen est Polybii auctoritatem.

63. *Pacis condiciones, quas supra exscripsi, a Liuio ex Polybio (18, 27 [44]) sumptae sunt exceptis duabus ultimis, quae Claudio aut Valerio (fr. 33) debentur. cf. Nissen,* Untersuch. *p. 145 sq. ceterum quas Polybius omiserat, addidit ex annalibus Liuius, etiam Zonar. 9, 16 habet: καὶ τοὺς ἐλέφαντας τάς τε τριήρεις πλὴν πέντε καὶ τῆς στρατηγίδος αὐτῆς οὔσης ἑκκαιδεκήρους καὶ χρήματα τὰ μὲν αὐτίκα δοῦναι,*

62, 1 duo et XXX milia *Bamberg.* 2 scribi *Bamb.* capta IIII. et ccc *Bamb.*

63, 15 ne plus V. milia armentorum habere *Bamberg.* ne plus quingentis armatorum haberet *Mogunt. Zonar. 9, 16 facit cum Bamb.* 18 regit *Bamb.* in decem annos — in annos XXX] *pro his Mogunt. exhibuit* in decem annos triginta. 19 ducentum *Bamb.* ducenta *Mogunt.* ducena *Weissenborn* in *add. Madvig* XX pondo *Bamb.* 20 ne cum Eumene] cum ne eū eni *Bamb.*[1] ne cum *Bamb.*[2] nec cum Eumene *Mogunt.* 21. 22 acceptos *Vossius*

64*. *Liu. 33, 36, 13.* In eo proelio *[quod Marcellus ad Comum* 196/558
contra Insubres et Comenses commisit] supra quadraginta milia hominum caesa Valerius Antias scribit; octingenta septem signa militaria capta et carpenta septingenta triginta duo et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in aede positum scribit.

64 A*. *Liu. 35, 14, 1.* Sulpicius aeger Pergami substitit. Villius 193/561
cum Pisidiae bello occupatum esse regem audisset, Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, ut cum Hannibale, qui tum ibi forte erat, saepe congrederetur, ut animum eius temptaret et, si qua posset, metum demeret periculi quicquam ei ab Romanis esse. iis colloquiis aliud quidem actum nihil est, secutum tamen sua sponte est, uelut consilio petitum esset, ut uilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret.

*τὰ δὲ καὶ ἐν τάξεσί τισι, καὶ μόνης τῆς Μακεδονίας βασιλεύειν. **μὴ πλείους τ᾽ ἔχειν στρατιώτας τῶν πεντακισχιλίων μήτε πόλεμον ἔξω τῆς ἑαυτοῦ χώρας ποιεῖσθαί τινι.** — Vectigal, in quo Polybius et Valerius consentiunt, paene duplicauit Claudius, uid. adn. ad Val. fr. 33.*

64. *Omnia quae narrat Liuius c. 36, 4—37 de rebus a M. Claudio Marcello consule in Gallia gestis, ex Claudio Valerioue hausisse etiam Nissenio (p. 149 sq.) uidetur eosque solos in animo habuisse, cum cap. 36 extr. haec scriberet:* id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios prius an in Insubres consul exercitum duxerit, aduersamque prospera pugna oblitterauerit an uictoria ad Comum parta deformata clade in Bois accepta sit. *itaque si Liuius in narratione sua Valerium Antiatem secutus est, quod est ueri similius, apud Claudium (fr. 34) aliam famam, qua prius Insubres a Romanis uicti erant, tum Romani a Boiis, dissentientem inuenit. cf. Vnger p. 56 sqq.*

64 A. *Liuius hoc colloquium narrationi Polybianae inseruit. cf. App. Syr. 9: ἔπρασσον δὲ [legati Romanorum] ταῦθ᾽ ὕποπτον ἐργαζόμενοι γενέσθαι τῷ βασιλεῖ [Antiocho] ἐκ τῆς συνεχοῦς σφῶν ὁμιλίας τε καὶ συνόδου. καὶ τοῦθ᾽ ὁ μὲν στρατηγικώτατος Ἀννίβας οὐχ ὑπενόησεν, ὁ δὲ βασιλεὺς πυθόμενος ὑπώπτευσε καὶ ἀμβλύτερος ἦν τὸ ἀπὸ τοῦδε πιστεύειν ἔτι τῷ Ἀννίβᾳ. καὶ γάρ τι καὶ ζήλου προϋπῆν ἐς αὐτὸν ἤδη καὶ φθόνου, μὴ τῶν γιγνομένων τὸν ἔπαινον Ἀννίβας ἀποφέροιτο. (10) Λέγεται δ᾽ ἐν ταῖσδε ταῖς διατριβαῖς ἐν τῷ γυμνασίῳ λεσχηνεῦσαί ποτε πρὸς ἀλλήλους Σκιπίωνα καὶ Ἀννίβαν περὶ στρατηγίας πολλῶν ἐφεστώτων, καὶ τοῦ Σκιπίωνος ἐρομένου, τίς δοκοίη οἱ στρατηγὸς ἄριστος γενέσθαι, τὸν Ἀννίβαν εἰπεῖν· ὁ Μακεδὼν Ἀλέξανδρος. Σκιπίωνα δ᾽ ἡσυχάσαι μὲν ἐπὶ τῷδ᾽,*

---

64. *uid. app. cr. ad Valer. fr. 34.*

64 A, 11 temptaret et si qua posset metum *Bamb.* ut et animum eius tentaret, et *Vossius* ei] et *Bamb.* 12 alii ut qui tactum *Bamb. emend. in Basil. alt.* aliud quid actum ς 14 et *om. Bamb. add. Basil. alt. (ex Mog.?)* suspectiorque ς

Claudius secutus Graecos Acilianos libros P. Africanum in ea fuisse legatione tradit eumque Ephesi collocutum cum Hannibale et sermonem unum etiam refert: quaerenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondisse Alexandrum Macedonum regem, quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset quod*que* ultimas oras, quas uisere supra spem humanam esset, peragrasset. quaerenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse castra metari primum docuisse; ad hoc neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse; artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italicae gentes regis externi quam populi Romani tam diu principis in ea terra imperium esse mallent. exsequenti, quem tertium duceret, haud dubie semet ipsum dixisse. tum risum obortum Scipioni, et subiecisse 'quidnam tu diceres, si me uicisses?' 'tum uero me' inquit 'et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios omnis imperatores esse'. et perplexum Punico astu responsum et inprouisum adsentationis genus Scipionem mouisse, quod e grege se imperatorum uelut inaestimabilem secreuisset

---

ἐξιστάμενον ἄρα Ἀλεξάνδρῳ, ἐπανερέσθαι δέ, τίς εἴη δεύτερος μετ' Ἀλέξανδρον. καὶ τὸν φάναι· Πύρρος ὁ Ἠπειρώτης, τὴν ἀρετὴν ἄρα τὴν στρατηγικὴν ἐν τόλμῃ τιθέμενον. οὐ γὰρ ἔστιν εὑρεῖν μεγαλοτολμοτέρους τῶνδε τῶν βασιλέων. δακνόμενον δ' ἤδη τὸν Σκιπίωνα ὅμως ἐπανερέσθαι ἔτι, τίνι διδοίη τὰ τρίτα, ταχὺ γοῦν ἐλπίζοντα ἕξειν τὰ τρίτα· τὸν δὲ 'ἐμαυτῷ' φάναι· νέος γὰρ ὢν ἔτι Ἰβηρίας τε ἐκράτησα καὶ στρατῷ τὰ Ἄλπεια ὄρη μεθ' Ἡρακλέα πρῶτος ὑπερῆλθον ἔς τε τὴν Ἰταλίαν ὑμῶν οὐδενός πω θαρροῦντος ἐμβαλὼν τετρακόσια ἀνέστησα ἄστη καὶ περὶ τῇ πόλει τὸν ἀγῶνα πολλάκις ὑμῖν ἐπέστησα, οὔτε μοι χρημάτων οὔτε στρατιᾶς ἐπιπεμπομένης ἐκ Καρχηδόνος. ὡς δὲ αὐτὸν ὁ Σκιπίων εἶδεν ἀπομηκύνοντα τὴν σεμνολογίαν, ἔφη γελάσας· Ποῦ δ' ἂν ἑαυτὸν ἔταττες, ὦ Ἀννίβα, μὴ νενικημένος ὑπ' ἐμοῦ; τὸν δὲ φασὶν αἰσθανόμενον ἤδη τῆς ζηλοτυπίας εἰπεῖν ὅτι ἔγωγε ἔταξα ἂν ἐμαυτὸν πρὸ Ἀλεξάνδρου. οὕτω μὲν ὁ Ἀννίβας ἐπέμεινέ τε τῇ σεμνολογίᾳ καὶ τὸν Σκιπίωνα λαθὼν ἐθεράπευσεν, ὡς καθελόντα τὸν ἀμείνονα Ἀλεξάνδρου. διαλυομένης δὲ τῆς συνόδου Σκιπίωνα μὲν ὁ Ἀννίβας ἐπὶ ξενίᾳ ἐκάλει. Σκιπίων δὲ ἐλθεῖν ἂν ἔφη μάλα προθύμως, εἰ μὴ συνῇσθα νῦν Ἀντιόχῳ πρὸς Ῥωμαίους ὑπόπτως ἔχοντι. Plut. Flam. 21: Λέγεται δὲ αὖθις ἐν Ἐφέσῳ συμβαλεῖν αὐτούς· καὶ πρῶτον μὲν ἐν τῷ συμπεριπατεῖν τοῦ Ἀννίβου τὴν προσήκουσαν ἐν ἀξιώματι τάξιν εἶναι προλαβόντος ἀνέχεσθαι καὶ περιπατεῖν ἀφελῶς τὸν Ἀφρικανόν, ἔπειτα λόγου περὶ στρατηγῶν ἐμπεσόντος καὶ τοῦ Ἀννίβου κράτιστον ἀποφηναμένου γεγονέναι τῶν στρατηγῶν Ἀλέξανδρον, εἶτα Πύρρον, τρίτον δὲ αὑτόν, ἡσυχῇ μειδιάσαντα τὸν Ἀφρικανὸν εἰπεῖν 'Τί δ', εἰ μή σε ἐγὼ νενικήκειν'; καὶ τὸν Ἀννίβαν 'Οὐκ ἄν, ὦ Σκηπίων', φάναι

---

3 quo quaerenti ς 6 quod *Bamb. Mog. Periocha Aldus* et quod *Drakenb.* quas uisere *et* esset *om. Bamb. add. Mog.* ultimas *om. Mog.* 7 uictoriis *ante* peragrasset *add. Crev.* querenti *Bamb.* 13 et *om. Bamb.* ς

65*. *Liu. 38, 41, 11.* Mitiores Thraecas idem exercitus *[Cn. Manlii]*, cum a Scipione eadem uia duceretur, habuerat, nullam ob aliam causam quam quod praedae minus, quod peteretur, fuerat. quamquam tunc quoque Claudius auctor est ad quindecim milia Thraecum praecedenti ad exploranda loca agmen Muttini Numidae occurrisse. quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos; Muttinis filium per medios hostes cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse; eundem mox, cum iam Muttines in medio elephantis locatis, in cornua equitibus dispositis manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo praebuisse, atque inde turbatos equestri uelut procella hostis ad peditum agmen non accessisse. 190/564

66*. *Liu. 38, 23, 6.* Numerus interfectorum *[Gallorum in Olympo monte a Cn. Manlio consule]* haud facile iniri potuit, quia late per omnis amfractus montium fugaque et caedes fuit et magna pars rupibus inuiis in profundae altitudinis conualles delapsa est, pars in siluis nepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum auctor est caesa, Valerius Antias, qui magis inmodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. numerus captiuorum haud dubie milia quadraginta expleuit, quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant demigrantium magis quam in bellum euntium modo. 189/565

'τρίτον ἐμαυτὸν ἀλλὰ πρῶτον ἐποιούμην τῶν στρατηγῶν'. *Primo loco ponit Hannibal Pyrrhum, altero Scipionem in uit. Pyrrh. 8, ubi breuiter eandem rem tangit. cf. Lucian. serm. mort. 12.*

65. *Hoc fragm. Krause et Roth ad annum 188. 566, quo Cn. Manlius cos. a. 189. 565 ex Asia in Italiam rediit, relatum post. fr. 66 posuerunt: at pertinet narratio Claudii non ad Manlii sed ad L. Scipionis Asiatici iter, in quo narrando rectius apud Liuium (37, 33) locum suum habuit. quae post uerba supra transcripta et ante ea hic a Liuio exposita sunt, ex Polybio originem ducunt. cf. Nissen p. 210.*

66. *Sola haec uerba Polybio uerso Liuium addidisse ex annalibus recte existumat Nissen p. 204; in numero captiuorum cum Liuio consentit Appianus Syr. 42, qui in his libris permultum Polybio usus est. cf. Valer. fr. 44 c. adnot. Memoriam Claudianam Liuius in animo habuit cum Manlium c. 47, 6 haec dicentem faceret:* qui plus quadraginta milia hominum cepi aut occidi, qui bina castra eorum expugnaui.

65, 1 Threcas *Bamb.* 5 Threcum *Bamb.* praecedentia ad *Bamb.* 7 hostes *Mogunt.* hostium *Bamb.* quinquaginta *om. Bamb.* ꞩ 8 equitibus ꞩ peditibus *Bamb.* ꞩ muttinis *Bamb.* Muttines ꞩ 10 conseruisse *Bamb.*

66, 13. 14 per omnes amfractus *Mogunt.* romanis anfractus *Bamb.* 15 ualles *Bamb.* 18 inmodicus *om. Bamb. add. Mogunt.* 19. 20 quadraginta *om. Bamb.*

169 585 67*. *Liu. 44, 14, 8.* Rhodii superbe commemoratis *meritis suis* erga populum Romanum et paene uictoriae, utique de Antiocho rege, maiore parte ad se uindicata adiecerunt, cum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo coeptam; eam se inuitos, nullo eius in se merito, quoniam ita Romanis uisum sit in societatem se belli trahere, interrupisse, tertium se annum multa eius incommoda belli sentire mari interim intercluso. inopia insulam † inopem misso . . . . . ritimis iuuetur colendi itaque commeatibus. cum id ultra pati non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denuntiarent Rhodiis placere pacem eum componere cum Romanis; se Romam eadem nuntiatum missos. per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, aduersus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse. *ne* nunc quidem haec sine indignatione legi audiriue posse certum habeo. inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea patribus fuerit. *(c. 15)* Claudius nihil responsum auctor est, tantum senatus consultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse iuberet populus Romanus litterasque extemplo ad utramque gentem *ut* sciret indicatum mitti; qua audita re principem legationis, cuius magniloquentiam uix curia paulo ante ceperat, corruisse. alii responsum esse tradunt et q. s.

---

67. *De hac re turbata cf. Nissen p. 261 et Weissenborn a. h. l., qui iure, num fides Claudio sit habenda, multum dubitant; Polybius (28, 14) alia de oratione, quam Rhodii hoc anno habuissent, rettulerat. Quae u. s. transcriptis adnectitur a Liuio narratio 'aliorum', fortasse Valerii Antiatis est (Nissen p. 261. 275 sq.), quem etiam 45, 20—24 secutus est.*

67, 1 rodi *L(aur.)* commoratis *L* meritis suis *add. Maduig* 2 anthioco *L* 3 a *L* ad *Sigon.* 4 sibi maceamicitiam *L* 7 mariinterimincluso inopiam insulam | inopem misso . . . . . ritimis iuuetur colendi *et q. s. L* sentire mari interim intercluso. inopem insulam mess[ium ma]ritimis iuuari commerciis atque commeatibus *M. Seyffert in Iahn. ann. 83 p. 839* inopem insulam esse suam; maritimis uiuere incolentes commeatibus. itaque cum *Maduig* 7. 8 inopem insulam esse, nisi maritimis iuuetur † . . . commeatibus *H. I. Mueller* 9 parti *L* 10 rodis *L* 11 romani|seromam *L* ea denuntiatum *Cobet* 12 quostetisset *L* quissibi *L* 13 rodios *L* esse nunc *L* ne *add. ed. Bas.* 14 audirèiue *L* 15 quià *L* 18 gentemsciret indicatum *L* ut sciret iudicatum, *Sigonius* s. c. indicatum *Vahlen* sciret indicatum *del. Hartel* 19 magniloquentia | uix curiam *L*

EX LIBRO VIII

68*. *Oros. 5, 3, 2.* Cum Metellus praetor Achaeos Boeotiosque 146/608 coniunctos duobus bellis, hoc est primum apud Thermopylas, iterum in Phocide uicisset, quorum priore bello occisa esse XX milia, secundo VII milia caesa Claudius historicus refert, — — igitur post extincta totius Achaiae praesidia, destitutarum euersionem urbium Metello praetore meditante consul Mummius repentinus cum paucis uenit in castra, qui dimisso statim Metello Corinthum sine mora expugnauit.

69*. *Oros. 5, 4, 5.* Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille 146/608 Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua LXX Lusitanos, Romanos autem CCCXX cecidisse Claudius refert: et cum uictores Lusitani sparsi ac securi abirent, unus ex his longe a ceteris segregatus, cum circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus unius eorum equo lancea perfosso ipsius equitis ad unum gladii ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, ut prospectantibus cunctis ipse contemptim atque otiosus abscederet.

70. *Gell. n. Att. 17, 13, 5.* Praeterea animaduertimus Quadrigarium in octauo annalium particula ista *[quin]* usum esse obscurissime. uerba ipsius posuimus: Romam uenit, uix superat, quin triumphus decernatur.

71. *Diomed. 1 p. 383 K.* Claudius octauo historiarum: Flacco ospicatur.

---

68. 69. *Orosius sua sumpsit ex Liuio, uid. Moerner de Oros. uit. p. 123. praeter Claudium de eadem re etiam Valerius Antias fr. 56 et Polybius citati sunt. — Hertzberg hist. Graec. I p. 266 sq.*

70. *De Aemilio Paulo (a. 147. 587) cogitat Krause collato Liuio 45, 35; potuit tamen idem de aliis imperatoribus dici.*

71 *Popma refert ad Q. Fuluium Flaccum, qui cum imperio in Hispania fuit et Celtiberos debellauit, Pluess in Jahn. ann. CIII p. 16 ad*

68, 1 boetiosque *Laur. Rehdig.*[2] byotiosque *Rehd.*[1] byociusquae *Donauesch. a. corr.* Boeotosque *uulg.* 2 primum *Laur. Don.* primo *Rehd.* 3 in phocideuicisset *Laur.* in focis deuicisset *Don.* cum focis deuicisset *Rehd.* in Phocaeis uic. *uulg.* XX· milia *Laur.* uiginti m. *Don.* 4 septem *Laur. Don. Rehd.*

69, 10. 11 lusitanosaromanos *Laur.* 11 cladius *Rehd. a. corr.* 13 cum circumf. *uulg.* cum a circ. *Laur.* unius *om. Laur.*

70, 19 trihumphus *Z*

71, 21 flacco *Paris. AB et codex Scioppii* flaccio *Mon. om. uulg.* 22 ospicatur *A et codex Scioppii* hospicatur *B uulg.* sospicatur *Mb*

72. *Nonius s. u. murmurari p. 478*: Quadrigarius annali lib. VIII: in eo loco populus murmurari coepit.

EX LIBRO IX

(137/617) **73.** *Prisc. 7 p. 347 H.* Claudius — in eodem *[VIIII annali]*: Vbi decreuerunt, commemorant Graccho foedus prior Pompeianum non esse seruatum.

74. *Prisc. 7 p. 347 H.* Claudius in VIIII annali: qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent, . . .

75*. *Lactant. Plac. in schol. ad Stat. Theb. 8, 1 p. 379 J.* Claudius: heri recedens uesperi Numantinis incidit.

EX LIBRO XIII

99/655 **76.** *Gell. n. Att. 13, 29, 1.* Verba sunt Claudii Quadrigarii ex annalium eius XIII: Contione dimissa Metellus in Capitolium uenit cum mortalibus multis. inde domum proficiscitur, tota ciuitas eum reduxit.

Catonem, qui a. 184. 570 'L. *Valerio (Flacco) subfragabatur' (Liu. 39, 41, 4). sed res prorsus incerta.*

73. *Videtur esse sermo de altero foedere inter Romanos Numantinosque icto, de quo cum a Graccho Mancini quaestore cum Numantinis ageretur, prioris illius foederis Pompei consulis, quod populus Romanus infirmauerat, Numantinos mentionem iniecisse ueri est simillimum. cf. Liu. per. 54:* Q. Pompeius consul *(a. 141. 613)* in Hispania Termestinos subegit. cum isdem et Numantinis pacem ab infirmitate [a populo Rom. infirmatam *Gronou.*] fecit. *Oros. 5, 4, 20:* Mancinus consul, postquam a Popilio apud Numantiam suscepit exercitum, adeo infeliciter proelia cuncta gessit atque in id suprema desperatione perductus est, ut turpissimum foedus cum Numantinis facere cogeretur, quamuis et Pompeius iam aliud aeque infame foedus cum isdem Numantinis paulo ante pepigisset. *cf. Val. Ant. fr. 57.*

74. *An ex eadem narratione ex qua fr. 73 depromptum?*

76. *Q. Caecilium Metellum Numidicum dictum esse recte intellexit Popma. cf. Liu. perioch. 69:* Q. Caecilius Metellus ab exilio ingenti to-

---

72, 2 eilico *L. Mueller*

73, 3 idem in eodem *Gr(uterianus)* 4 graecho *(Par.) R* gracco *Gr. R²* gracho *Bamb. Sangall. K(arol.)* graco *Halberst.* fedus *Bernens.* Pompianum *K*

74, 6 annalium *Par. R²* qui *Halberst.² in litura* 7 meminisset *Halberst.*

75, 8. 9 cladius *Paris. pr.* cladiū *Par. sec.* 9 heri' *Monac.* heius *Par. pr.* erius *Par. sec.*

76, 10 claudii *QZΠX²*

EX LIBRO XV

77. *Diomed. I p. 383 K.* Claudius annalium quinto decimo: Grundibat grauiter pecus suillum.

EX LIBRO XVI

78. *Non. s. u. hinnibunde p. 122.* Claudius annalibus libro XVI: Equae hinnibundae inter se spargentes terram calcibus. . . .

EX LIBRO XVIII

79. *Gell. n. Att. 1, 7, 9.* In duodeuicesimo annali eiusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum: Si pro tua bonitate et nostra uoluntate tibi ualitudo subpetit, est quod speremus deos bonis bene facturum.

80. *Senec. de benef. 3, 23, 2.* Claudius Quadrigarius in duodeuicensimo annalium tradit, cum obsideretur Grumentum et iam ad summam desperationem uentum esset, duos seruos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse. deinde urbe capta passim discurrente uictore illos per nota itinera ad domum, in qua seruierant, praecu-

---

tius ciuitatis fauore reductus est. *App. b. c. 1, 33: Μετέλλῳ δ' ἡ κάθοδος ἐδόθη, καί φασιν αὐτῷ τὴν ἡμέραν οὐκ ἀρκέσαι περὶ τὰς πύλας δεξιουμένῳ τοὺς ἀπαντῶντας.*

77. *Hoc fragm., quod corruptum etiam Nonius s. u. grundire p. 465 seruauit, obelo notandum esset, si Casaubonum ad Claudium Caesarem referentem (ad Suet. Claud. c. 41) audiremus, sed recte monuit Hertz (Gellian. p. 119) Quadrigarii id esse, quod a Nonio quoque (cf. infra app.) seruatum esset neque Quadrigarii auctoritas dubia.*

78. *Cf. Norden* Kunstprosa *p. 177 sq.*

80. *Cf. Macrob. 1, 11, 23:* Cum premeret obsidio Grumentum, serui relicta domina ad hostes transfugerunt. Capto deinde oppido impetum in domum habita conspiratione fecerunt et extraxerunt dominam uultu poenam minante ac uoce obuiis adserente, quod tandem sibi data esset

---

77, 1 Claudius lib. XVI agni: *Nonii (p. 465 M.) libri praeter F, qui* XV *exhibet* analium *Paris. A* 1. 2 grandibat *Par. A* 2 pecus suillum *Par. A Par.* B^2 pe*cus si*llum *Par.* B^1 pecus sullum *Monac.* grundibant grumiter pecus suillum *Non. cf. Hertz Gellian. p. 118 sq.*

78, 3 claudibus F^1 4 eque L^1 eq; *G* hinnibunde $L^1 F H^1$ equei hinnibundei *L. Mueller (uid. lemma)*

79, 5 duodeuicesimo *VPR (Stephanus)* duodeuigesimo *exc. Scioppii* duodecimo *uel* XII *codd. rec.* 7 subpetit *V* suppetit *PR codd. rec.*

80, 13 serui erant *Guelf. Mon. Paris.*

currisse et dominam suam ante se egisse. quaerentibus, quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. deinde, ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. manu misit utrumque e uestigio illa nec indignata est ab his se uitam accepisse, in quos uitae necisque potestatem habuisset.

87 | 667 uel 86 | 668

EX LIBRO XIX

81. *Gell. n. Att. 15, 1, 5.* Percontatus ego sum, quid esset illud mirum *[undeuicesimi libri Q.]* Quadrigarii. repetit *[Iulianus rhetor]*: In eo igitur libro scriptum inueni, cum oppugnaret L. Sylla in terra Attica Piraeum et contra Archelaus regis Mithridati praefectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quod alumine ab Archelao oblita fuisset. Verba Quadrigarii ex eo libro haec sunt: Cum Sylla conatus esset tempore magno, eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. uenit, accessit, ligna subdidit, submouit Graecos, ignem admouit; satis sunt diu conati, numquam quiuerunt in-

---

copia crudelem dominam puniendi, raptamque quasi ad supplicium obsequiis plenis pietate tutati sunt. — *Popma hanc rem refert ad bellum Marsicum, fortasse ad a. 89. 665, quo* A. Gabinius legatus rebus aduersus Lucanos prospere gestis et plurimis oppidis expugnatis in obsidione hostium castrorum cecidit *(Liu. per. 76). cf. Kiene, der roem. Bundesgenossenkrieg p. 213 not. 2.*

81. *Turres (κατὰ τὸ τεῖχος) aedificasse Archelaum contra Sullam etiam Appian. Mithr. 31 refert, sed nil de alumine.*

---

1 ante eg. *Naz. Mon.* 2 domina *Naz.* 4 satiatum *Naz. Reg.* 6 e *om. Naz. a. corr. Mon.* 7 ab eis se *cod. Tross.* 8 hab.] suscepisset *Mon.*

81, 10 quadrigarū *O* 11 silla *plerumque QX* 12 atica *X* piracū *Q* pyreum $X^2 T \Gamma$ pyraeum *Π* pyraeeum *X* mithridatis *O rec. m.* 13 ligneam ac def. *Q* ligne ac def. *Z* 14 cum ex omni] cum *om. QZ* 15 quisse] quiq; *X ante corr.* ab Arch.] ab *om. Π* ab Archelao alumine *uulg.* 16 cunctatus *Hosius* esset *Q* est et *cet. codd.* tempore magno] opere magno *Lipsius* impete magno *Gronou. ipse quamquam uitium subesse suspicor, prima fragmenti uerba temptare nolui* 17 interposuit] imposuit *ΠX fort.* interea posuit 18. 19 grecōs *Q* (s *in ras.*) 19 ammouit *T* satis *om. Z*

cendere: ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine. quod Sylla atque milites mirabantur, et postquam non succendit, reduxit copias.

82. *Gell. 10, 1, 3.* Quintum Claudium in libro undeuicesimo C. Marium creatum ʽseptimo' consulem dixisse. 87 667

83. *Gell. 20, 6, 11.* Quadrigarius in annali undeuicesimo uerba haec posuit: C. Mari, ecquando te nostrum et rei publicae miserebitur? 87 667

84*. *Oros. 5, 20, 6.* Sullae etiam et Marii adulescentis maximum tunc proelium apud Sacriportum fuit, in quo de exercitu Marii caesa sunt XXV milia, sicut Claudius scribit. 82 672

85. *Gell. n. Att. 9, 1, 1.* Quintus Claudius in undeuicesimo annali, cum oppidum a Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper e muris propugnari describeret, ita scripsit: Sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt fortissime. sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest: nam

---

82. 83 *pertinere uidentur ad id tempus, quo* Cinna et Marius in urbem recepti sunt; qui uelut captam eam caedibus ac rapinis uastauerunt. — et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiauerunt *(Liu. per. 80).*

84. *Cf. Eutrop. 5, 8 (qui cum Orosio ex eodem fonte i. e. ex Liuio hausisse uidetur):* Sed cum Romae mutati consules essent, Marius, Marii filius, ac Papirius Carbo consulatum accepissent, Sulla contra Marium iuniorem dimicauit et uiginti milibus eius occisis quadringentos de suis perdidit. *Claudius fortasse ipso Sulla usus est, de numero certe hostium occisorum consentit cum eo (fr. 19 apud Plut. Sull. 28):* ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ Σύλλας φησὶν εἰκοσιτρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ τῶν πολεμίων δισμυρίους καὶ λαβεῖν ζῶντας ὀκτακισχιλίους. *An etiam qui postea ab Orosio allati sunt numeri immensi hostium Sullae, ex Claudio et per eum e Sulla originem ducunt? constat enim eum morem fuisse Sullae (uid. s. p. CCLXXXIII), ut numerum militum suorum interfectorum ridiculum in modum minueret, augeret hostium. Orosius autem Norbani militum nouem milia occisa esse, Quinctii decem, Samnitium ad portam Collinam etiam octoginta (septuaginta Eutropius 5, 8, 1).*

85. *Q. Caecilius Metellus Pius (cons. 80. 674) pro consule bellum gessit in Hispania contra Sertorium ab anno 79. 675 usque ad annum 72. 682.*

---

1 ita] item *Q* 2 redduxit *O*

82, 5 C. *deest in QZB* creatum consulem septimo cons. *X* consulem septimo *Π*

83, 7 C. Mari] e mari *X* Marii *O N* ecquando] &quando *X O Π N*

84, 8 Syllae *Laur. Pal. Rehd. Don.* aduliscentis *Pal. Don. Rehd.*[1] 10 XXV· milia *Laur.* uiginti quinque m. *Don.*

85, 14 cur fund. *Q*[1] fonditore *B* 15 amittas *B Z* *aut* hoc *aut* nam *delet Gronouius*

neutrum potest deorsum uersum recte mitti, sed sursum utrumque optime. quare milites Metelli sauciabantur multo minus et, quod maxime opus erat, a pinnis hostis defendebant facillime funditore.

86. *Gell. n. Att. 13, 30, 7.* Praeterea memini Quadrigarium in undeuicesimo 'faciem' pro statura totiusque corporis figura dixisse.

EX LIBRO XXI

87. *Gell. n. Att. 10, 13, 4.* Sed Q. Claudius in uicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita usus: Enim cum partim copiis hominum adulescentium placentem sibi . . .

88. *Nonius s. u. auariter p. 510.* Quadrigarius annali lib. XXI: Crudeliter ille, nos misericorditer; auariter ille, nos largimur.

EX LIBRO XXIII

89. *Gell. n. Att. 10, 13, 4.* Itemque Claudi in uicesimo tertio annali uerba haec sunt: Sed idcirco me fecisse, quod utrum neglegentia partim magistratum an auaritia an calamitate populi Romani euenisse dicam nescio.

INCERTAE SEDIS

90. *Gell. n. Att. 5, 21, 6.* Velim doceas nos, cur 'pluria' siue 'compluria' (nihil enim differt) non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro.

---

86. *Eadem sententia haec uox utitur in fragm. 10[b] libri primi, sed audacius eam ob causam hunc Gellii numerum Mercerius mutat in* primo. *uid. Hertzium in edit. mai. II p. 185 ad h. l.*

90. *Ex Sinnio Capitone has auctoritates (Cat. fr. 24. Val. fr. 65) translatas esse a Gellio suspicatus est Hertz Sinn. Cap. p. 17.*

---

3 pennis *QBZΠN* funditore *om. ΠN* funditores *edit. Badian.*

86, 4 quadrigarii *Z* 5 undeuicensimo *N* undeuicesimo *cet. libri*

87, 6 Q.] que *Z* 7 partim] ptī *B* 8 copiis] corpus *Q* adulescentum *X* adholeſcenciū *Q* adulescentium *cet. libri* placentium *Lion*

88, 10 largiter *Bentin.*

89, 11 itemque] item.q., *N* item *Q* claudii *QBΠ* claudius *X* 13 magistratuum *Q* ante auaritia ante cal. *Z* an auarina acalimitate *X (secund.* a *ex corr.)* calami ppli *B* 14 euenisse * * dicam *X*

91. *Seru. (auctus) ad Verg. georg. 1, 103.* Sane Rubellius Blandus et Quadrigarius historici dicunt, Gargarum flumen uocari in finibus Thurinis; fuisse et oppidum mediocre, quod Garga nunc uicus est, quem Troes obscuri centum quinquaginta ignoto et incerto duce insederunt, scilicet nomine a uertice Idaeo translato, a quo ciuitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur.

92. *Non. s. u. pedetemtim p. 29.* Quadrigarius annalibus: exercitu instructo pedetemtim milites ducere coepit.

93. *Non. s. u. congermanescere p. 90.* Quadrigarius annalium: Facite exempla eorum, ut uos cum illis congermanescere sciatur.

94. *Non. s. u. lutum p. 212.* Claudius annalium: pluuia imbri lutus erat multus.

95. *Non. s. u. populat p. 471.* Quadrigarius: agrum Nolanum populare coeperunt.

96. *Prisc. 9 p. 484 H.* Claudius: pugna acriter commissa, multis utrimque interitis . . .

---

91. *Cf. Macrob. sat. 5, 20.*

91, 3 fuisset *Leid.* fuisse et *Thilo* 5 Idaeo] ideo *Leid.*

92, 8 cepit *H*[1]

93, 9 annali VIII *Quicherat* 10 *an* exemplo? eorum *om. F*[1] germanescere *F* congerminascere *Salmasius et L. Mueller* sentiatur *L. Mueller*

94, 11 annali IIII: pluuia *Aldin.* pluuio *anonym. ap. Gerlach* imbri] inibi *L. Mueller* 12 luctus *G*[1] multis *G*[1]

95, 14 popularet *L* coperunt *G* ceperunt *Bamb.*

96, 15 iacriter *Karolir.* 16 utrīque *ex* utrūque *corr. Bern.* utrumque *Bamb.*[1] utrunque *Sangall.*

VALERII ANTIATIS ANNALES

EX LIBRO I uel II

1*. *Gell. 7, 7, 1.* Accae Larentiae et Gaiae Taraciae, siue illa Fufetia est, nomina in antiquis annalibus celebria sunt. earum alterae post mortem, Taraciae autem uiuae amplissimi honores a populo Romano habiti. — Sed Acca Larentia corpus in uulgus dabat pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uberem. ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam autem alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit. ob id meritum a flamine Quirinali sacrificium ei publice fit et dies e nomine eius in fastos additus.

2*. *Dionys. 2, 13, 2.* Ὄνομα δὲ κοινὸν ἅπαντες οὗτοι [*custodes regis*] ἔσχον Κελέριοι, ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῶν ὑπηρεσιῶν, — ὡς δὲ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεύς φησιν, ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν τοῦτ' ἔχοντος τοὔνομα.

---

1. *Antiatem presse nemo scriptor secutus est, ipse fabulam de Acca Larentia fastorum paulum mutauit. uid. Caton. fr. 16. Licin. Mac. 1 cum notis. Mercklin,* Citiermeth. p. 645 *hoc exemplum Gellium Masurii Sabini memorialibus, quorum testimonium subsequitur, debere existimat. uid. Mommsen,* R. F. *II p. 8 sq. supra p. CCCXXX sq.*

2. *Vid. Seru. ad Aen. 11, 603:* Quos Celeres appellauit [*Romulus*] uel a celeritate uel a duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cuius gratiae uicem a Romulo fieri tribunus equitum meruit. *hoc loco comparato cum Dionysiano Liebaldt p. 20 etiam quae antea Dionysius de Remo a Celere interfecto narrasset, ex Valerio hausta esse (1, 87, 4) conclusit:* φασὶ δή τινες συγχωρῆσαι αὐτὸν τῷ Ῥωμύλῳ τὴν ἡγεμονίαν, ἀχθόμενον δὲ καὶ δι' ὀργῆς ἔχοντα τὴν ἀπάτην, ἐπειδὴ κατεσκευάσθη τὸ τεῖχος, φλαῦρον ἀποδεῖξαι τὸ ἔρυμα βουλόμενον 'ἀλλὰ τουτό γ'' εἰπεῖν, 'οὐ χαλεπῶς ἄν τις ὑμῖν ὑπερβαίη πολέμιος, ὥσπερ ἐγώ', καὶ αὐτίκα ὑπεραλέσθαι. Κελέριον δέ τινα τῶν ἐπιβεβηκότων τοῦ τείχους, ὃς ἦν ἐπιστάτης τῶν ἔργων, 'ἀλλὰ τοῦτόν γε τὸν πολέμιον οὐ χαλεπῶς ἄν τις ἡμῶν ἀμύναιτο' εἰπόντα πλῆξαι τῷ σκαφείῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκα

1, 4 accalarencia V *(RP hic desunt)* 5 uti in V[1] 7 aliis V 8 flammine V

2, 10 *post* ἅπαντες *uulgo legebantur* ὃ καὶ οἱ νῦν κατέστησαν. *om. Vrbin.* 12 γαλέριος *Chis. Vrbin.* Ἀντιάς *Cobet*

3*. *Plut. Rom. 14.* Ἁρπασθῆναι δέ φασιν [*filias Sabinorum*] οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, Οὐαλλέριος δὲ Ἀντίας ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους.

EX LIBRO II

4*. *Macrob. sat. 1, 4, 7.* Iulius Modestus de feriis — 'Antias' inquit 'Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert.'

5. *Macrob. sat. 1, 13, 20.* Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id [*intercalationem*] inuenisse contendit.

6. *Arnob. 5, 1.* In secundo Antiatis libro (ne quis forte nos aestimet concinnare per calumnias crimina) talis proscripta est fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet essetque illi cupido noscendi, Egeriae monitu castos duodecim iuuenes apud aquam celasse cum uinculis, ut, cum Faunus

---

ἀποκτεῖναι. *cf. Ouid. fast. 4, 843* (rutro Celer occupat ausum), *Aur. Vict. de uir. ill. 1, 4* (quod Remus irridens transiluit et a Celere centurione rutro fertur occisus). *Diodor. 8, 6, 3. II p. 149 V.*

3. *In compar. Thes. et Rom. (6) solam famam Valerianam Plutarchus respexit:* 'Ρωμύλος δὲ πρῶτον μὲν ὀκτακοσίων ὀλίγον ἀριθμῷ δεούσας ἁρπάσας οὐ πάσας ἀλλὰ μίαν, ὥς φασιν, Ἑρσιλίαν ἔλαβεν. *parem mulierum numerum postea ad Tatium pacis orandae causa migrasse Varro (ap. Dion. 2, 47, 4) scripsit, fortasse Antiatem secutus.*

4. *Vid. Mommsen C. I. L. I² p. 306.*

5. *Vid. uerba Macrobii antecedentia (c. 13, 16 sqq.):* Cum saepe eueniret, ut nundinae modo in anni principem diem, modo in nonas caderent (utrumque autem perniciosum rei publicae putabatur), remedium quo hoc auerteretur excogitatum est, quod aperiemus, si prius ostenderimus, cur nundinae uel primis kalendis uel nonis omnibus cauebantur. — unde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio qui fastis praeerant, uti, cum uellent, intercalaretur, dum modo eum in medio Terminaliorum uel mensis intercalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem auerteret nundinarum. atque hoc est quod quidam ueterum retulerunt, non solum mensem apud Romanos uerum etiam diem intercalarem fuisse. quando autem primum intercalatum sit, uarie refertur. *sequitur larga laudationum copia, Licinii fr. 4, Tuditani fr. 7, Cassii fr. 18, quam sumpsisse cum eis quae modo transscripsimus uerbis uidetur ex Varrone neque tamen distinxisse, utrum illi de mense an de die intercalari loquerentur. cf. Mommsen chronol. ad p. 22 sqq.*

6. *Valerium (Theopompum [fr. 6] imitatum) uel Varronem secuti eadem narrauerunt Ouidius fast. 3, 285 sqq. et Plutarchus Num. 15. Ouidii haec uerba sunt:* Ecce deum genitor rutilas per nubila flammas Spargit et effusis aethera siccat aquis. Non alias missi cecidere fre-

---

4, 5 ancias *Paris.*

6, 12 egregiae *codex* 14 *celasse eum *codex* cum *ed. pr.*

et Martius Picus ad id locorum uenissent haustum (nam illis aquandi solemne iter huc fuit), inuaderent, constringerent, conligarent. sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parui numeri uino mulsoque complesse circaque accessus fontis insidiosam uenturis opposuisse fallaciam. illos more de solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota uenisse. sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, uetustioribus anteposuisse res nouas, inuasisse auiditer, dulcedine potionis captos hausisse plus nimio, obdormiuisse factos graues. tum bis senos incubuisse sopitis, iniecisse madidatis uincula, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici; et accepta regem scientia rem in Auentino fecisse diuinam, elexisse ad terras Iouem ab eoque quaesisse ritum procurationis morem. Iouem diu contatum 'expiabis' dixe 'capite fulgurita'. regem respondisse 'caepitio'. Iouem rursus 'humano'. rettulisse regem 'sed capillo'. deum

---

quentius ignes. Rex pauet, et uulgi pectora terror habet. Cui dea 'ne nimium terrere. piabile fulmen Est' ait 'et saeui flectitur ira Iouis. Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi Tradere, Romani numen uterque soli. Nec sine ui tradent. adhibe tu uincula captis'. Atque ita qua possint erudit arte capi. Lucus Auentino suberat niger ilicis umbra, Quo posses uiso dicere 'numen inest'. In medio gramen muscoque adoperta uirenti Manabat saxo uena perennis aquae. Inde fere soli Faunus Picusque bibebant. Huc uenit et fonti rex Numa mactat ouem, Plenaque odorati disponit pocula Bacchi Cumque suis antro conditus ipse latet. Ad solitos ueniunt siluestria numina fontes Et releuant multo pectora sicca mero. Vina quies sequitur. gelido Numa prodit ab antro Vinclaque sopitas addit in arta manus. Somnus ut abscessit, pugnando uincula temptant Rumpere. pugnantes fortius illa tenent. Tunc Numa: 'Di nemorum, factis ignoscite nostris, Si scelus ingenio scitis abesse meo, Quoque modo possit fulmen monstrate piari'. Sic Numa, sic quatiens cornua Faunus ait: 'Magna petis nec quae monitu tibi discere nostro Fas sit. habent finis numina nostra suos. Di sumus agrestes et qui dominemur in altis Montibus. arbitrium est in sua tela Ioui. Hunc tu non poteris per te deducere caelo, At poteris nostra forsitan usus ope'. Dixerat haec Faunus. par est sententia Pici. 'Deme' tamen 'nobis uincula' Picus ait. 'Iuppiter huc ueniet ualida perductus ab arte, Nubila promissi Styx mihi testis erit'. Emissi laqueis quid agant, quae carmina dicant Quaque trahant superis sedibus arte Iouem, Scire nefas homini. nobis concessa canentur Quaeque pio dici uatis ab ore licet.

---

1 uenisset *cod.*[1] 2 solemniter haec *codex* 3 non parua mero uino *Vrsin.* 4. 5 insidiosa — fallacia *Reifferscheid* 7 flagrantia *cod.* 8 dulcedinem p. *cod.* dulcedine in p. *Hildebrand* 13 ritum *cod.* fulguritum *Reifferscheid* (*pro* fulguritorum) 15 sed] scilicet *Roth*

contra 'animali'. 'maena' subiecisse Pompilium. tunc ambiguis Iouem propositionibus captum extulisse hanc uocem: 'Decepisti me, Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, tu maena, capillo, caepitio. quoniam me tamen tua circumuenit astutia, quem uoluisti, habeto morem et his rebus, quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum'.

7*. *Plut. Num. 22. Πυρὶ μὲν οὐκ ἔδοσαν τὸν νεκρὸν [Numae] αὐτοῦ κωλύσαντος, ὡς λέγεται· δύο δὲ ποιησάμενοι λιθίνας σοροὺς ὑπὸ τὸ Ἰάνοκλον ἔθηκαν, τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, τὴν δὲ ἑτέραν τὰς ἱερὰς βίβλους. — οἱ δὲ περὶ Ἀν-*

Eliciunt caelo te, Iuppiter, unde minores Nunc quoque te celebrant Eliciumque uocant. Constat Auentinae tremuisse cacumina siluae, Terraque subsedit pondere pressa Iouis. Corda micant regis totoque e corpore sanguis Fugit et hirsutae deriguere comae. Vt rediit animus, 'Da certa piamina' dixit 'Fulminis, altorum rexque paterque deum, Si tua contigimus manibus donaria puris, Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat. Adnuit oranti, sed uerum ambage remota Abdidit et dubio terruit ore uirum. 'Caede caput' dixit. cui rex 'parebimus' inquit, 'Caedenda est hortis eruta cepa meis'. Addidit hic 'Hominis'. 'sumes' ait ille 'capillos'. Postulat hic animam. cui Numa 'piscis' ait. Risit 'et 'his' inquit 'facito mea tela procures, O uir conloquio non abigende meo. Sed tibi, protulerit cum totum crastinus orbem Cynthius, imperii pignora certa dabo'. Dixit et ingenti tonitru super aethera motum Fertur adorantem destituitque Numam. *Plut.: Μυθολογοῦσι γὰρ εἰς τὸν Ἀβεντῖνον λόφον, οὔπω μέρος ὄντα τῆς πόλεως οὐδὲ συνοικούμενον ἀλλ' ἔχοντα πηγάς τε δαψιλεῖς ἐν αὐτῷ καὶ νάπας σκιεράς, φοιτᾶν δύο δαίμονας, Πῖκον καὶ Φαῦνον. — τούτους φασὶ χειρώσασθαι τὸν Νομᾶν οἴνῳ καὶ μέλιτι κεράσαντα τὴν κρήνην, ἀφ' ἧς ἔπινον συνήθως. Ληφθέντας δὲ πολλὰς μὲν ἰδέας τρέπεσθαι καὶ μετεκδύεσθαι τὴν αὑτῶν φύσιν, ἀλλόκοτα φάσματα καὶ φοβερὰ τῆς ὄψεως προβαλλομένους· ἐπεὶ δὲ ἔγνωσαν ἑαλωκότες ἰσχυρὰν καὶ ἄφυκτον ἅλωσιν, ἄλλα τε προθεσπίσαι πολλὰ τῶν μελλόντων καὶ τὸν ἐπὶ τοῖς κεραυνοῖς ἐκδιδάξαι καθαρμόν, ὃς ποιεῖται μέχρι νῦν διὰ κρομύων καὶ τριχῶν καὶ μαινίδων. ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονάς φασιν ὑποθέσθαι τὸν καθαρμόν, ἀλλ' ἐκείνους μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας, τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νομᾷ προστάσσειν, ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς· ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νομᾶ 'κρομύων;' εἰπεῖν 'ἀνθρώπων'. τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντα τὸ τοῦ προστάγματος δεινὸν ἐπερέσθαι 'θριξίν;' ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς 'ἐμψύχοις' ἐπαγαγεῖν τὸν Νομᾶν 'μαινίσι;' ταῦτα λέγειν ὑπὸ τῆς Ἠγερίας δεδιδαγμένον. καὶ τὸν μὲν θεὸν ἀπελθεῖν ἵλεω γενόμενον, τὸν δὲ τόπον Ἰλίκιον ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθῆναι καὶ τὸν καθαρμὸν οὕτω συντελεῖσθαι.*

7—9. *Cf. fr. 15. Cass. fr. 37 (c. adn.), Piso 11 (cum adn.). Tudit. 3. a Liuio ex errore Valerii nomen positum esse uideri pro Pisone supra p. cc docuimus. aliter G. Fr. Vnger Philol. III 2 p. 158 sqq. h. l. interpretatus est.*

---

1 animalia subiecisse Pompilium *cod. em. Hildebrand* 3. 4 fulgurita numa capillo caepitio *cod. em. Hildebrand* non maena *Reifferscheid*

τίαν ἱστοροῦσι δώδεκα μὲν εἶναι βίβλους ἱεροφαντικάς, δώδεκα δὲ ἄλλας Ἑλληνικὰς φιλοσόφους τὰς εἰς τὴν σορὸν συντεθείσας. Τετρακοσίων δέ που διαγενομένων ἐτῶν ὕπατοι μὲν ἦσαν Πόπλιος Κορνήλιος καὶ Μάρκος Βαίβιος· ὄμβρων δὲ μεγάλων ἐπιπεσόντων καὶ χώματος περιρραγέντος ἐξέωσε τὰς σοροὺς τὸ ῥεῦμα· καὶ τῶν ἐπιθημάτων ἀποπεσόντων ἡ μὲν ἑτέρα κενὴ παντάπασιν ὤφθη καὶ μέρος οὐδὲν οὐδὲ λείψανον ἔχουσα τοῦ σώματος· ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ τῶν γραμμάτων εὑρεθέντων ἀναγνῶναι μὲν αὐτὰ λέγεται Πετίλιος στρατηγῶν τότε, πρὸς δὲ τὴν σύγκλητον κομίσαι μὴ δοκεῖν αὐτῷ θεμιτὸν εἶναι λέγων μηδὲ ὅσιον ἔκπυστα τοῖς πολλοῖς τὰ γεγραμμένα γενέσθαι· διὸ καὶ κομισθείσας εἰς τὸ Κομίτιον τὰς βίβλους κατακαῆναι.

8. *Plin. n. h. 13, 87.* Antias secundo libros fuisse *[tradit]* XII pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes.

9*. *Liu. 40, 29, 8.* Adicit Antias Valerius Pythagoricos *[libros Numae]* fuisse, uolgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide.

10*. *(Valer. Max.) de praenom. 4 p. 589 Kempf²*. Ancum praenomen Varro e Sabinis translatum putat, Valerius Antias scribit, quod cubitum uitiosum habuerit, qui Graece uocatur ἀγκών.

11*. *Plin. n. h. 3, 70.* Praeterea auctor est Antias, oppidum La-

---

9. *Falso Liuius Antiatis auctoritatem pro Pisone substituit. uid. adn. ad Pis. fr. 11.*

10. *E Varronis thesauris uidetur sumptum esse. cf. Paul. p. 19 M.:* Ancus appellatur qui aduncum bracchium habet et exporrigi non potest. *Seru. ad Aen. 6, 815:* Ancus autem dictus *[Marcius]* ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est a cubito, quem incuruum habuisse dicitur. *Zonar. 7, 7:* ἦν δὲ *[ὁ Μάρκιος]* τὴν χεῖρα οὐκ ἄρτιος· τὴν γὰρ ἀγκύλην πεπήρωτο, ὅθεν καὶ Ἄγκος ἐπώνυμον ἔσχηκεν.

11. *A Tarquinio Prisco Apiolas captas esse memorant Liuius 1, 35, 7 et Dionysius 3, 49: ille tamen praedam inde reuectam ad ludos opulentius instructiusque faciendos conuersam esse scripsit, hic nihil de praeda.*

7, 1 βύβλους *Sangerm.* 2 τὰς *Sintenis addidit ex Sangerm. Par. A C* συνταφείσας *Par. C* 5 τοὺς σοροὺς *Par. A* 10 κομίσαι *Par. C* ὁρμῆσαι *cet. libri* 11 τοῖς *om. Sangerm.*

8, 13 antius *Par. E Vind.* secundo *Gelenius* II *Mon. Ricc.* secundos *cet. codd.* libro *Mon.* XII] *Mon. Ricc.* ex his *cet. codd.*

9, 18 accomodata fide *ed. alt. Basil. (ex Mogunt.?)* accomodat fidem *libri rec.* accommodans fidem *Drakenborch.*

10, 20 Antias] *Pighius* antea *cod.* ita uocatum regem Ancum *ante* scribit *suppleuit Gertz*

tinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cuius praeda Capitolium is inchoaverit.

12*. *Plut. de fort. Rom. 10.* Τοῦ γὰρ Κορνικολάνων ἄστεος ἁλόντος ὑπὸ Ῥωμαίων Ὀκρησία παρθένος αἰχμάλωτος, ἧς οὐδὲ τὴν ὄψιν οὐδὲ τὸν τρόπον ἠμαύρωσεν ἡ τύχη, δοθεῖσα Τανακυλλίδι, τῇ Ταρκυνίου γυναικὶ τοῦ βασιλέως, ἐδούλευσε· καὶ πελάτης τις εἶχεν αὐτήν, οὓς κλιέντης Ῥωμαῖοι καλοῦσιν· ἐκ τούτων ἐγεγόνει Σερούιος. Οἱ δὲ οὔ φασιν, ἀλλὰ παρθένον τὴν Ὀκρησίαν ἀπάργματα καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν· καί ποτε τυχεῖν μὲν αὐτήν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν, αἰφνίδιον δὲ τῆς φλογὸς μαρανθείσης μόριον ἀνδρὸς ἀνατεῖναι γόνιμον ἐκ τῆς ἑστίας, καὶ τοῦτο τὴν κόρην τῇ Τανακυλλίδι φράσαι μόνῃ περίφοβον γενομένην. τὴν δὲ συνετὴν οὖσαν καὶ φρενήρη κοσμῆσαί τε τὴν κόρην, ὅσα νύμφαις πρέπει, καὶ συγκαθεῖρξαι τῷ φάσματι, θεῖον ἡγουμένην. οἱ μὲν ἥρωος οἰκουροῦ λέγουσιν, οἱ δὲ Ἡφαίστου τὸν ἔρωτα τοῦτον γενέσθαι· τίκτεται δ᾽ οὖν Σερούιος, καὶ βρέφους ὄντος ἡ κεφαλὴ σέλας ἀστραπῇ παραπλήσιον ἀπήστραψεν. Οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν οὐχ οὕτω λέγουσιν, ἀλλὰ τυχεῖν μὲν τῷ Σερουίῳ τὴν

12. *Vulgo sola uerba* οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν *et quae seq. inter Antiatis reliquias recipi solent. est tamen ex eodem hausta tota narratio, neque omnibus quae antecedunt Antiatis auctoritas opponitur, sed huic soli rei puero ei dormienti caput arsisse. sola igitur uerba* καὶ βρέφους ὄντος — ἀπήστραψεν *ex alio fonte tenori orationis Valerianae inserta sunt. Eundem autem Antiatem etiam Dionysius 4, 2 secutus est, ad uerbum saepe cum Plutarcho consentiens:* Φέρεται δέ τις ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς ἕτερος ὑπὲρ τῆς γενέσεως αὐτοῦ λόγος ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐξαίρων τὰ περὶ αὐτόν, ὃν ἐν πολλαῖς Ῥωμαϊκαῖς ἱστορίαις εὕρομεν, εἰ θεοῖς τε καὶ δαίμοσι λέγεσθαι φίλος τοιοῦτός τις· ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν βασιλέων, ἐφ᾽ ἧς ἄλλας τε Ῥωμαῖοι συντελοῦσιν ἱερουργίας καὶ τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχὰς ἁγίζουσιν, ὑπὲρ τοῦ πυρὸς ἀνασχεῖν λέγουσιν αἰδοῖον ἀνδρός. τοῦτο δὲ θεάσασθαι τὴν Ὀκρισίαν πρώτην φέρουσαν τοὺς εἰωθότας πελάνους ἐπὶ τὸ πῦρ καὶ αὐτίκα πρὸς τοὺς βασιλεῖς ἐλθοῦσαν εἰπεῖν. τὸν μὲν οὖν Ταρκύνιον ἀκούσαντά τε καὶ μετὰ ταῦτα ἰδόντα τὸ τέρας ἐν θαύματι γενέσθαι, τὴν δὲ Τανακυλίδα, τά τε ἄλλα σοφὴν οὖσαν καὶ δὴ καὶ τὰ μαντικὰ οὐδενὸς χεῖρον Τυρρηνῶν ἐπισταμένην, εἰπεῖν πρὸς αὐτόν, ὅτι γένος ἀπὸ τῆς ἑστίας τῆς βασιλείου πέπρωται γενέσθαι κρεῖττον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐκ τῆς μιχθείσης τῷ φάσματι γυναικός. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ τῶν ἄλλων τερατοσκόπων ἀποφηναμένων δόξαι τῷ βασιλεῖ τὴν Ὀκρισίαν, ᾗ πρώτῃ ἐφάνη τὸ τέρας, εἰς ὁμιλίαν αὐτῷ συνελθεῖν. καὶ μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην, οἷς ἔθος ἐστὶ κοσμεῖσθαι τὰς γαμου-

11, 1 Apeolas *libri* 2 is inchoauerit] *Leid.* insinchoauerit *Vat. Ricc.* in fine choauerit *Par. E*

γυναῖκα Γετανίαν θνήσκουσαν, αὐτὸν δὲ τῆς μητρὸς παρούσης εἰς ὕπνον ἐκ δυσθυμίας καὶ λύπης ἀποκλιθῆναι· καὶ καθεύδοντος αὐτοῦ ταῖς γυναιξὶν ὀφθῆναι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πυρὶ περιλαμπόμενον. ὅπερ ἦν μαρτύριον αὐτῷ τῆς ἐκ πυρὸς γενέσεως, σημεῖον δὲ χρηστὸν ἐπὶ τὴν ἀπροσδόκητον ἡγεμονίαν, ἧς ἔτυχε μετὰ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν Τανακυλλίδος σπουδασάσης.

13*. *Arnob. 6, 7.* Regnatoris in populi Capitolio qui est hominum qui ignoret Oli esse sepulchrum Vulcentani? quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis euolutum non ante plurimum temporis aut solum sine partibus ceteris (hoc enim quidam ferunt) aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerius Antias nobis et Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius, gentis et nationis cuius, germani seruulo *ut* uita fuerit spoliatus et lumine, quid de suis commeruerit ciuibus, ut ei sit abnegata telluris paternae sepultura. condiscetis etiam, quamuis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite retecto factum, uel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum, ut immobilis uidelicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. quod cum opprimi par esset et uetustatis oblitteratione celari, conpositio nominis iecit in medium et cum suis causis per data sibi tempora in-

---

μένας, κατακλεισθῆναι μόνην εἰς τὸν οἶκον, ἐν ᾧ τὸ τέρας ὤφθη. μιχθέντος δέ τινος αὐτῇ θεῶν ἢ δαιμόνων καὶ μετὰ τὴν μῖξιν ἀφανισθέντος εἴτε Ἡφαίστου, καθάπερ οἴονταί τινες, εἴτε τοῦ κατ' οἰκίαν ἥρωος, ἐγκύμονα γενέσθαι καὶ τεκεῖν τὸν Τύλλιον ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. τοῦτο τὸ μύθευμα οὐ πάνυ τι πιστὸν εἶναι δοκοῦν ἑτέρα τις ἐπιφάνεια θεία γενομένη περὶ τὸν ἄνδρα θαυμαστὴ καὶ παράδοξος ἧττον ἀπιστεῖσθαι ποιεῖ. καθημένου γάρ ποτε αὐτοῦ μεσούσης μάλιστα ἡμέρας ἐν τῇ παστάδι τῶν βασιλέων καὶ κατενεχθέντος ἐφ' ὕπνον πῦρ ἀνέλαμψεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, ἥ τε μήτηρ αὐτοῦ καὶ ἡ τοῦ βασιλέως γυνὴ πορευόμεναι διὰ τῆς παστάδος ἐθεάσαντο καὶ πάντες ὅσοι σὺν ταῖς γυναιξὶν ἐτύγχανον τότε παρόντες, καὶ μέχρι τούτου διέμενεν ἡ φλὸξ ὅλην αὐτοῦ καταλάμπουσα τὴν κεφαλήν, ἕως ἡ μήτηρ προσδραμοῦσα διανέστησεν αὐτὸν καὶ ἡ φλὸξ ἅμα τῷ ὕπνῳ διασκεδασθεῖσα ἠφανίσθη. cf. Ouid. fast. 6, 627 sqq. Plin. 36, 204. Ceteri scriptores puero dormienti Seruio caput arsisse tradunt, Liu. 1, 39, 1. Cic. de diuin. 1, 53, 121. Plin. 2, 241. Seru. Aen. 2, 683. Aurel. Vict. de uir. ill. 7, 1.

13. *cf. Fab. Pict. gr. ann. fr. 12 cum adn., in qua Plinii uerba secundum Valerium narrata apposuimus.*

12, 1 *Etiam in comp. Lyc. et Num. 3 nomen est Getaniae, apud Dion. 4, 7, 4 Geganiae.*

13. *uid. appar. ad Fab. fr. 12 u. 13 codex* Valerianus *exhibet,* Valerius Antias *emend. Vrsinus*

extinguibili fecit testificatione procedere, nec erubuit ciuitas maxima et numinum cunctorum cultrix cum uocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium quam ex nomine Iouis nuncupare.

14. *Charis. 2 p. 208 K.* Valerius Antias libro II: Mater cum nouissime aegrotasset, inquit, uouisse fertur.

EX LIBRO III

15. *Plin. n. h. 13, 87.* Idem *[Antias]* tertio et senatus consul- 181
tum ponit, quo comburi eos *[libros Numae]* placuerit. 573

EX LIBRO VI

16. *Prisc. 7 p. 347 H.* Valerius Antias in VI annalium: Hoc senatus consultum prior factum est.

EX LIBRO III—XXI

17*. *Ascon. in Cic. Pis. p. 12 K. 18 St.* Valerio Maximo, ut An- 505
tias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est 249
in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum uersus declinaretur, hoc est extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere M. Valerio, quia Sabinos uicerat, aedes in Palatio tributas Iulius Hyginus dicit in libro priore de uiris claris, P. Va-

15. *Sunt Numae libri, de quibus fr. 7—9 sermo fuit, quae conferas.*

17. *Cf. Hygini fr. 17. Vol. II p. 72. Annum adscripsi ex Plutarchi Popl. 20:* Μετὰ δὲ ταῦτα Σαβίνων ἐμβαλόντων εἰς τὴν χώραν ὕπατος μὲν ἀπεδείχθη Μᾶρκος Οὐαλλέριος, ἀδελφὸς Ποπλικόλα, καὶ Ποστούμιος Τούβερτος. πραττομένων δὲ τῶν μεγίστων γνώμῃ καὶ παρουσίᾳ Ποπλικόλα δυσὶ μάχαις μεγάλαις ὁ Μᾶρκος ἐνίκησεν, ὧν ἐν τῇ δευτέρᾳ μηδένα Ῥωμαίων ἀποβαλὼν τρισχιλίους ἐπὶ μυρίοις τῶν πολεμίων ἀνεῖλε. καὶ γέρας ἔσχεν ἐπὶ τοῖς θριάμβοις οἰκίαν αὐτῷ γενέσθαι δημοσίοις ἀναλώμασιν ἐν τοῖς Παλατίοις. τῶν δ᾽ ἄλλων τότε θυρῶν εἴσω τῆς οἰκίας εἰς τὸ κλεισίον ἀνοιγομένων ἐκείνης μόνης τῆς οἰκίας ἐποίησαν ἐκτὸς ἀπάγεσθαι τὴν αὔλειον, ὡς δὴ κατὰ τὸ συγχώρημα τῆς τιμῆς ἀεὶ τοῦ δημοσίου προσεπιλαμβάνοι. *ex eodem Antiate etiam Dionysius (5, 39, 4) hausit:* ψηφίζεται κοινῇ μὲν *[ciuitas post Sabinorum uictoriam]* ἀμφοτέροις τοῖς

14, 4 uul. antias lib. II *Neap.* libro tertio *exc. Cauch.* 5 ęgrotasse *Neap. corr. ed. pr.*

15, 6 tertio *Mon. Ricc. Leid.*[2] tertios *cet. codd. numeros uidetur esse corruptos. uid. supr. p. CCCVI n. 3.* et senatus consultum] *Vrlichs uind. Plin. p. 224* et s. c. *Ricc.* et se *Mon.* se *Leid.*[2] *om. cet. codd.*

16, 8 uallerius *Par. R*[1] *a. corr.* ualearius *Sangall. a. corr. Grater. Karolir.* ancias *Par. R*[1] *a. corr.* 9 consultam *Bern.*[1] *a. corr.*

17, 10 ⟨M⟩ Val. *Kiessling* 12 esset et in *ed. princ.*

lerio Volesi filio Publicolae aedium publice locum sub Veliis, ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse.

18*. *Censor. de d. nat. 17, 8.* Nam ita institutum esse, ut centesimo quoque anno fierent *[ludi saeculares]*, id cum Antias aliique historici auctores sunt tum Varro.

464/290 **19*.** *Liu. 3, 5, 12.* Magnae clades ultro citroque illis diebus *[cum aduersus Aequos pugnaretur]* et inlatae et acceptae. difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnauerint ceciderintue, exacto adfirmare numero. audet tamen Antias Valerius concipere summas: Romanos cecidisse in Hernico agro quinque milia octingentos, ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus Romanis uaga-

---

ὑπάτοις θριάμβου καταγωγήν, ἰδίᾳ δὲ θατέρῳ τῶν ἀνδρῶν Οὐαλερίῳ δωρεὰν τόπον εἰς οἴκησιν ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Παλλαντίου [τόπῳ] δοθῆναι καὶ τὰς εἰς τὴν κατασκευὴν δαπάνας ἐκ τοῦ δημοσίου χορηγεῖσθαι. ταύτης τῆς οἰκίας, παρ' ἣν ὁ χαλκοῦς ἕστηκε ταῦρος, αἱ κλισιάδες θύραι μόναι τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν οἴκων εἰς τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται. *Varro igitur ab Antiate ita discessit, ut M. ipsas aedes publice donatas esse traderet, P. tantum modo locum aedium; minus accurate eundem honorem areae donatae utrique fratri Plinius (36, 112) tribuit. uid. Schwegler II p. 89. Momms. in C. I. L. I² p. 189 sq. Muenzer De g. Valeria p. 19 sq.*

18. *Cf. Paulus s. u. p. 328:* Saeculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia saeculum centum annos extendi existimabant. *cf. Verr. Flaccum ap. schol. Cruq. ad carm. saecul. cum correcturis Mommseni Chron. p. 181 not. 351. — Locum adtribui huic fr. secutus Plut. Popl. c. 21:* Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει *[505. 249]* πάλιν ὑπάτευε Ποπλικόλας τὸ τέταρτον· ἦν δὲ προσδοκία πολέμου Σαβίνων καὶ Λατίνων συνισταμένων. καί τις ἅμα δεισιδαιμονία τῆς πόλεως ἥψατο· πᾶσαι γὰρ αἱ κυοῦσαι τότε γυναῖκες ἐξέβαλλον ἀνάπηρα καὶ τέλος οὐδεμία γένεσις ἔσχεν. ὅθεν ἐκ τῶν Σιβυλλείων ὁ Ποπλικόλας ἱλασάμενος τῷ Ἅιδῃ καί τινας ἀγῶνας πυθοχρήστους ἀναλαβὼν καὶ ταῖς ἐλπίσι πρὸς τὸ θεῖον ἡδίονα καταστήσας τὴν πόλιν, ἤδη τοῖς ἀπ' ἀνθρώπων φοβεροῖς προσεῖχε. *cf. Varro 'de scaenicis originibus libro primo' (ap. Censor. l. s. s.):* Cum multa portenta fierent et murus ac turris, quae sunt inter portam Collinam et Esquilinam, de caelo tacta essent et ideo libros Sibyllinos XV uiri [X uiri *Mommsen*] adissent, renuntiarunt, uti Diti patri et Proserpinae ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus et hostiae furuae immolarentur utique ludi centesimo quoque anno fierent *(i. e. a. 505. 249) et Liuii (per. 4, 9. fr. 22 c. adn.), ex quo sua sumpsit Zosimus (2, 4). Quae testimonia Antiatis apud Censorinum de primis et secundis ludis uulgata erant, codicum auctoritate carent. uid. supra p. CCCXXX.*

19. *Lachmann de f. Liu. p. 58 etiam totum cap. 4 et c. 5 ex Antiate originem ducere existumat.*

19, 11 octingentos (DCCC) *Weissenborn* ū. acc. *Med. Par. Flor.* /// a. ccc *Domin.* ū. ac. cc *Ups.* .V. Mccc *Rom.*

bantur, ab A. Postumio consule duo milia et quadringentos caesos. ceteram multitudinem praedam agentem, quae inciderit in Quinctium, nequaquam pari defunctam esse caede, interfecta inde quattuor milia et exsequendo subtiliter numerum ducentos ait et triginta.

434/320

20. *Liu. 4, 23, 2.* Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt.

278/476

21*. *Gell. 3, 8.* Cum Pyrrus rex in terra Italia esset et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent Romani, et pleraque Italia ad regem desciuisset: tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrri amicus, ad C. Fabricium consulem furtim uenit ac praemium petiuit et, si de praemio conueniret, promisit regem uenenis necare; idque facile esse factu dixit, quoniam filius suus pocula in conuiuio regi ministraret. eam rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus ad regem legatos misit mandauitque, ut de Timochare nihil proderent sed monerent, uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita, uti diximus, in Valeri Antiatis historia scriptum est.

249/505

22*. *Censor. de d. nat. 17, 10.* Tertii ludi *[saeculares]* fuerunt Antiate Liuioque auctoribus P. Claudio Pulchro L. Iunio Pullo cons.**

---

20. *Eidem et Seruius Cornelius Cossus a Diodoro 12, 53, 1 tribuni militum eius anni eduntur. in hac appendice (c. 23, 1—3) etiam praeter Tuberonem (fr. 6) Licinius Macer (fr. 14) eorumque libri lintei citantur, concludit tamen Liuius:* sed inter cetera uetustate cooperta hoc quoque in incerto positum. *Vid. Mommsen* R. F. II *p. 222 sqq.*

21. *Sequitur apud Gellium Claudii fr. 40. Cum Valerio Antiate concinit unus Valer. Max. 6, 5, 1:* Timochares Ambraciensis Fabricio consuli pollicitus est se Pyrrum ueneno per filium suum, qui potionibus eius praeerat, necaturum. ea res cum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrum monuit, ut aduersus huius generis insidias cautius se gereret, memor urbem a filio Martis conditam armis bella, non uenenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo aequitatem amplexus, quia nec hostem malo exemplo tollere neque eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere uoluit. *cf. supra p. CCCXXVIII sq. Mommsen* R. F. II p. 499 sq. — *Gellium descripsit Ioannes Saresberiensis (Policr. 5, 7), confudit tamen Valerios Antiatem et Maximum.*

22. *Liu. per. 49:* Tertii Punici belli initium altero et sescentesimo ab urbe condita anno (= 605 *sec. Varr.*). — ludi Diti patri ad Tarentum ex praecepto librorum facti, qui *ante* annum centesimum primo

---

20, 5 uelerius *Medic.* antiates *Veron.* Manlium *Veron.* manilium *Med. Par. Leid.* Manius *Diodor.* 6 quinctium sulp. *Leid.*

21. *Vid. appar. crit. ad Claud. fr. 40 p. 219.*

22, 19 antiatae *Darmst.* pulloi. cos. *Darmst.* pulloi cons *Vat.* *post* cons. *intercidit* anno DV

212 542 **23*.** *Liu. 25, 39, 11.* Ita nocte ac die bina castra hostium oppugnata ductu L. Marcii *[in Hispania post necem Scipionum]*. — Valerius Antias una castra Magonis capta tradidit, septem milia caesa hostium, altero proelio eruptione pugnatum cum Hasdrubale, decem milia occisa, quattuor milia CCCXXX captos. — Apud omnis magnum nomen Marcii ducis est. et uerae gloriae eius etiam miracula addunt, flammam ei contionanti fusam e capite sine ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum, monimentumque uictoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clipeum Marcium appellatum cum imagine Hasdrubalis.

210 544 **24*.** *Liu. 26, 49, 1.* Tum obsides ciuitatium Hispaniae uocari iussit *[Scipio Carthagine noua expugnata]*: quorum quantus numerus fuerit, piget scribere, quippe cum alibi trecentos ferme, alibi tria milia septingentos uiginti quattuor fuisse inueniam. aeque et alia inter auctores discrepant. praesidium Punicum alius decem, alius

Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita (= 505 *sec. Varron.*) facti erant. *uid. fr. 55. adn. ad fr. 18. supra p.* CCCXIII.

23. *De eadem re Liuius testimonia in hac appendice c. 39, 12—17 Pisonis (fr. 32) et Claudii (fr. 57 A) protulit. Miraculum illud Marcii diserte ad Valerii auctoritatem refert Plinius 2, 241:* L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus contionanti et milites ad ultionem exhortanti *[sic Par. d.* exortanti *Par. E*[2] *Ricc.*[2] exoranti *Voss. Vat. Leid.* exornanti *Ricc.*[1]*]* arsisse simili modo *[caput ut Seruio Tullio]* Valerius Antias narrat. *caue tamen etiam qui antecedunt infinitiuos pendere ab hoc* narrat *existumes miraculaque, quae exponuntur, fluxisse ex Antiate, quae plurimorum qui haec fragmenta collegerunt fuit opinio. immo id ipsum, quod ante hoc Marcii a Plinio narratum est, pugnat cum Valerii testimonio:* Seruio Tullio dormienti in pueritia ex capite flammam emicuisse. *(cf. fr. 12 cum adn.) est potius uerbum regens:* Reperitur apud auctores. *contra apud Liuium etiam alteram partem ex Antiate originem duxisse (per Varronem) alio Plinii loco 35, 13 demonstratur:* Origo plena uirtutis, faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit usus illo. Poeni ex auro factitauere et clupeos et imagines secumque uexere. in castris certe captis talem Hasdrubalis inuenit Marcius, Scipionum in Hispania ultor, isque clupeus supra fores Capitolinae aedis usque ad incendium primum fuit (a. 83. 671). *Cf. Muenzer* Quellenunt. *p. 199 sqq.*

24. *Sine dubio praeter eas res, quibus Antiatis auctoritas adscripta est, etiam aliae ex eo originem ducunt. Polybium secutus est Liuius in hisce: trecentos ferme obsides fuisse Pol. 10, 18, 3, Laelium classi Romanae praefuisse 10, 12, 1, Magonem Punico praesidio 10, 12, 2 sqq.; capta ad decem milia (sic etiam Liu. c. 47, 1) 10, 17, 6, fortasse praesidium Punicum decem milium fuit, si quidem is est numerus Appiani in Hiber. 19.*

23, 3 tradit *Maduig cum lib. rec.* tradidit *Put.* 4 purga|tum *Put.* 4. 5 decemillia *Put.*

24, 13 cum *Spirensis*[1] ubi *Put.*

septem, alius haut plus quam duum milium fuisse scribit. capta alibi decem milia capitum, alibi supra quinque et uiginti inuenio. scorpiones maiores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum; si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum sex milia, minorum decem et tria milia: adeo nullus mentiendi modus est. ne de ducibus quidem conuenit. plerique Laelium praefuisse classi, sunt qui M. Iunium Silanum dicant. Arinen praefuisse Punico praesidio deditumque Romanis Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt. non de numero nauium captarum, non de pondere auri atque argenti et redactae pecuniae conuenit. si aliquis assentiri necesse est, media simillima ueris sunt. 210

25*. *Gell. 7, 8, 3.* Lepide igitur agitari potest, utrum uideri con- 544
tinentiorem par sit, Publiumne Africanum superiorem, qui Carthagine ampla ciuitate in Hispania expugnata uirginem tempestiuam, forma egregia, nobilis uiri Hispani filiam, captam perductamque ad se patri inuiolatam reddidit, an regem Alexandrum. — His ego uersibus *[Cn. Naeuii]* credo adductum Valerium Antiatem aduersus ceteros omnis scriptores de Scipionis moribus sensisse et eam puellam captiuam non redditam patri scripsisse, contra quam nos supra diximus, sed retentam a Scipione atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam.

26*. *Liu. 28, 46, 14.* Eisdem diebus naues onerariae Poenorum 205
ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octauio, qui prouinciae prae- 549
erat, captae. eas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque et Montanorum captiuos Carthaginem portantis captas tradit.

---

25. *De re cf. Pol. 10, 19, 3—7. Cass. Dion. fr. 56, 47. Frontin. 2, 11, 5, Ammian. 24, 4, 27, maximeque Liu. 26, 50, Valerianae tamen narrationis nemo mentionem iniecit, id quod in Liuio eo magis mirabimur, quod in cap. ante c. bis Valerium citauit; de hac Naeuii malignitate uid. Fr. Marx* Ber. d. saechs. Gesellsch. LIII p. 73 sq.
26. *Cf. Coel. fr. 33.*

---

2 decem millia capitum, alibi *Spir.*[3] *om. Put.* inuenio *Spir.*[3] inuenias *Put.* 4 grecum *Put.* maiorum antiatemma scorp. *Put. a. corr.* 10 deponere *Put.* 11 ueris] ueneris *Put.* ueri *Spir.*[1]
25, 12 lepida *V* *(alii codd. hic desunt)* Lepide *Hertz* lepida igitur quaestio agitari ς 13. 14 carthagineã *V* 17 adductum *V* abductum *uel* aductum ς anciatem *V* *aliq.* ς 19 contra quem *V* *aliquot* ς 20 delitii moribusq. *unus* ς *ante corr.*
26. *uid. app. crit. ad Coel. fr. 33.*

204
550 **27*.** *Liu. 29, 35, 2.* Duos eodem nomine *[Hannonis]* Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis *[ad Salaecam urbem a Scipione Masinissaque]* interfectos non omnes auctores sunt, ueriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius quidem et Valerius captum Hannonem tradunt.

203
551 **28*.** *Liu. 30, 3, 4.* Inter haec ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat *[Scipio]*, si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia eum cepisset. ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensibus condiciones, ut Romani Africa, Poeni Italia excederent, quam, si bellaretur, spes ulla desciturum adferebatur. haec per nuntios acta magis equidem crediderim (et ita pars maior auctores sunt) quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad conloquium uenisse.

203
551 **29*.** *Liu. 30, 19, 11.* Idem consul *[Cn. Seruilius]* cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit. obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque milia hostium caesa ait. quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit aut neglegenter praetermissa. nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale gestum.

202
552 **30*.** *Liu. 30, 29, 7.* Valerius Antias primo proelio uictum eum *[Hannibalem ante proelium Zamense]* a Scipione, quo duodecim milia armatorum in acie sint caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem uenisse.

27. *Vid. Coel. fr. 42 c. adn.*

28. *Antiatis mentionem Liuius narrationi Polybianae 14, 1 sqq. inseruit.*

29. *Inpudentia ad Valerium Antiatem pertinet, neglegentia ad ceteros Liuii auctores.*

30. *Idem proelium narrauit Zonaras 9, 14: ὡς δ' ἔδοξε τῷ Σκηπίωνι μὴ διατρίβειν ἔτι ἀλλὰ καὶ ἄκοντα τὸν Ἀννίβαν εἰς τὸν ἀγῶνα προαγαγεῖν, ἐπὶ τὴν Οὐτίκην ὥρμησεν, ἵνα δεδιέναι καὶ φεύγειν δόξας σχοίη καιρὸν ἐπιθέσεως· ὃ καὶ ἐγένετο. ὁ γὰρ Ἀννίβας φεύγειν αὐτὸν οἰηθεὶς καὶ ἐπὶ πλέον ἐντεῦθεν θαρσήσας ἐπεδίωξε μόνοις τοῖς ἱππεῦσι. καὶ ὁ Σκηπίων ἀντέστη τε αὐτοῖς παρὰ δόξαν καὶ συμβαλὼν ἐνίκησε. τρέψας δ' αὐτοὺς οὐκ ἐπὶ τὸ διώκειν σφᾶς ἀλλὰ ἐπὶ τὰ σκευοφόρα αὐτῶν καθ' ὁδὸν τυγχάνοντα ὥρμησε καὶ πάντα συνέβαλε. ταῦτα τὸν Ἀννίβαν ἐτάραξε, praeter Zonaram etiam Appianus Libyc. 36, is tamen, id quod numerorum dissensu docetur, non ex Valerio Antiate. legationis Hanni-*

27. *uid. app. crit. ad Coel. fr. 42.*

28, 7 dimiserat *Spir.*[1] satis *Put.* satias *ed. Mog.* 8 ex *Put.* et *Spir.*[2] eum *Spir.*[2] *om. Put.* 9 excederen *Put. a. corr.* 10. 11 per nuntios *Put.*[2] *corr. Spir.*[2] perntios *Put.*[1]

30, 21 sunt *Put. emend. I. Fr. Gronou.*

31*. *Liu. 32, 6.* Consul *[P. Villius Tappulus]* per Charopum Epiroten certior factus, quos saltus cum exercitu insedisset rex *[Macedonum Philippus]*, et ipse, cum Corcyrae hibernasset, uere primo in continentem traiectus ad hostem ducere pergit. quinque milia ferme ab regiis castris cum abesset, loco munito relictis legionibus ipse cum expeditis progressus ad speculanda loca postero die consilium habuit, utrum per insessum ab hoste saltum, quamquam labor ingens periculumque proponeretur, transitum temptaret, an eodem itinere, quo priore anno Sulpicius Macedoniam intrauerat, circumduceret copias. hoc consilium per multos dies agitanti ei nuntius uenit, T. Quinctium consulem factum sortitumque prouinciam Macedoniam maturato itinere iam Corcyram traiecisse. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequiuerit omnibus ab rege insessis, secutum uallem per quam mediam fertur Aous amnis; ponte raptim facto in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse; fusum fugatumque regem, castris exutum; duodecim milia hostium eo proelio caesa, capta duo milia et ducentos et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos triginta; aedem etiam Ioui in eo proelio uotam, si res prospere gesta esset. ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum integrumque bellum insequentem consulem T. Quinctium accepisse tradunt. 199 555

32*. *Liu. 33, 10, 8.* Si Valerio qui credat omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta milia hostium eo die *[quo ad Cynoscephalas pugnatum est]* sunt caesa, capta (ibi modestius mendacium est) quinque milia septingenti, signa militaria ducenta undequinquaginta. 197 557

---

balis apud neminem scriptorem uestigia reperiuntur, Antias autem etiam hic Polybio (15, 5 sqq.) insertus est. uid. Mommsen in Scriptis hist. I p. 42 sqq.

31. *Finxit Antias hoc proelium, cf. Nissen* Untersuch. *p. 93. 133.*

32. *Ex Liuio Valerii numerum transscripsit Orosius 4, 20, 6. — Cum Valerio coniunxit Liuius Claudii (fr. 62) testimonium, sequi tamen se maluisse profitetur auctoritatem Polybii, qui de hostibus captis cum Valerio fere consentit (18, 27, 6).*

31, 2 insedit *Bamb. a. corr.* 12 Macedonoam *Bamb. a. corr.* 17 XII *Bamb.* II *Bamb.* 19 Ioui in *om. Bamb. spatio uacuo relicto* Ioui in *add. ed. Mog.* Iouis in ς 20 greci *Bamb.*

32, 23 uario *Bamb.* 24 augenti] augeret *Bamb. a. corr.* 25 sint *Vossius* ibi] idque *F. Lachmann* 27 undequinquaginta *Kreyssig* CCXLVmi *Bamb.*

196 558 **33*.** *Liu. 33, 30, 1.* Paucos post dies decem legati ab Roma uenerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est, — — ne plus quinque milia armatorum haberet neue elephantum ullum. bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret. — Valerius Antias quaternum milium pondo argenti uectigal in decem annos impositum regi tradit. — in haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. adicit Antias Valerius Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono datos et Rhodiis Stratoniceam Cariaeque alias urbes, quas Philippus tenuisset, Atheniensibus insulas datas Lemnum, Imbrum, Delum, Scyrum.

196 558 **34*.** *Liu. 33, 36, 4.* Consules in prouincias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum finis fatigato per diem totum milite uia facienda castra in tumulo quodam ponentem Corolamus quidam regulus Boiorum cum magna manu adortus ad tria milia hominum occidit. et illustres uiri aliquot in illo tumultuario proelio ceciderunt, inter quos praefecti socium T. Sempronius Gracchus et M. Iunius Silanus et tribuni militum de legione secunda M. Ogulnius et P. Claudius. castra tamen ab Romanis impigre permunita retentaque, cum hostes prospera pugna elati nequiquam oppugnassent. statiuis deinde isdem per dies aliquot sese tenuit, dum et saucios curaret et *ex* tanto terrore animos militum reficeret. Boi, ut est gens minime

---

33. *Supra omisi eas pacis condiciones, quas Liuius ex Polybio sumpsit, quas uid. Claud. fr. 63 cum adnot. — De uectigali consentit Valerius cum Polybio 18, 27 [44 Dind.], si illud uectigal continuo solutum a Philippo sumimus; apud Polybium enim accuratius legimus:* δοῦναι δὲ καὶ χίλια τάλαντα, τούτων τὰ μὲν ἡμίση παραυτίκα, τὰ δ' ἡμίση κατὰ φόρους ἐν ἔτεσι δέκα. *quingenta enim talenta respondent quadraginta milibus argenti pondo. (Nissen p. 108.) de donationibus Valerii auctoritatem pro nihilo ducendam esse Nissen p. 145 sq. docuit.*

34. *Totam Liuii narrationem recepi, quia nisi hac praemissa ea uerba, quae ex Antiate inserta sunt, intellegi non poterant et eam ad Antiatis auctoritatem redire ueri est simillimum. cf. Claud. fr. 64 c. adn. Nissen p. 149 sq., qui recte scriptores quos extr. cap. Liuius commemorat Claudium et Valerium esse monuit. dissentit Vnger l. s. p. 56 sqq.*

---

33. *uid. app. crit. ad Claud. fr. 63* 7 absente *Bamb.* 8 Statoniceam *Bamb.*[2] 9 cariae atque *Mogunt.* 10 Lemnum] Paron *Mogunt.*

34, 13 inter tumulos quosdam *Bamb.* quidam *om. Mog.* 14 tria mil. *Bamb.* tria millia *Mog.* 15 aliquod *Bamb.* 16 T.] Ti. *Sigonius* et *om. Mog.* 17 Syllanus *Mog.* tr. mil. *Bamb.* M. *om. Mog.* 19 prospe pugna *Bamb.* elati *om. Mog.* expugnassent *Bamb.* 20 aliquod *Bamb.* ex *om. Bamb. Mog. add. Drakenb.*

ad morae taedium ferendum patiens, in castella sua uicosque passim dilapsi sunt. Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem, ubi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, legiones ducit. Galli feroces Boiorum ante dies paucos pugna in ipso itinere proelium committunt et primo adeo acriter inuaserunt, ut antesignanos impulerint. quod ubi Marcellus animaduertit, ueritus, ne moti semel pellerentur, cohortem Marsorum cum opposuisset, equitum Latinorum omnis turmas in hostem emisit. quorum cum primus secundusque impetus rettudisset inferentem se ferociter hostem, confirmata et reliqua acies Romana restitit primo, deinde signa acriter intulit. nec ultra sustinuere certamen Galli, quin terga verterent atque effuse fugerent. in eo proelio supra quadraginta milia hominum caesa Valerius Antias scribit, octingenta septem signa militaria capta et carpenta septingenta triginta duo et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in aede positum scribit. castra eo die Gallorum expugnata direptaque et Comum oppidum post dies paucos captum. castella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios prius an Insubres consul exercitum duxerit, aduersamque prospera pugna oblitterauerit an uictoria ad Comum parta deformata clade in Bois accepta sit.

35*. *Liu. 34, 10, 1.* Eodem tempore M. Heluio decedenti ex 195
ulteriore Hispania cum praesidio sex milium dato ab Ap. Claudio 559
praetore Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Iliturgi occurrunt.

---

35. *Etiam reliqua huius cap. pars, qua Heluii res exponuntur, maxime praedae pondera in aerarium inlata ex Valerio originem ducere uidetur. Nissen p. 155.*

---

1 ferendum *om. Mog.* passim *om. Mog.* 2 confertim *Bamb.* 4 ducat *Bamb. a. corr.* ducit—pugna *om. Mog.* 5 ut *om. Bamb.* 6 Marcellus *om. Mog.* 7 semel p.] se inde pellerent *Mog.* opposuit et equitem *Mog.* 8 hoste misit *Bamb.* 9 hoste *Bamb.* 10 extitit *Mog.* 13 Val. Antias *Bamb.* otingenta *Bamb. a. corr.* et quingenta *Mog.* octoginta *Kreyssig* 14 et carpenta capta a DCCXXXII *Bamb.* et carpenta quadringenta triginta duo *Mog.* 15 in Capitolium *Bamb.* 16 posita *Mog.* castra eo die Gallorum *Bamb.* postero die Gallorum castra *Mog.* 17 post] intra *Mog.* 19 an in Ins. *Drakenb.* induxerit *Mog.* 20 an in u. *Mog.* 21 parata *Mog.*

35, 22 M. *om. Bamb. add. Mog.* ex *om. Bamb.* 24 Liturgi accurrunt *Bamb.*

uiginti milia armatorum fuisse Valerius scribit, duodecim milia ex iis caesa, oppidum Iliturgi receptum et puberes omnis interfectos.

195/559 **36*.** *Liu. 34, 15, 9.* Valerius Antias supra quadraginta milia hostium caesa eo die *[quo a Catone consule ad Emporias Hispani uicti sunt]* scribit.

194/560 **37*.** *Ascon. in Cic. Cornel. p. 61 K. 55 St.* Hoc factum est secundo consulatu Scipionis *[Africani maioris]*, post septimum annum quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles curules ⟨C.⟩ Atilius Serranus, L. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aeli Paeti, C. Corneli Cetegi. et uidetur in hac quidem oratione hunc auctorem secutus Cicero dixisse, ⟨passum⟩ esse Scipionem secerni a cetero ⟨consessu⟩ spectacula senatorum.

193/561 **38*.** *Liu. 35, 2, 8.* Valerius Antias et in Siciliam nauigasse dilectus causa C. Flaminium *[praetorem, qui a senatu in Hispaniam missus erat]* scribit et ex Sicilia Hispaniam petentem tempestate in Africam delatum uagos milites de exercitu P. Africani sacramento

---

36. *Subsequitur ipsius Catonis testimonium (fr. 92), ex cuius libris pugnae descriptio esse hausta uidetur. Quadraginta hostium milia cum Catone pugnasse Appianus Hiber. 40 rettulit multosque occisos. cf. Nissen p. 155 sq.*

37. *Liuius 34, 44, 4 secutus est Antiatem:* Censorum inde comitia sunt habita. creati censores Sex. Aelius Paetus et C. Cornelius Cethegus. principem senatus P. Scipionem consulem, quem et priores censores legerant, legerunt. — gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt, quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo. nam antea in promiscuo spectabant, *c. 54, 3, ubi de eadem re iterum loquitur, alium auctorem, qui Scipionem auctorem eius rei fuisse tradiderat, quocum faciunt Cicero de harusp. resp. 12, 24, tum Valerius Max. 2, 4, 3 (ubi tamen falso res illa ad posteriorem Africanum refertur) et 4, 5, 1. cf. fr. 40.*

38. *Tota particula eius libri c. 1—11 ex annalibus excerpta est, Nissen p. 166 sq.*

---

1 uiginti *om. Bamb.* 2 his *Bamb.* Liturgi *Bamb.*
37, 9 traduxit *(apogr.) S(ozom.)* fecerint *(apogr.) P(oggii) M(ontep.)* 10 C. *add. Manutius* attilius *SM* sertanus *S* L. *Manutius* C. *libri* et id eos *Baiter* eideos *libri* ius *libri* 11 Paeti *Manutius* leti *libri* 11. 12 quidem *in P(oggii apogr.) transpositum post* hunc 12 secutum *P* passum *SM in S lacuna 12 litt.* 13 concessu *P* consensu *M in S lac. 10 litt.*
38, 14 et] etiam *Mog.* sicilia *Bamb.* 16 scripsit *Mog.* 17 P. Affricani de exercitu *Bamb.*[1] de ex. P. Affricani *Bamb.*[2]

rogasse, his duarum prouinciarum dilectibus tertium in Hispania adiecisse.

39*. *Liu. 36, 19, 10.* Romanus equitatus ipsum quidem regem 191 563 *[Antiochum ex pugna Thermopylensi fugientem]* Elatiae adsecutus non est; magnam partem agminis aut lassitudine subsistentes aut errore, ut qui sine ducibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserunt; nec praeter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit, etiam ex decem milibus militum, quos Polybio auctore traiecisse secum regem in Graeciam scripsimus, exiguus numerus. quid si Antiati Valerio credamus sexaginta milia militum fuisse in regio exercitu scribenti, quadraginta inde milia cecidisse, supra quinque milia capta cum signis militaribus ducentis triginta? Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine pugnae, ab incursu Aetolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt.

40*. *Liu. 36, 36, 3.* Per idem fere tempus aedes Matris Magnae 191 563 Idaeae dedicata est, quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia P. Cornelio Scipione, cui postea Africano fuit cognomen, P. Licinio consulibus in Palatium a mari detulerat. locauerant aedem faciendam ex senatus consulto M. Liuius C. Claudius censores M. Cornelio P. Sempronio consulibus; tredecim annis postquam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scaenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.

41. *Liu. 36, 38, 5.* Duobus fere post mensibus P. Cornelius con- 191 563

39. *Orosius 4, 20, 21 numeros Valerii ex Liuio transscripsit.*
40. *Errores Valerii Nissen p. 186 notauit. (de ultimis uerbis cf. Liuius 29, 14, 14* lectisternium et ludi fuere, Megalensia appellata.)
41. *Eundem Valerii numerum Liuius c. 40, 5 P. Cornelium Sci-*

2 adiecisse *Mog.* adlegisse *Bamb.*
39, 7. 8 ex isto ex. *Bamb.* ex toto ex. *Mog.* 9 quod *Bamb.* traiecisse cum *Bamb.* 10 quod si *Bamb.* 11 quadraginta inde m.] centum quadraginta m. *Mog.* 13 in ipso cert.—15 non plus quinquaginta *om. Bamb. add. Mog.*
40, 17 Idaeae] *Mogunt.* deae *Bamb. aut* magnae *aut* Idaeae *abundare uidetur Weissenbornio* is *om. Bamb.* 18 post ς Affricano *Bamb.* 21 P. *Sigonius* T. *Bamb.* XXX annis postquam locauerat *Bamb. in lit.* tredecim annos post quam locata erat *Mog.* 21. 22 dedecauit *Bamb.* 23 Valerius Antias *Mog.*
41, 25 fere *om. Bamb.* consul *om.* ς

sul cum Boiorum exercitu signis collatis egregie pugnauit. duodetriginta milia hostium occisa Antias Valerius scribit, capta tria milia et quadringentos, signa militaria centum uiginti quattuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septem, ex uictoribus mille quadringentos octoginta quattuor cecidisse. ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est, magnam tamen uictoriam fuisse apparet, quod et castra capta sunt et Boi post eam pugnam extemplo dediderunt sese, et quod supplicatio eius uictoriae causa decreta ab senatu uictimaeque maiores caesae.

189/565 **42.** *Liu. 37, 48.* M. Fuluio Nobiliore et Cn. Manlio Volsone consulibus Valerius Antias auctor est rumorem celebrem Romae fuisse et paene pro certo habitum, recipiendi Scipionis adulescentis causa consulem L. Scipionem et cum eo P. Africanum in colloquium euocatos regis *[Antiochi]* et ipsos comprehensos esse et ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductum eaque expugnata et deletas omnis copias Romanorum esse. ob haec Aetolos sustulisse animos et abnuisse imperata facere, principesque eorum in Macedoniam et in Dardanos et in Thraeciam ad conducenda mercede auxilia profectos. haec qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem et M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio propraetore ex Aetolia missos esse. subtexit deinde fabulae huic, legatos Aetolos in senatu inter

---

pionem significantem facit: Plus partem dimidiam ex quinquaginta milibus hominum caesam, multa milia capta, senes puerosque Bois superesse. *unde etiam c. 39 et 40, quibus de Scipionis triumpho agitur, ad Antiatis auctoritatem redire elucet. Nissen p. 186. — Viginti milia occisa esse minus accurate Orosius 4, 20, 21 exscripsit.*

42. *L. Scipionem (filium P. Afric.) adulescentem a. 190. 564 captum esse Liuius c. 34, 5 secundum duos auctores narrauerat:* is ubi et quando et quo casu captus sit, sicut pleraque alia, parum inter auctores constat. alii principio belli a Chalcide Oreum petentem circumuentum ab regiis nauibus tradunt, alii, postquam transitum in Asiam sit, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra effuso obuiam

---

1 collatis signis *Bamb. a. corr.* 2. 3 capta III et ccc *Bamb.* 3 equos — 4 quadraginta septem *om. Bamb. add. Mog.* 4. 5 ex uictoribus ∞ CCCCLXXXIII *Bamb.* mille quadringentos octoginta quattuor *Mog.* mille et CCCCLXXXVI *lib. aliq. rec.* 5 ut *om. Bamb. add. Mog.* 6 scriptoris *Bamb.*

42, 12 Valerio Flacco Antio auctor *Bamb. ante corr.* 18 imperata *Mog.* imperia *Bamb.* 19 Tardanos *Bamb.* 22 subtexit *Bamb.* adiecit *Mog.* senatū *Bamb.*

cetera hoc quoque interrogatos esse, unde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege et exercitum deletum esse; Aetolos respondisse ab suis legatis se, qui cum consule fuerint, certiores factos. rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque affirmata res mea opinione sit nec pro uana praetermissa. 189

43. *Liu. 37, 60, 1.* Eodem fere tempore et Cn. Manlius consul 565
in Asiam et Q. Fabius Labeo praetor ad classem uenit. ceterum consuli non deerat cum Gallis belli materia; mare pacatum erat deuicto Antiocho, cogitantique Fabio cui rei potissimum insisteret, ne otiosam prouinciam habuisse uideri posset, optimum uisum est in Cretam insulam traicere. Cydoniatae bellum aduersus Gortynios Gnosiosque gerebant, et captiuorum Romanorum atque Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totam insulam dicebatur. classe ab Epheso profectus cum primum Cretae litus attigit, nuntios circa ciuitates misit, ut armis absisterent captiuosque in suis quaeque urbibus agrisque conquisitos reducerent et legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus ad Cretensis pariter Romanosque pertinentibus ageret. nihil magnopere ea Cretenses mouerunt. captiuos praeter Gortynios nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quattuor milia captiuorum, quia belli minas timuerint, ex tota insula reddita scripsit, eamque causam Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, triumphi naualis impetrandi ab senatu fuisse. a Creta Ephesum Fabius redit; inde tribus nauibus in Thraciae oram missis ab

---

equitatu cum reciperet sese, in eo delapsum tumultu ex equo cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse. *eorum prior est Polybius (21, 12, 1), alter fortasse item Antias. quae in hac appendice narratur fabula, ficta est, uid. Nissen p. 195. 197. Mommsen* R. F. II p. 515 sqq.

43. *Triumphi Fabiani meminit Liuius etiam 38, 47, 5. cf. num. apud Mommsen de re num. n. 146 C. I. L. n. 343 (in quo triumphus Iouis imagine et prora nauis significatur). Muenzer* R. E. *VI c. 1773 sqq. Nissen p. 200 sq.*

---

1 imperatotores *Bamb. a. corr.* 2 delectu *Bamb. s. lin.* 4 rumores *Bamb. a. corr.* 5 opione *Bamb.*

43, 9 cogitanti Q. Fabio *Mog.* 11 Gydoniatae *Bamb.* 11. 12 cortynos gnosios g. *Bamb.* 13 insulam] Italiam *Bamb.* 15 circa *in Bamb. bis positum in fine u. et in princ. seq.* 19 cortynios *Bamb.* 19. 20 ad IIII capt. *Bamb.* 20 timuerunt *libri corr. Bekker* 21 redditas *Bamb.* 22 a creta] ac *Bamb. em. ex Mog.*

Aeno et Maronia praesidia Antiochi deduci iussit, ut in libertate eae ciuitates essent.

189 565 **44.** *Liu. 38, 23, 6.* Numerus interfectorum *[Gallorum in Olympo monte a Cn. Manlio consule]* haud facile iniri potuit, quia late per omnis amfractus montium fugaque et caedes fuit, et magna pars rupibus inuiis in profundae altitudinis conualles delapsa est, pars in siluis uepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum auctor est caesa; Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. numerus captiuorum haud dubie milia quadraginta expleuit, quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant demigrantium magis quam in bellum euntium modo.

187 567 **45.** *Liu. 38, 50, 4—55, 7. 58—60.* Oppressit deinde mentionem memoriamque omnem contentionis huius maius et cum maiore et clariore uiro certamen ortum. P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. id, prout cuiusque ingenium erat, interpretabantur. alii non tribunos plebis, sed uniuersam ciuitatem, quae id pati posset, incusabant: duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inuentas, Romam ingratiorem, si quidem uicta Carthago uictum Hannibalem in exsilium expulisset, Roma uictrix uictorem Africanum expellat. alii neminem unum ciuem tantum eminere debere, ut legibus

---

44. *Captiuorum numerus esse Polybianus uidetur. cf. Claud. fr. 66 cum adn.*

45. *Vid. supra p.* CCCXIV *sqq., ubi, quo iure non solas duas res, quibus a Liuio Antiatis auctoritas adscripta est, ex orationis tenore auulsas, sed totam narrationem receperimus, pluribus exposuimus; testimonia, quibus eam Valerii esse aliunde confirmatur, hic suo loco adnotauimus.*

a. *Duos Petillios Africano de Antiochina pecunia a Catone inmissos Gellius 4, 18, 7 (uel Cornelius Nepos) Claudium Quadrigarium, ut uidetur, secutus testatus est. Petillio Actaeo (nisi* a Petillio aut Naeuio tribuno plebis *scribendum est, cf. Valer. Max. 3, 7, 1) cognomen fuisse addit Aurelius Victor de uir. ill. 49, 16, quem et ob hanc rem et quod solus morientem Africanum ab uxore petiisse memoriae prodidisset, ne corpus suum Romam referretur, non Liuio sed ipso Valerio usum esse Mommsen* R. F. *II p. 429 sq. suspicatus est. alter auctor (fortasse Claudius), cui quae c. 56, 2 in appendice inseruit Liuius debet, M. Naeuium, qui tribunus pl. fuit a. 184. 570, diem dixisse scripsit (cf. Gell. 4, 18, 3).*

---

44. *uid. app. ad Claud. fr. 66.*

45, 15 et clariore *additum ex Moguntino (cod. Bamberg. cum c. 46, 3 desiit)* 22 unum tantum eminere ciuem ς *Maduig scr. cum ed. alt. Froben* unum ciuem

interrogari non possit; nihil tam aequandae libertatis esse quam potentissimum quemque posse dicere causam. quid autem tuto cuiquam, nedum summam rem publicam, permitti, si ratio non sit reddenda? qui ius aequum pati non possit, in eum uim haud iniustam esse. haec agitata sermonibus, donec dies causae dicendae uenit. nec b alius antea quisquam nec ille ipse Scipio consul censorue maiore omnis generis hominum frequentia, quam reus illo die in forum est deductus. iussus dicere causam sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret neminem umquam neque melius neque uerius laudatum esse. dicebantur enim ab eo eodem animo ingenioque, quo gesta erant, et aurium fastidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam referebantur. (*c. 51.*) tribuni vetera luxuriae crimina Syracusanorum c hibernorum et Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem praesentium criminum rettulissent, suspicionibus magis quam argumentis pecuniae captae reum accusarunt. filium captum sine pretio redditum, omnibusque aliis rebus Scipionem, tamquam in eius unius manu pax Romana bellumque esset, ab Antiocho cultum; dictatorem eum consuli, non legatum in prouincia fuisse, nec ad aliam rem eo profectum, quam ut, id quod Hispaniae, Galliae, Siciliae, Africae iam pridem persuasum esset, hoc Graeciae Asiaeque et omnibus ad orientem uersis regibus gentibusque appareret, unum hominem caput columenque imperii Romani esse, sub umbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latere, nutum eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse. infamia intactum inuidia, qua possunt, ur-

b. *Similiter App. Syr. 40:* ἐς τὸ δικαστήριον αὐτὸς παρῆλθεν ἐπὶ λαμπροῦ σχήματος ἀντὶ οἰκτροῦ καὶ ταπεινοῦ τῶν ὑπευθύνων, ὡς εὐθὺς ἐπὶ τῷδε πάντας ἐκπλῆξαί τε καὶ ἐς εὔνοιαν, ὡς ἐπὶ χρηστῷ δὴ συνειδότι μεγαλοφρονούμενον προσαγαγέσθαι. λέγειν δὲ ἀρξάμενος τῆς μὲν κατηγορίας οὐδ᾽ ἐπεμνήσθη, τὸν δὲ βίον ἑαυτοῦ καὶ ἐπιτηδεύματα καὶ ἔργα πάντα ἐπεξῄει παὶ πολέμους ὅσους ἐπολέμησεν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κτλ. *tum uero a Liuio discedit, quod non altero die sed continuo post hanc orationem Africanum populum cohortatum esse tradit, ut se in Capitolium sequerentur. facit cum eo Gellius 4, 18, 3 sqq., cf. Mommsen,* R. F. II *p. 429 sq.*

c. *cf. Zonaras 9, 20 (ex Liuio):* κατεψηφίσθη — Ἀφρικανὸς — ὡς ἐπιεικεστέρας τὰς συνθήκας διὰ τὸν υἱὸν ποιησάμενος. *cf. fr. 42.*

2. 3 quoiquam *Mog.* 3 rei publicae *cod. rec.* 11 eo *post* ab *addidit P. Burmann* a *ante* quo *del. Burmann* 13 *post* tribuni *add. uet. edd.* plebis uel *aut* illis *aliquot libri rec., plerique om.* 23 columnamque *uel* culmenque *alii lib. rec.* 24 nutum *Mog.* nutus *plerique libri rec.* patrum populique iussis *pauci libri rec.*

d gent. orationibus in noctem perductis prodicta 'dies' est. ubi ea uenit, tribuni in rostris prima luce consederunt. citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam contionem ad rostra subiit silentioque facto 'hoc' inquit 'die, tribuni plebis uosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnaui. itaque cum hodie litibus et iurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum Iunonemque et Mineruam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. uestrum quoque quibus commodum est, Quirites, ite mecum et orate deos, ut mei similes principes habeatis, ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper uos aetatem meam honoribus uestris anteistis, ego uestros honores rebus
e gerendis praecessi.' ab rostris in Capitolium ascendit. simul se uniuersa contio auertit et secuta Scipionem est, adeo ut postremo scribae uiatoresque tribunos relinquerent nec cum iis praeter seruilem comitatum et praeconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modo sed per totam urbem omnia templa deum cum populo Romano circumiit. celebratior is prope dies fauore hominum et aestimatione uerae magnitudinis eius fuit, quam quo triumphans de Syphace rege et Carthaginiensibus urbem est inuectus.

f (*c. 52.*) Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni inluxit. post quem cum inuidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta in Literninum concessit certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. maior animus et natura erat ac maiori fortunae adsuetus, quam ut reus esse tunc sciret et submittere se in humili-
g tatem causam dicentium. ubi dies uenit citarique absens est coep-

---

d. e. *Ex Liuio rem descripserunt Valerius Max. 3, 7, 1 et Plutarchus apophth. Scip. mai. 10. cf. App. et Gell. l. s. aliter se defendit P. Africanus apud Polyb. 24, 9, 6—7.*

g—k. *ab Antiate ficta et interposita sunt, cf. supra p. CCCXVI sq.*

---

1 producta d. *libri em. I. F. Gron.* 9 iisque *Maduig* 12 Quirites, ite mecum *Maduig cum octo libr. rec.* ite mecum, Quirites, *uulgo* 16. 17 ut uiatores tribunos rel. *aliq. lib. rec., suppleuit Mog.* 21 uera *Perizonius* 26 producta ς *em. I. F. Gron.* literinum *plerique* ς 28 inciperet *Mog.* sciret ς tunc sciret *scripsi* submittere *Mog. et aliq. libri rec.* submitteret *alii* ς

tus, L. Scipio morbum causae esse cur abesset excusabat. quam excusationem cum tribuni, qui diem dixerant, non acciperent et ab eadem superbia non uenire ad causam dicendam arguerent, qua iudicium et tribunos plebis et contionem reliquisset, et quibus ius sententiae de se dicendae et libertatem ademisset, his comitatus, uelut captos trahens, triumphum de populo Romano egisset, secessionemque eo die in Capitolium a tribunis plebis fecisset ('habetis ergo temeritatis illius mercedem; quo duce et auctore nos reliquistis, ab eo ipsi relicti estis, et tantum animorum in dies nobis decrescit, ut ad quem ante annos septemdecim exercitum et classem habentem tribunos plebis aedilemque mittere in Siciliam ausi sumus, qui prenderent eum et Romam reducerent, ad eum priuatum ex uilla sua extrahendum ad causam dicendam mittere non audeamus'), tribuni plebis appellati ab L. Scipione ita decreuerunt, si morbi causa excusaretur, sibi placere accipi eam causam diemque ab collegis prodici. tribunus plebis eo tempore Ti. Sempronius Gracchus erat, cui [h] inimicitiae cum P. Scipione intercedebant. is cum uetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam exspectarent, ita decreuit, cum L. Scipio excusasset morbum esse causae fratri, satis id sibi uideri. se P. Scipionem, priusquam Romam redisset, accusari non passurum. tum quoque, si se appellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat. ad id fastigium rebus gestis, honoribus populi Romani P. Scipionem deorum hominumque consensu peruenisse, ut sub rostris reum stare et praebere aures adulescentium conuiciis populo Romano magis deforme quam ipsi sit. (*c. 53.*) adiecit decreto indignationem: 'Sub pedibus uestris stabit, [i] tribuni, domitor ille Africae Scipio? ideo quattuor nobilissimos du-

h—k. *De hac Gracchi intercessione, de qua Liuium Dio (fr. 62) secutus est, uid. supra p.* CCCXVII *sq.*

6 de Po. Romano *Mog.* populi Romani *aut* P. R. *libri rec.* 6. 7 secessionem eo die *uel* secessionem Romae eo die *uel* concessionem eodem die *libri rec.* 9 ut *additum ex Mog., in lib. rec. om.* 10 ad quem antea exercitum *libri rec.* ante annos quindecim *Mog.* ante annis septemdecim *Aldus* ante annos septemdecim *Creuer. nam quae res obuersatur tribunis, incidit in a. 204. 550. an error est Liuii seu Valerii?* 11 tribunum *Mog.* tribunos ς *cf. Liu. 29, 20* 14 ut si *plerique* ς 15 ad collegas *duo* ς 15. 16 produci *plerique* ς 16 Ti. *ed. Bas.* t. ς 19 excusasset *Mog.* excuset *uulg.* 19. 20 morbum causae esse *alii* ς 27 Scipio *del. Cobet*

ces Poenorum in Hispania, quattuor exercitus fudit fugauitque, ideo Syphacem cepit, Hannibalem deuicit, Carthaginem uectigalem nobis fecit, Antiochum (recipit enim fratrem consortem huius gloriae L. Scipio) ultra iuga Tauri emouit, ut duobus Petilliis succumberet, uos de P. Africano palmam peteretis? nullisne meritis suis, nullis uestris honoribus umquam in arcem tutam et uelut sanctam clari uiri peruenient, ubi, si non uenerabilis, inuiolata saltem senectus eorum considat?' mouit et decretum et adiecta oratio non ceteros modo, sed ipsos etiam accusatores, et deliberaturos se, quid iuris sui
k et officii esset, dixerunt. senatus deinde concilio plebis dimisso haberi est coeptus. ibi gratiae ingentes ab uniuerso ordine, praecipue a consularibus senioribusque, Ti. Graccho actae sunt, quod rem publicam priuatis simultatibus potiorem habuisset, et Petillii uexati sunt probris, quod splendere aliena inuidia uoluissent et spolia ex Afri-
l cani triumpho peterent. silentium deinde de Africano fuit. uitam Literni egit sine desiderio urbis. morientem rure eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt monumentumque ibi aedificari, ne funus
m sibi in ingrata patria fieret. uir memorabilis bellicis tamen quam

---

1. *Haec a Valerio narrata esse insuper demonstratur ipsius Liuii uerbis 39, 52, 1, ubi sententia mutata alteram famam amplexus eam, quam in libro XXXVIII secutus erat, ut Valerianam refutat:* ›Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum esse scribunt. ego neque his neque Valerio adsentior. — Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naeuius, aduersus quem oratio inscripta P. Africani est *[cf. 38, 56, 5]*. hic Naeuius in magistratuum libris est tribunus plebis P. Claudio L. Porcio consulibus *[184. 570]*, sed iniit tribunatum Ap. Claudio M. Sempronio consulibus *[185. 569]* ante diem quartum idus Decembres. inde tres menses ad idus Martias sunt, quibus P. Claudius L. Porcius consulatum inierunt. ita et uixisse in tribunatu Naeuii uidetur diesque ei dici ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram. *Liuius igitur quod in libro XXXVIII ipse de orationis a P. Scipione contra Naeuium habitae fide et auctoritate dubitauit atque Valerio teste non Naeuium sed Petillios Scipionibus diem dixisse narrauit, totius narrationis auctoritatem excepta appendice ad eum transtulit. cf. supra p.* CCCXVI. *in libro autem 45, 38, 7 Liuius denuo ad eum*

---

1 fugauitque (fugauit, Quirites *M. Mueller*) *aut* fugauit *libri rec.* necauitque *Mog.* 3 recipit *Maduig uid. Emend. p. 552 sq.* recepit *libri* 5 de P. Africano *Mog.* de pace Africani *libri rec.* peteretis *Mog.* ς impetraretis *M. Seyffert in Iahn. annal. 83 p. 829* peti feretis? *Maduig* 6 uestris *libri* nostris *Madvig, delet Hertz post* honoribus *Weissenborn-Mueller* Quirites *inserunt* umquam —7 saltem *libri rec. om., add. ex Mog.* umquam] cumqua *Mog.* 10 et *om. quattuor libri rec.* 16 ruri *uel* in rure *Wesenberg*

pacis artibus memorabilior. ⟨*nobilior*⟩ prima pars uitae quam postrema fuit, quia in iuuenta bella assidue gesta, cum senecta res quoque defloruere, nec praebita est materia ingenio. quid ad primum consulatum secundus, etiam si censuram adicias? quid Asiatica legatio, et ualetudine aduersa inutilis et filii casu deformata et post reditum necessitate aut subeundi iudicii aut simul cum patria deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum neque maius neque periculosius Romani gessere, unus praecipuam gloriam tulit.

(*c. 54.*) Morte Africani creuere inimicorum animi, quorum prin- n
ceps fuit M. Porcius Cato, qui uiuo quoque eo allatrare magnitudinem eius solitus erat. hoc auctore existimantur Petillii et uiuo Africano rem ingressi et mortuo rogationem promulgasse. fuit autem rogatio talis: 'uelitis iubeatis, Quirites, quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est quique sub imperio eius fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam rem uelit senatus quaerere de iis, qui praetores nunc sunt.' huic rogationi primo Q. et o
L. Mummii intercedebant, senatum quaerere de pecunia non relata in publicum, ita ut antea semper factum esset, aequum censebant. Petillii nobilitatem et regnum in senatu Scipionum accusabant.

---

regressus Literni Africani sepulcrum ostendi memorat (*cf. 38, 56, 3:* nam et Literni monumentum monumentoque statua super imposita fuit, quam tempestate disiectam uidimus ipsi). *Scipionem in Liternino procul a patria mortuum esse secundum Liuium narrauerunt Dio fr. 60 (Zonar. 9, 20), Oros. 4, 20, 29, Valer. Max. 5, 3, 2. praeterea Aur. Vict. de uir. ill. 49, 17.*

n. *Catone auctore Petillios (τοὺς περὶ Πετίλλιον) et Africano et Asiatico diem dixisse habes etiam apud Plutarchum Cat. mai. 15. — Crimen acceptae ab Antiocho pecuniae sumpsit ex Liuio Valerius Max. 8, 1 damn. 1. cf. Aurel. Vict. de u. ill. 53, 2.*

---

1 *post* memorabilior *lacuna haustum esse* clarior *uel* nobilior *primus perspexit Weissenborn, Maduig inseruit* et illustrior prima pars — 3 nec praebita] *sic Mog.* cui par habita *libri rec.* 3 quid ad] *Gelen. in alt. Froben.* quoad *Mog.* ς qui ad *lib. al. rec.* 7 nullum maius neque per. *et* nullum neque per. *libri aliq. rec.* 8 unus] *Mog.* unam (uiam *Voss.*) *libri rec.* 10 adlatrare *uel* allatrare *uulg. coll. Quintil. inst. 8, 6, 9* ac lacerare *et* lacerare *lib. rec.* 12 rem ingressi *Mog.* rem causam ingratam *et* rem ingratam *et* rem ingrato *et* rem inisse *libri rec.* 13 Quirites *Brisson.* quaeratur *libri* 18 Nummii *et* Numini *et* Minutii *libri* Mummii *Sigonius* 20 Scipionis *unus* ς

L. Furius Purpurio consularis, qui in decem legatis in Asia fuerat, latius rogandum censebat, non quae ab Antiocho modo pecuniae captae forent, sed quae ab aliis regibus gentibusque, Cn. Manlium p inimicum incessens. et L. Scipio, quem magis pro se quam aduersus legem dicturum apparebat, dissuasor processit. is morte P. Africani fratris, uiri omnium fortissimi clarissimique, eam exortam rogationem est conquestus. parum enim fuisse non laudari pro rostris P. Africanum post mortem, nisi etiam accusaretur. et Carthaginienses exilio Hannibalis contentos esse, populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exsatiari, nisi et ipsius fama sepulti laceretur et frater insuper, accessio inuidiae, mactetur. M. Cato suasit rogationem (exstat oratio eius de pecunia regis Antiochi) et Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne aduersarentur rogationi. remittentibus ergo his intercessionem omnes tribus uti rogassent iusserunt.

q (*c. 55.*) Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillia quaerere uellent, Q. Terentium Culleonem patres iusserunt. ad hunc praetorem, ⟨adeo amicum Corneliae familiae, ut, qui Romae mortuum elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse memoriae prodiderint, et ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse, quod ab eo inter alios captiuos in Africa ex hostibus receptus esset, aut⟩ adeo inimicum eundem, ut propter insignem simultatem ab ea factione, quae aduersa Scipionibus erat, delectus sit potissimum ad quaestionem exercendam; ceterum ad hunc nimis ⟨aequum aut⟩ iniquum praetorem reus extemplo factus L. Scipio. simul et delata et recepta nomina legatorum eius, A. et L. Hostiliorum Catonum et C. Furii Aculeonis quaestoris et, ut omnia contacta

---

q. *Quae angulis ⟨ ⟩ inclusi ex altera fama (fort. Claudii) inserta sunt. cf. uerba* adeo amicum Corneliae familiae, ut, qui Romae mortuum elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt *et c. 56, 2* conuenit — non de anno quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit: alii Romae, alii Literni et mortuum et sepultum. *uid. supra p. CCCXVIII.*

---

1 Furius *add. Mog. et aliquot libr. rec.* Purpureo *Sigonius* 5 morte *libri (Madvig)* post mortem *uulgo* 6 eam *om. 2* ς 10 et *accessit ex Mog.* 12 exstat] esse et *et* exstat et *libri rec.* Mummios] *libri uariant ut supra p. 263 u. 18* 14 uti rogassent *plerique libri rec.* uti rogasset *ed. alt. Froben. et aliq. libr. rec.* uti rogas *Sigonius* 15 Petillia *ed. Froben.* Petilii *uel* pecuniarum *libri rec.* 27 Furii Aculeonis *Gelenius* furii culleonis *Mog.* furiacii leonis ς

societate peculatus uiderentur, scribae quoque duo et accensus. L. [r] Hostilius et scribae et accensus, priusquam de Scipione iudicium fieret, absoluti sunt, Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati: quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse quam in aerarium rettulerit, A. Hostilium octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria, Furium quaestorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta. has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inueni. — —

(*c. 58.*) Iudiciis a Q. Terentio praetore perfectis Hostilius et [s] Furius damnati praedes eodem die quaestoribus urbanis dederunt; Scipio cum contenderet omnem quam accepisset pecuniam in aerario esse, nec se quicquam publici habere, in uincula duci est coeptus. P. Scipio Nasica tribunos appellauit orationemque habuit plenam ueris decoribus non communiter modo Corneliae gentis, sed proprie familiae suae. parentes suos et P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. et P. Scipiones, clarissimos uiros. eos, cum per aliquot annos in terra Hispania aduersus multos Poenorum Hispanorumque et duces et exercitus nominis Romani famam auxissent non bello solum, sed quod Romanae temperantiae fideique specimen illis gentibus dedissent, ad extremum ambo pro re publica

---

r. *De pecuniae summa uid. Mommsen l. s. p. 422sqq. de re num. p. 402. Ceterum de summa auri et argenti dubitat Liuius, cum u. s. transcriptis haec addat:* In L. Scipione malim equidem librarii mendum quam mendacium scriptoris esse in summa auri atque argenti. similius enim ueri est argenti quam auri maius pondus fuisse, et potius quadragiens quam ducentiens quadragiens litem aestimatam, eo magis, quod tantae summae rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt, librumque rationis eius, cum Lucium fratrem adferre iussisset, inspectante senatu suis ipsum manibus concerpsisse indignantem, quod, cum bis milliens in aerarium intulisset, quadragiens ratio ab se posceretur.

s—t. *Gell. 6, 19, 8:* Valerius autem Antias [ancias *R*] contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates ueterum annalium post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Tiberio Graccho dixit, neque multam irrogatam Scipioni, sed dampnatum eum [meum *R a. corr.*] peculatus [speculatus *R* pecculatus *V*] ob Antiochinam [antiochiam *RP*] pecuniam, quia [qui *VPR*] praedes non daret, in carcerem duci coeptum atque ita intercedente Graccho exemptum. — *De P. Scipionis Nasicae oratione uid. supra p. CCCXVII.*

---

3 A. *add. ex Mog.* 6 retulerit *Mog.* retulerat *libri rec.* 11 Furius] L. Furius *Mog.* 21 pro re publica ς *plerique* pro P. R. ς *alii*

morte occubuisse. cum illorum gloriam tueri posteris satis esset, P. Africanum tantum paternas superiecisse laudes, ut fidem fecerit non t sanguine humano sed stirpe diuina satum se esse. L. Scipionem, de quo agatur, ut quae in Hispania, quae in Africa, cum legatus fratris esset, gessisset, praetereantur, consulem et ab senatu dignum uisum. cui extra sortem Asia prouincia et bellum cum Antiocho rege decerneretur, et a fratre, cui post duos consulatus censuramque et triumphum legatus in Asiam iret. ibi ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret, forte ita incidisse, ut, quo die ad Magnesiam signis collatis L. Scipio Antiochum deuicisset, aeger P. Scipio Elaeae dierum aliquot uiam abesset. non fuisse minorem eum exercitum quam Hannibalis, cum quo in Africa esset pugnatum. Hannibalem eundem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit. et bellum quidem ita gestum esse, ut ne fortunam quidem quisquam criminari possit, in pace crimen quaeri, eam dici uenisse. hic decem legatos simul argui, quorum ex consilio data pax esset. quamquam exstitisse ex decem legatis qui Cn. Manlium accusarent, tamen non modo ad criminis fidem, sed ne u ad moram quidem triumphi eam accusationem ualuisse. (*c. 59.*) at hercule in Scipione leges ipsas pacis, ut nimium accommodatas Antiocho, suspectas esse, integrum enim ei regnum relictum, omnia possidere eum uictum quae ante bellum eius fuerint, auri et argenti cum uim magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in priuatum uersum. an praeter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in unum conferatur, est latum? 'nam quid de finibus regni dicam'? Asiam omnem et proxima Europae tenuisse Antiochum. ea quanta regio orbis terrarum sit, a Tauro monte in Aegaeum usque

---

2 superiecisse *plerique lib. rec.* subiecisse ς *plerique* superauisse *uulg.* 5 uisum] habitum *uel* iudicatum *coni. Weissenborn* ductum *Zingerle* 11 uiam *Drakenborch* uia ς 13 regios] regulos *Mog.* reges *uet. edd.* rhodios *cod. Voss.* egregios *Maduig* 16 argui *Gelenius* arguique *uel* argui quoque ς 17 quamquam extitisse *Mog.* quam extitisse *uel* quem exstitisse ς quin extitisse *ed. Mediol. a. 1480* quin exstitisset *Ascensius* quamquam exstitissent *Drakenborch* quin exstitisse et *Kreyssig* 23 cum uim magnam habuisset *Mog.* uim magnam habuerit ς 24 an] *libri cf. Maduig Emend. p. 554* an non *Ascensius uulg.* 26 omnes—conferantur *cod. Vossianus Creuer.* 28 sit *libri del. Creu. Maduig* est *Weissenb. Seyffert l. s. p. 830*

prominens mare, quot non urbes modo sed gentes amplectatur, omnes scire. hanc regionem dierum plus triginta ⟨*iter*⟩ in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem usque ad Tauri montis iuga Antiocho ademptam, expulso in ultimum angulum orbis terrarum. quid, si gratuita pax esset, plus adimi ei potuisse? Philippo uicto Macedoniam, Nabidi Lacedaemonem relictam nec Quinctio crimen quaesitum: non enim habuisse eum Africanum fratrem, cuius cum gloria prodesse L. Scipioni debuisset, inuidiam nocuisse. tantum auri argentique iudicatum esse in domum L. Scipionis illatum, quantum uenditis omnibus bonis redigi non posset. ubi ergo esse regium aurum, ubi tot hereditates acceptas? in domo, quam sumptus non exhauserint, exstare debuisse nouae fortunae cumulum. at enim quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per uexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos, ut in carcere inter fures nocturnos et latrones uir clarissimus includatur et in robore et tenebris exspiret, deinde nudus ante carcerem proiciatur. non id Corneliae magis familiae quam urbi Romanae fore erubescendum. (*c. 60.*) Aduersus ea Terentius praetor rogationem Petilliam v et senatus consultum et iudicium de L. Scipione factum recitauit: se, ni referatur pecunia in publicum quae iudicata sit, nihil habere quod faciat, nisi ut prendi damnatum et in uincula duci iubeat. tri- w buni cum in consilium secessissent, paulo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum praeter Gracchum sententia pronuntiauit praetori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur. Ti. Gracchus ita decreuit, quo minus ex bonis L. Scipionis quod iudi- x catum sit redigatur, se non intercedere praetori: L. Scipionem, qui regem opulentissimum orbis terrarum deuicerit, imperium populi

---

x. *Ex Liuio sua habet Valerius Max. 4, 1, 8. cf. Gell. 6, 19, 7, qui haec Gracchi decreti uerba fuisse dicit:* Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniectarit, alienum uidetur esse dignitate rei publicae in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium: itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae ui prohibeo. *breuiter hanc rem tetigit Plutarch. Cat. mai. 15.*

---

2 in longitudinem *Mog.* longitudinem ς iter in longitudinem *Weissenborn* 3 maria in latitudinem *Mog.* maria latitudinem uel in maria ς latitudine *Weissenborn* 8 cum *add. Gelenius (ex Mog.?)* 10 ubi *Gelenius (ex Mog.?)* id ubi ς 14 in carcerem *aliquot* ς 19 et s. c.] *Gelenius (ex Mog.?)* ex s. c. ς

Romani propagauerit in ultimos terrarum fines, regem Eumenem, Rhodios, alias tot Asiae urbes deuinxerit populi Romani beneficiis, plurimos duces hostium in triumpho ductos carcere incluserit, non passurum inter hostes populi Romani [L. Scipionem] in carcere et uinculis esse, mittique eum se iubere. tanto adsensu auditum est decretum, adeo dimissum Scipionem laeti homines uiderunt, ut uix y in eadem ciuitate uideretur factum iudicium. in bona deinde L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit. neque in iis non modo uestigium ullum comparuit pecuniae regiae, sed nequaquam z tantum redactum est quantae summae damnatus fuerat. collata ea pecunia ab cognatis amicisque et clientibus est L. Scipioni, ut, si acciperet eam, locupletior aliquanto esset, quam ante calamitatem fuerat. nihil accepit; quae necessaria ad cultum erant, redempta ei a proximis cognatis sunt; uerteratque Scipionum inuidia in praetorem et consilium eius et accusatores.

186/568 **46.** *Liu. 39, 22, 8.* L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi uouisse sese dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus ciuitatibusque per dies decem fecit. legatum eum post damnationem et bona uendita missum in Asiam ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina Valerius Antias est auctor; tum collatas ei pecunias congregatosque per Asiam artifices, et quorum ludorum post bellum, in quo uotos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum.

184/570 **47.** *Liu. 39, 41, 5.* Secundum comitia censorum consules praetoresque in prouincias profecti praeter Q. Naeuium, quem quattuor non minus menses, priusquam in Sardiniam iret, quaestiones ueneficii, quarum magnam partem extra urbem per municipia concilia-

---

y. *Eadem ex Liuio (per Dionem) apud Zonar. 9, 20.*

